# LIBER SECVNDVS
IN QVO CONTINENTVR
# MISCELLANEA
QVAEDAM
EIVSDEM AVCTORIS.
ABBATIS
# DON CAROLI PELLEGRINI
PATRITII CIVITATIS CASTRIVILLARVM
V. I. D. Sac. Theol. Profeſſoris, & Prothonotarij Apoſtolici.

*De quibuſdam Materijs in primo ſuperiori libro, certo modo tactis, & ad ipſum ſpectantibus in eiuſdem progreſſu non plenè examinatis.*

Cum Indice particulari in fine Rerum Notabilium.

ROMAE, M.DC.LXV.
EXCVDEBAT FABIVS DE FALCO.
*SVPERIORVM PERMISSV.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRAEFATIVNCVLA AD LECTOREM

## LOCO PROEMII.

MISCELLANEA hæc, quæ ſequentur, per tractatiunculos diſgreſſiuos diſpoſita, ad quaſdam præcedentis libri materias quodammodo pertinentia, & connexionem habentia, hoc ſecundo libro, data opera per breues concluſiones collocare placuit, pro quorundam amicorum ſic iubentium ſatisfactione, qui materias ſuis locis breuiter, perfunctorièque enunciatas, fuſiùs explicatas cupiebant. Ideò hoc loco attuli, quoad potui breuitati conſulens, ne & Ipſi hoc ſuo deſiderio fruſtrarentur: & cæteri minus amici eorum lectione, vel grauarentur, vel faſtidirentur, ſi prolixiùs, quam illis cordi fuiſſet, digreſſiones ſuis locis in primo libro inſertas, inueniſſent. Quapropter ſeparatim, ac per ſe illas diſtribuere, & apponere viſum fuit; tamquam ab opere penitùs diſtinctas, & alienas; vt delicatis ingenijs eorum, qui cum Ipſi nihil faciant, Alijs aliquid agentibus inuident, criticandi, cenſurandique occaſio prorsùs auferretur; ordinem tamen non præteribo agendi de illis, ſecundum materias in ſuperiori libro tactas.



Digitized by Google

*Imprimatur*,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

*O. Archiep. Patrac. Viceſg.*

*Imprimatur*,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Apoſtol. Palatij Magiſter.

TRA-

Digitized by Google

# TRACTATIVNCVLVS MISCELLANEVS PRIMVS.

## DE ANGELIS.

POLLICITVS fui ſuprà hæc miſcellanea materiarum in primo libro prælibatarum, ad quorundam amicorum requiſitionem, per breues concluſiones hoc loco afferre: Ideò relictis quæſtionibus, & difficultatibus, ſcholis examinandis; ſubſtantialia tantummodò concludenter referre, & quantum breuitas concedet, adducere, & explicare contentus ero.

1 Deueniendo igitur ad materiam Angelorum, quia ipſa priùs ſe obuiam facit *in primo lib.* 1. *p.* 3. *cap.* 1. *verſic. Dico igitur*, aſſero, quod Angeli nomen officij eſt, non naturę, ſemper enim ſpiritus ſunt, ſed cum mittuntur; vocantur Angeli, vt inquit *Diu. Gregor. homel.* 34. *in Euangel.*

2 Angeli ſunt pura ſubſtantia ſpiritualis, ſine corporis mole, quia creati ſunt à Deo, ſine præiacenti materia. *Diu. Ioan. Damaſcen. lib.* 2. *de orthodox. fid. cap.* 3. Sunt incorruptibiles, & immateriales *Conc. Ephæſ. epiſt. Cyrilli ad Reginas*.

3 Creati fuerunt à Deo ab initio temporis, textus eſt in *cap.* 1. *de Summ. Trin. & Fid. Cathol. vbi Gloſ. verſic. ſimul. Concil. Lateran. general.* 4. *c.* 1. & *Sanct. Iſyd. lib.* 1. *de ſum. bon. c.* 12. vbi etiam dicit fuiſſe creatos ante omnem creaturam, quando dixit Deus: *Fiat lux*, & eorum creatio fuit in Cęlo empyreo, ſecundum *Diu. Thom. in* 1. *par. q.* 61. vbi tradit, naturam Angelicam non fuiſſe creatam ante creaturas corporeas, ſed ſimul cum creatura corporali.

4 Exhibent autem Angeli miniſterium, vel Deo immediatè illum æternaliter contemplantes, cum ſint ciues ordinarij, & conſortes Beatorum in Eccleſia triumphanti, vt inquit *Diu. Gregor. vbi ſupra, &*

*Diu.*

*Diu.Thom.* 1.*p.ſum.q.* 66.*ar.*3. vel hominibus, cum ſint cuſtodes noſtri in communi, & in particulari multipliciter adiuuantes, *vt inferius dicemus; Concil. Epheſ. vbi ſup.*

Prȩſunt ipſi Angeli omni corporeæ naturæ, vt ait *Diu. Thom. loc.cit.* cum principes ſint, cuiuſcumque ordinis, non tantummodo de ordine Principatuum, iuxta illud *Dau.in pſalm* 112.*Vt collocet eum cum Principibus,cum principibus populi ſui, & pſalm.* 67. *Præuenerunt princi. pes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum*. Habent enim Ipſi magnum dominiũ ſuper Dæmones, ſuper homines, ſuper elementa, & ſuper res omnes elementares. Quod prȩſint Dæmonibus, probatur in Sacra ſcriptura multis in locis, præſertim *Tob.*8. de Raphaele, qui religauit Diabolũ Aſmodeum in deſerto, ne noceret Tobiæ iuniori, cum ſaram in vxorem accepit, ſicut fecerat ſeptem alijs eiuſdem maritis. Et habetur expreſsè in *Apocalypſ.*12.ibi:*Factum eſt prælium magnũ in cælo, Micheael, & Angeli eius præliabuntur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt neq; locus inuentus eſt eorum amplius in cælo, & proiectus eſt Draco ille, &c.* Præſunt etiam, & poteſtatem dominatiuam habent ſuper homines, ipſos puniendo, iuſſu Dei, vt habetur 2. *Paralip.* 32. & *Iſai.* 37. de Angelo percutiente, & occidente in nocte vna centum ſexaginta quinque millia hominum de exercitu Senacherib Regis Aſsyrorum, qui Hieruſalem obſederat. Et 2. *Machabeor.* 3. habetur, quod cum Heliodorus vellet templum Domini depredare, apparuit illi quidam equus, terribilem habens ſeſſorem, qui ei priores calces eliſit. Inſuper apparuerunt duo Iuuenes virtute decori, & optimi Gloria, qui circumſteterunt Heliodorum; & ex vtraque parte flagellabant eum ſine intermiſſione, multis plagis verberantes. Et 2.*Reg. vlt.* habetur de Angelo, qui gladio peſtis occidit ſeptuaginta millia de Populo Iſrael, propter peccatum inanis glorię Dauidis. Et *Exod.*11. de Angelo percutiente primogenitos Ægyptiorum. Et *Luc.* 1. de Archangelo Gabriele, qui percuſſit Zachariam in lingua, quia non credidit ei reuelanti conceptum Ioannis Baptiſtæ. Habent ſimiliter maximum dominium, & poteſtatem ſuper creaturas omnes irrationales: vt habetur *Eccleſ.* 1. ibi: *luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus*; ideſt Angelus, qui eſt motor ſolis, cum ibi Salomon loquatur de ſole; quia Planetæ non ſunt corpora animata, ſed Angeli ſunt motores orbium, ſeù Planetarum, vt ait *Diu.Anton.*3.*p.tit.*31. *c.*5. §. 1. *in fin.* vbi etiam habetur, quod omnia elementa ſunt eis ſubiecta ad nutum, quoad motum localem. Propterea ad imperium Angelorum pluit ignis, & ſulphur ſuper ſodomam, & Go-

Digitized by Google

Gomorram, vt habetur *Geneſ.* 19. ibi: *Delebimus locum iſtum* (loquentes cum loth) *eo, quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos vt perdamus illos*, & in multis aliis Sacræ Scripturæ locis hoc dominium, & poteſtas Angelorum probatur. Et eſt communis ſententia Theologorum, quod prodigia, quæ fiunt in mundo, fiant per Angelos, qui ſunt de ordine Virtutum; vt aſſerit *Benzon. in ſpec. lib.* 1. *diſp.* 1. *q.* 8. *litt. D.*

6 Angeli ſunt innumerabiles, & quaſi infiiniti, itá vt impoſſibile ſit eorum numerum certò ſcire; licet enim *Daniel.* 7. dicatur: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*; tamen ibi ponitur numerus determinatus pro indeterminato, ad denotandum infinitum eorum numerum. Et certè decens, atque congruum fuit, innumeros eſſe ad demonſtrandam Dei magnificentiam, quia Dignitas Principis eſt multos habere miniſtros, ſicut è contra dedecus habere paucos. Et ſicut Deus in natura corporea multas, & ferè innumeras rerum ſpecies creauit: ſic conuenientiſſimum fuit, & Angelorum infinitas ſpecies in Cæló collocare, & eſſe; nam vt ait *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 50. Angeli, inquantum ſunt immateriales ſubſtantiæ, in quadam maxima multitudine ſunt, omnem materialem multitudinem excedente. *Diu. Dioyſ. de Cæl. Hierarch. c.* 10. ait: *Multi ſunt Dei exercitus ſupernarum mentium, infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrarum materialium commenſurationem; excedunt enim incomparabiliter ſubſtantiæ immateriales omnes ſubſtantias materiales.* Quamuis autem Angeli innumerabiles, & ferè infiniti ſint: nullam tamen confuſionem, vel diſſonantiam cauſant, vt paſſim fit, vbi multitudo inuenitur, ſed mirabili, ac iucundiſſimo ordine pulcherrimè, & diſcretiſſimè diſpoſiti ſunt in tribus Hierarchijs, quæ Nouem ordines, ſeú Choros continent, cum quælibet Hierarchia tres diſtinctos ordines habeat; quia quæ á ſapientiſſimo Deo ſunt, vtique ordinata ſunt, ſecundum *Apoſtol. ad Roman.* 13. Qui ordines deſignantur per lapides *in can. principium §. nouem de pænit. diſt.* 2. & notat *Diu. Dionyſ. Areop. de cæleſt. Hier. c.* 6. & 7. Id quod, *D. Gregor. in moral & homel.* 34. *in euangel.* explicat his verbis: *Nouem eſſe Angelorum ordines diximus, quia videlicet teſtante ſacro eloquio, ſcimus eſſe Angelos, Archangelos, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Eſſe namque Angelos, & Archangelos penè omnes ſacri eloquij paginæ teſtantur. Cherubim verò, & Seraphim ſæpè vt notum eſt, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apoſtolus ad Ephæſios enumerat dicens: ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursùs ad*

Coloſ-

Digitized by Google

*Coloſſenſes ſcribẽs ait: ſiuè Throni, ſiuè Dominationes, ſiuè Principatus ſiuè Poteſtates, &c. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephaſios dixit, coniunguntur Throni, quinque ſunt ordines, qui ſpecialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli, & Archangeli, Cherubim quoque, ac Seraphim iunguntur, proculdubio, nouem eſſe Angelorum ordines inueniuntur, &c.* Vnde ſicut in Eccleſia triumphante ſunt nouem ordiness ſic etiam in Eccleſia militante ſunt alij nouem ordines, de quibus *in c. Cleros 21. diſt.*

8 Prima igitur Hierarchia, & ſuprema comprehendit Ser aphim; dende Cherubim, & poſtea Thronos.

Secunda Hierarchia continet tres alios Angelorum ordines, ſcilicet Dominationes, Principatus, & Poteſtates.

Tertia Hierarchia continet tres alios, nimirum Virtutes, Archangelos, Angelos, ſecundum *Diu. Greg. Dionyſ., Thom, & Alios.*

## *Prima Hierachia.*

9 IN priori itaque ordine, ſeù Choro primæ Hierarchiæ continentur Angeli ſupremi, Seraphim dicti, ardentes igne charitatis, Deo viciniores, Diuinam contemplantes eſſentiam, vt habetur *Eſai.6. & 4. Reg. 2.*

In ſecundo Choro collocanrur Chernbim, qui interpretantur multitudo, & plenitudo ſcientiæ. *Eſai. ibid., Ezechiel. 9. & 28. & Dau. pſalm. 79.*

In tertio Choro ſunt Throni, in quibus ſingulariter relucet certitudo, ac rectitudo iudicij Diuini, & voluntatis Dei. *Diu. Paul. ad Coloſſ. 1. & ad Galat. 3. & Actor. 8.*

## *Secunda Hierarchia.*

IN quarto Choro ſunt Dominationes, qui habent omnia ipſis ſubiecta, & omnibus dominantur rebus. *Diu. Dionyſ. Areop. vbi ſup. c. 8.* Et imperant Diuina præcepta alijs Angelis inferioribus. *Zachar. 20.*

In quinto Choro continentur Principatus, apud quos reſidet perfecta cognitio ducendi, & Regendi omnes. *Idem Diu. Dion. ibid. & Diu. Iſidor. lib. 7.*

In ſexto Choro inueniuntur Poteſtates, in quibus reſidet modus coactionis iuſti, & legitimi. *Idem Dion. ibid.*

Ter-

Digitized by Google

## *Tertia Hierarchia.*

IN ſeptimo Choro inueniuntur Virtutes, quæ ſunt Angelorum agmina habentia miniſteria ad virtutes, prodigia, & miracula facienda; & habent exceſſum fortitudinis, *Diu. Dionyſ.ibid.* & *Bart. Angl.lib.2.de propr.rer. verſ. ſeptimus eſt.*

In octauo Choro continentur Archangeli,qui primatum tenent inter Angelos, quaſi Principes eorum. Nunciant autem Nobis maiora Dei arcana. *Doct. cit.* & patet ex myſterio Sanctiſſimæ Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ: Nec non in reuelatione Zachariæ Pontificis, quod futurus eſſet Pater Ioannis Baptiſtæ;ac etiã in illo Tobiæ. *vt Luc.1. Tobiæ 11. & S. Iſydor.lib.8.*

In nono Choro, ſeù ordine continentur Angeli, qui ſunt ſpiritus deputati ad nunciaudum Populis Dei voluntatem, & illam exequendam. *Dionyſ. & Alij proximè citati.*

10 In ſupradicto ordine relucet mirabiliter myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis; In vnitate namque Hierarchiæ innuitur vnitas Diuinæ eſſentiæ; in tripartito ordine oſtenditur Trinitas Perſonarum, vt ait *Diu. Ant.3. p. tit. 31. c.6.* §.1.vbi etiam aſſerit,quod Deus amat in Seraphim, vt Charitas: nouit in Cherubim,vt veritas: ſedet in Thronis,vt æquitas: dominantur in Dominationibus, vt Maieſtas: regit in Principibus,vt Principium,tuetur in Virtutibus,vt Virtus; ſaluat in Poteſtatibus,vt ſalus,reuelat in Archangelis, vt lux; aſſiſtit in Angelis, vt Pietas. Vnde in prima Hierarchia æquitas in Thronis refertur ad Patrem; cognitio veritatis in Cherubim refertur ad Filium; Ardor amoris in Seraphim ad Spiritum Sanctum. In ſecunda Hierarchia maieſtas Dominationis refertur ad Patrem; rectitudo Principandi ad Filium; ſalus in tuendo poteſtatem ad Spiritum Sanctum. In tertia Hierarchia operatio Virtutum refertur ad Patrem; reuelatio lucis ad Filium; inſpiratio intellectus ad Spiritum Sanctum.

In quolibet etiam Angelo relucet ſimiliter myſterium eiuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis; *vt ait Diu. Dion. & Diu. Anton. loc. citatis*; nam in quolibet tria reperiuntur neceſſariò diſtincta; eſſentia ſcilicet, Potentia, & operatio; & tamen in vno ſunt; & ſic omnia illa tria in quolibet ipſorum inueuiuntur. Et ſimiliter demonſtratur in alio prædictum myſterium, nam omnes Angeli benedicunt. Dominũ dicentes ter *Sanctus Sanctus Sanctus* alter ad alterũ;vnde idẽ myſterium Trinitatis in vna Diuinitate demõſtratur. *S.Iſyd.l.7.c.5.*

11 Et eſt notandum cum *Diu. Thom.* 1. p. 2. diſt. q. 1. quod Angeli cuiuſcumque ordinis, non ſunt æquales. *Et inſuper ibid. q.* 50. *ar.* 4. quod Angeli differunt ſpecie, etiam in quolibet ordine, vt Leo ab equo; non tantum numero, vt Carolus à Franciſco, ſicut aſſerebant quidam, quod omnes Angeli vnius ordinis differrent numero, ſed conuenirent in vna ſpecie, vt omnes homines ſunt eiuſdem ſpeciei humanæ. Quod probat etiam. *Diu. Dionyſ. de diuin. nomin. cap.* 10. Dicens, quod in Angelis etiam vnius ordinis ſunt primi, medij, & vltimi, ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei: vnde vnus eſt alio maior, & vnus alio perfectior.

12 Eſt ſimiliter notandum, quod ex omnibus prædictis ordinibus ceciderunt Aliqui Angeli poſt peccatum Luciferi, *vt Apocalypſ.* 12. *& DD. cit. probant.* Ideò Animæ hominum, qui ſaluantur, ad omnes ordines aſſumentur in Paradiſo ad æternam Beatitudinem fruendam, ſecundum vniuſcuiuſque meritum. *Diu. Thom.* 1. *p. per tot.*

13 Habent autem Angeli homines in cuſtodia, *vt habetur per Dau. in pſalm.* 90. ibi: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*; *& Matth.* 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt*; & *Diuus* Hieron. *ſup. dict. loc. Matth.* 18. ait: *Magna Dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis* in cuſtodiam ſui Angelum deputatum. Hinc eſt, quod *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 13. Dicit, quod ſingulis hominibus ſingulares Angeli deputati ſunt in cuſtodiam, vbi aſſignat rationem, quia Angelorum cuſtodia eſt quædam exequutio diuinæ prouidentiæ circa homines; qui ſunt incorruptibiles, non ſolum quantum ad ſpeciem communem: ſed etiam quantum ad formas proprias ſingulorum, quæ ſunt animæ rationales. Vnde quilibet homo comparatur ad ſingulas ſpecies, ſeù genera corruptibilium, quæ ordinata ſunt ad res perpetùas.

14 Præſunt enim Angeli diuerſi ordinis diuerſis rerum generibus, & ſpeciebus, vt ait *Diu. Crag. vbi ſupra,* Et idem tradit. *Diu. Auguſt. lib.* 83. *quæſtionum cap.* 79. vbi aſſerit, Angelos præfici ſingulis rerũ generibus, & ſpeciebus. Vnde *Apocal.* 14. Vnus Angelus dicitur habere poteſtatem ſuper Ignem. *Et ibid. c.* 16. Alius vocatur Angelus Aquarum.

Neque hoc admirationem afferre debet; ſi enim Deus ipſe ſumma ſua Prouidentia rerum omnium curam habere dignatur, & vt in Sacra Scriprura habetur, eſcam dare pullis coruorum, & fænum iumentis, ac veſtire lilia agri: quid mirum ſi harum quoque cuſtodiam Angelis commiſerit, quæ propter hominem creauit? Hinc eſt

eſt, quod dum Sacræ paginæ creaturas rationis expertes alloquuntur, vt Ignem, Aquam, fontes, volucres, Beſtias, & cæt., eaſque ad laudandum Deum inuitant, ſecundum Doctores communiter, referuntur ad Angelos cuſtodes, quos rogant, vt has omnes creaturas ſibi commiſſas, ad Dei gloriam dirigant. ita *Ludou. Abelly. in ſua Theolog. tom.1. tr.4. c.3. ſect.3.*

15 Præſunt etiam Angeli ſingulis Regnis, Prouincijs, Rebuspublicis, Ciuitatibus, Caſtris, locis, officijs, Dignitatibus, familiis, ſocietatibus, & cæt. de omnibus ordinibus, ſecundum maiorem, vel minorem eorum dignitatem, vt proſint in illis defendendis cuſtodiendis, iuuandis, deducendis, ſanandis & cæt. vt decet. *Petr. de Greg. in ſyntax. c.2.* Eſt autem notandum, quod cuſtodia particularis, quæ exhibitur ab Angelis, pertinet ad Angelos infimi ordinis, *Sec. Diu. Dionyſ. Gregor; Thom;* & Alios. Ad homines autem, qui Dei prouidentia deputati ſunt ad maiora exercenda in aliqua ſuprema dignitate, licet ſint pares natura cum cæteris hominibus, deputantur ad cuſtodiam, vel Superiores de dicto ordine, cū *vt diximus ſup. ex Diu. Ant. 3.p. tit. 31. cap.6.* §. 1. vnus ſit alio perfectior, quia differunt ſpecie, etiam in eodem ordine; Vel Angeli de aliis ordinibus ſuperioribus. Hinc fit, quod Principes, & alii in dignitate conſtituti habeant duos Angelos Cuſtodes, vnum ratione perſonæ indiuidualiter, ſicut cæteri homines, ſecundum illud. *Matth.* 18. & *pſal.* 90. Qui ſunt de inferiori ordine; Alterum verò Angelum habent, ratione dignitatis, vel officii, aut Prælaturæ, & iſti ſunt, vel maiores eiuſdem ordinis, vel ſunt ſuperioris ordinis, vt legitur de Eliſęo Propheta. 4. *Reg.* 2. de quo dicitur, quod habebat multos Angelos ad ſui defenſionem. *vid. Gullielm. de Benedict. in cap. Raynutius ver. adiecta impuberi de teſtament.*

16 Datur verò iſta cuſtodia Angelorum à Deo omnibus hominibus, qui viatores ſunt ad cæleſtem Patriam; ratio eſt ſecundum *Doctores prædictos Thom. & Alios*, quia homo in præſenti vita cōſtitutus eſt in multis periculis interiorib., & exteriorib vt ait *Dau. pſ Via illorum tenebræ, & lubricum*, ſcilicet ratione concupiſcentiæ interioris, *& Angelus* Domini, ideſt Diabolus *perſequens eos.* Et ſicuti ambulanti per viam non tutam datur cuſtòdia; ita nobis datur cuſtodia Angelorum vſque quo perueniamus ſecuri ad terminum Patriæ cæleſtis, quibus mandauit Deus, vt cuſtodirent nos in omnibus viis noſtris. Neque hac Angelorum cuſtodia priuantur Infideles omnes cuiuſcumque ſint ſectæ; imò neque Antichriſtus hoc auxilio priuabitur; per quam cuſtodiam, licet non iuuėntur ad vitam

æternam merendam per bona opera,iuuantur tamen,vt à quibuſdam malis retrahantur,quibus, & ſibi,& Aliis nocere poſſent,*Diu. Anton. ibid. §.4. in fin.*

17 Mittuntur Angeli ad homines adiuuandos ipſis ſuam opem exhibentes, aliquando viſibiliter, & aliquando inuiſibiliter, ea tamen forma, vel quæ congruit myſterio, vel concipi poſſit ab eo, cui apparent; vt tradit. *Petr. Cragor. in comment. prologom. cap.* 12. Licet ferè ſemper & communiter appareant in forma Iuuenum, vt habetur. *Matth.vlt.* de mulieribus, quæ ibant ad monumentum Chtiſti, vt vngerent corpus eius, viderunt Iuuenem, ideſt Angelum coopertum veſte candida. *Et tobiæ*, de Raphaele, qui apparuit Thobiæ in forma Iuuenis,propter quod dixit ei: *Vnde habemus te o bone Iuuenis.* Et *Lucæ* 1. de Gabriele, qui apparuit Beatæ Virgini annuncians myſterium incarnationis Verbi. *Et Zachariæ* natiuitatem Ioannis Baptiſtæ; *Et Geneſ* 18. de Abraham, cui Angeli in forma Iuuenum, & Loth apparuerunt docentes de excidio ſodomorum, cum infinitis ferè alijs Sacræ Scripturæ locis. Ratio quare, vt plurimum plus illis placet apparere in forma puerili, quam in alia, vt innuit. *Dauid. pſalm.* 67. *praueneruut principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum*, aſſignari poteſt, quod cum Angeli ſint pura ſubſtantia ſpiritualis, Deo quaſi ſimiles, vt inquiunt. *D.D. ſup. cit.* magnoperè diligunt puritatem, & caſtitatem, quæ in ætate puerili maximè conſeruatur, vnde pueorum animæ puriſſimæ ſunt, & ad amandum Deum feruidores, vt habetur *in Cantic.* 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*;ideo hanc formam libentiſſimè ſuſcipiunt. Quapropter Eccleſia ad demonſtrandam ſimpliciſſimam Angelorum naturam; proponit illos ante oculos noſtros in forma inuenili puerorum cum inſtrumentis Muſicis in manibus, quia eorum officium eſt laudare Deum in Eccleſia triũphante, ſicut & omnium Beatorum vt habetur. *Apocal.* 72. *Benedictio, & claritas, & gratiarum actio & cæt.* & *Tob. penult. Per omnes vicos eius cantabitur Alleluia*, Quod interpretatur Laudate Deum omnes. Cum igitur Angeli, tam ſingulariter diligant caſtitatem. quilibet homo ſtudere deberet non admittere peccata carnalia in anima ſua, quæ multum illam maculant, ne diſpliceret Angelo ſuo Cuſtodi,qui ſũmoperè ſpurcitias,& immunditias ſenſualitatis abhorret, & quaſi certo modo, cum talia committimus à nobis aliquantulum recedit. Nam ſi malum eſt offendere hominem,qui nobis aliquod minimum bonum temporaneum præſtat: quantò maius malum, & ingratitudinem committit ille, qui per peccata car-

Digitized by Google

carnalia offendit Angelum cuſtodem ſuum ſummum Benefacto-rem incomparabiliter? cum ipſe cuſtodiat, dirigat, & gubernet; ad effectum conſequendi perfecta, & immarceſcibilia bona, quæ finem non habent, vt ſunt fælicitates ineffabiles Paradiſi. Ideo quando quis ſentit ſe tentatum à Diabolo per ſuggeſtionẽ ad peccata carnis, recurrere debet confidentiſſimè ad Angelum ſuum cuſtodem, inuocando illum, & orando, vt ipſi auxilium præſtet, præſeruando à malo, & periculo peccandi, dicendo: *Angele Dei, qui cuſtos eſt mei me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna*; Et ſic experietur quis effectus mirabiles protectionis illius.

Apparent tamen aliquando in alia forma viſibili, vt refert. *Nicephor. Caliſt. lib.7. hiſt. Eccleſiaſticæ cap. 50. & Sozomen. lib. 1. hiſt. tripart. c.*19. de Archangelo Michaele apparente Conſtantino Imperatori in forma viri, quem adiuuerat in bello. *Et idem Nicephor. lib.* 14. *hiſtor. Eccleſ. c.*7. Narrat de Alio Angelo, qui apparuit in habitu Paſtoris Aſparo Duci militiæ Theodoſij Imperatoris Iunioris, dum perſequebatur Ioannem rebellem verſus Rauennam, quam poſtea eius ducto occupauit vna cum Tyranno.

Aliquando etiam apparent ex Dei voluntate, inuiſibili modo, abſque corporali hominis forma, vt habetur *Geneſ.*21. dum Abraham immolare vellet Iſaac Filium ſuum, & *Geneſ.*22. & *Daniel.* 14. cum Abachuch Profeta voce Angeli edocetur de carcere, & Anguſtia Danielis, & illuc per capillos transfertur ad deferendum cibum, & 4. *Reg.*1. cum Elias ab Angelo audiuit, vt ad Ochoziam ſine timore pergeret: *Et* 1. *Reg.* 3. cum puer Samuel ter per Angelum vocatur, vt prædiceret Heli ſacerdoti, eiuſque Filijs necem eorum.

18 Notandum autem eſt, quod Angeli, qui hominibus apparent, ſunt de quinque tantum ordinibus inferioribus ſecundæ, & tertiæ Hierarchiæ, vt *Diu. Anton. 3.p. tit.* 31. *c.*6. §. 4. docet; nam de tribus ordinibus primæ Hierarchiæ, vt Seraphim, Cherubim, & Thronorum nullus nobis mittitur, ſed ſemper Deo aſſiſtunt; Dominationes, qui ſunt de primo ordine ſecundæ Hierarchię neque mittuntur, cum etiam aſſiſtant, ſed tamen diſponunt de mittendis. Hi aſſiſtere dicuntur, quia à Deo immediatè illuminationem accipiunt de ſecretis Diuinotum myſteriorum. Alii vero quinque ordines miniſtrare dicuntur, quia & quidã ex eis aliquãdo mittũtur ad nos, & illuminationes de diuinis ſecretis circa nos agẽdis à ſuperio-

bus

bus Angelis aſſiſtentibus recipiunt communiter. Nec ex eo quod mittuntur, non aſſiſtunt etiam Deo inquantum aſſiſtere importat viſionem Diuinæ Eſſentiæ, quia ſemper omnes ſunt aſſiſtentes. vt Idem D. *Anton. vbi ſupra*, & *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 113. vbi ponit duplicem miſſionem Angelorum, exteriorem, & interiorem: exterior; eſt ad aliquod myſterium exhibendum circa corporalia, & ſecundum hanc mittuntur de quinque ordinibus tantum: inferior verò miſſio eſt, ſecundum intellectuales effectus, prout vnus Angelus illuminat alium, & ſic omnes Angeli, etiam ſupremi mittuntur, quia illuminant Angelos, qui mittuntur ad illuminandum nos. Et hoc ſenſu intelligendum eſt illud *Eſai.* 6. vbi dicitur, quod vnus Seraphim miſſus fuit ad purgandum labia Iſaiæ; licet enim ſecundum D*iu. Dionyſ.* fuerit Angelus de ordine inferiori, tamen dicitur Seraphim, propter officium, quia miſſus fuit ad incendendum labia Iſaiæ. D*iu. Anton. ibid.*

19 Sed quæritur, quo tempore Angelus deputetur ad cuſtodiam animarum; poſt animationem ne fœtus in vtero matris, an cum naſcitur in mundo egrediendo ex vtero? & Reſpondetur cum D*iu. Thom. vbi ſup.* & D*iu. Anton. ibid. Hieronym.* & Al. quod deputatur ad cuſtodiam in natiuitate, cum eſt ſeparatus partus à matre; nam cum eſt in vtero matris, non indiget Angelo particulari, quia Angelus matris cuſtodit etiam fœtum animatum, tanquam partem matris.

20 At verò, quia Angeli conferunt hominibus infinita ferè beneficia, & ſpiritualiter, & temporaliter, vt quotidiè quilibet experitur; imò ſingulis momentis exhibent nobis inuiſibiliter auxilium in omnibus neceſſitatibus, & periculis: Ideo ad excitandam erga illos maiorem deuotionem, afferam hoc loco quædam, partim deprompta ex ſacris litteris, & partim ex ſacris Doctoribus. Ex quibus colligi poteſt quantam illis debeamus obligationem, & quanta fiducia ad ipſos recurrere poſſimus, & debeamus in omnibus noſtris operibus, & neceſſitatibus. Cuſtodiunt enim nos defenden-

21 do, & præſeruando ab inſidijs Diaboli, nam vt ait. *Diu. Greg. lib.* 28. *moral.* Diabolus ſciens complexiones hominum, cognoſcit etiam inclinationes, ſecundum illas, & ideo tentat nos ad diuerſa vitia procliues. ſuggerit enim ſanguineis vana gaudia mundi; laſciuis obſcœna: Iracundis vindictam: Phlegmaticis pigritiam, & inanẽ gloriam: Melanconicis ſuſpiciones, & deſperationes, & ſic de cæteris. ſed è contra Angeli boni purgant phantaſiam à phantaſmatibus vitiorum, & proponunt bonas, & virtuoſas. Si tamen homo

Digitized by Google

mo conſentit ſuggeſtionibus Diabolicis , ex libertate arbitrij ſui
dependet, cum poſſit etiam liberè conſentire bonis inſpirationi-
bus Angeli cuſtodis. Et eſt notandum ex *Diu. Antonin. vbi ſupra* §.
4. *in med. & Magiſtr. ſentent. lib.* 2. Quod ſi quis ſemel tentatus in
aliquo peccato vicerit tentationem, Diabolus, qui tentauit, non
ſolet amplius redire ad tentandum illum, præſertim de illo vitio.
Secundò eſt notabile etiam de præſeruatione Animæ ab Angelo
22 ab inſidijs Diaboli, illud factum Iudith præſeruatæ à periculo in-
cidendi in peccatum cum Holoferne, vt habetur. *Iudith.* 13. illis
verbis: *Viuit Dominus , quia cuſtodiuit me Angelus eius hinc euntem, &
ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* Tertiò ſimiliter *Geneſ.* 32. ha-
betur quod Angeli miniſtrabant Iacob, cum timeret Eſau, vnde
inquit. *Caſtra Dei ſunt hæc, & cæt.*

Quartò. Probatur etiam , quod impediunt mala nobis immi-
23 nentia in temporalibus. *Exod.* 14. facto Angeli qui præſidebat Po-
pulo Dei, qui ne offenderetur ab Aegyptijs, poſuit ſe poſt Populum.
*Et 2. Machab.* 3. facto Heliodori quærentis expoliare templum, qui
ab Angelis verberatus, & impeditus fuit. *Et Genneſis* 19. habetur
De Loth. liberato à periculo ſodomorum ab Angelis. *Et Geneſ.* 12,
de Iſaac liberato ab Angelo a mortis periculo.

Quintò. Illuminant nos reuelando ſecreta fidei, & ab erroribus
24 ad verum lumen reducendo, vt *Zachar.* 4. ibi : *Reuerſus eſt Ange-
lus , qui loquebatur in me, & ſuſcitauit quaſi vnum , qui ſuſcitatur de gra-
ui ſomno.*

*Et Matth.* 1. habetur , quod Angelus apparuit Ioſeph, cui reue-
lauit Diuinum myſterium, ne dimitteret Mariam coniugem.

*Et Luca.* 1. Habetur quod Archangelus Gabriel illuminauit B.
Mariam ad myſterium incarnationis, & tunc dixit: *Ecce Ancila Do-
mini fiat mihi ſecundum verbum tuum* , quæ potius dixerat : *Quomodo
fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.*

*Et Matth.* 1. patet de Ioſeph illuminato, vt fugeret in Egyptum.
Et poſt mortem Herodis, vt rediret. *Matth.* 2.

Et *Geneſ* 28. de Iacob. illuminato , cum vidit Angelos aſcen-
dentes, & deſcendentes per ſcalam.

Sextò. Reuelant nobis ſecreta Dei , vt habetur. *Tob.* 12. de Ra-
25 phaele , qui manifeſtauit veritatem quis eſſet : ibi : *Manifeſto ergo
vobis veritatem , & non abſcondam à vobis occultum ſermonem.*

Septimò. Inſtruunt nos in ambiguis , vt habetur. *Daniel.* 9. de
Gabriele, qui docuit Danielem. ibi : *Et docuit me , & loquutus eſt mi-
hi, Daniel, nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres.* Et *ibid. c.* 10,
ibi:

Digitized by Google

ibi: *Daniel vir deſideriorum intellige verba, quæ ego loquor ad te, &c.*

27 Octauo præſeruant nos à pœnis, vt habetur *Daniel.3.* de Angelo, qui cuſtodiuit tres pueros à flamma ignis fornacis ardentis Nabuchdonoſor, & à morte: ibi: *Angelus Domini deſcendit de Cælo, cum Azaria, & ſocijs eius in fornacèm, & excluſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem.*

28 Nono confortant nos, cum ſumus in aliqua tribulatione, & triſtitia, vt habetur *Tob.5* de Raphaele, qui confortauit Tobiam, cum cæcus eſſet, dicens: *forti animo eſto, in proximo eſt, vt à Deo cureris.*

*Et Daniel.* 10. cum Daniel cecidiſſet in terram, tetigit eum Angelus Domini, & dixit: *Noli timere, Vir deſideriorum, Pax tibi, confortare, & eſto robuſtus.*

29 Decimo orant pro Nobis ad Deum, etiam totam terram deambulando, ad noſtram vtilitatem, vt habetur *Zachar.1.* ibi: *Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quieſcit. Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vſquæquo tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?*

30 Vndecimo compatiuntur nobis ſpiritualitèr in aduerſis poſitis; vt habetur *Eſai. 33.* ibi: *Ecce videntes clamabunt foris; Angeli pacis amarè flebunt: Diſſipatæ ſunt viæ, &c.*

31 Duodecimo ſuccurrunt nobis in ceſſitate Conſtitutis, etiam miniſtrando victum; vt habetur *3. Reg.19.* de Elia, qui cum fugeret à Iezabel, & dormiret in vmbra Iuniperi, apparuit illi Angelus Domini, & dixit: *Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexiſſet, cõmedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb.*

Et *Daniel.* 14. habetur de Angelo, qui portauit Abacuch per capillos à Hieruſalem in Babyloniam cum prandio, quod deferebat meſſoribus, vt Daniel ex eo reficeretur; cum ſtaret in lacu leonum ieiunus.

32 Decimotertio per aliquot dies conſolantur nos in tribulationibus poſitos, vt *Geneſ.* 16. habetur de Angelo, qui dixit Agar: *Reuertere ad domum tuam, & humiliare ſub manu illius; & multiplicabo ſementuum, & non numerabitur præ multitudine.*

Et *Luc.22.* habetur de Angelo, qui deſcendit ad Chriſtum Dominũ noſtrum in Orto orantem cum maxima agonia. ibi: *Apparuit autem illi Angelus de Cælo confortans eum.*

33 Decimoquarto remouent à nobis, ea, quæ impedire poſſunt aliquod bonum facere, & impedimentum præſtant his, quæ ſunt occaſiones malorum, & ad bonum reuocant; vt habetur *Exod.12.* de

An-

Digitized by Google

Angelo, qui percuſſit primogenita Ægypti, vt tolleret eis occaſionem mali.

Et *Geneſ.* 21. Habetur de Angelo, qui dixit Agar, cum fugeret à Domina ſua cum puero. *Quid agis Agar, noli timere; ſurge, tolle puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.*

34

Decimoquinto. Docent nos quomodo agere debemus pænitentiam de pececatis, dant modum orandi, ac gubernandi domum, vxoris arrogantiam cohibendi, & Dæmones ligandi; vt habetur *Tob.* 5. De Angelo, qui docuit Tobiam de via Medorum, & de Gabelo fratre ſuo, &cæt. Et *ibid. c.* 12. Haberur de reliquis, illis verbis: *Quid dignum poterit eſſe beneficijs eius, me duxit, & reduxit anum, pecuniam à Gabelo recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & Dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, & cæt.* Ex quo conſilium datur omnibus vxorem ducere volentibus *à Caſſan. in Conſuet. Burgund. rubric. des droices, & appartenances à gens maries*; vt Rapbaeli Archangelo ſe commendent, ad hoc vt bonam, & morigeratam vxorem inueniant, quia à Domino datur vxor prudens, ſicut dos à parentibus, vt dicitur. *Prouerb.* 19. illis verbis: *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens.*

35

Decimoſexto offerunt Deo orationes noſtras, & bona opera, vt habetur. *Tob.* 12. ibi: *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos; ego obtuli orationem tuam Deo.*

Et *Daniel*. 9. Habetur de Angelo, qui dixit Danieli: *Ab exordio præcum tuarum egreſſus eſt ſermo, ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.*

36

Decimoſeptimo excitant nos à ſomno culpæ, vt habetur *Zach.* 4. De Angelo, qui excitauit Zachariam, in illis verbis. *Angelus Domini excitauit me, quaſi hominem, qui excitatur à ſomno.*

Et *Actor.* 12. de Angelo, qui percuſſo latere Petri, excitauit eum dicen: *Surge velociter.*

37

Decimo octauo, Debilitant vires concupiſcentiæ, vt habetur. *Geneſ.* 32. de Angelo, qui tetigit neruum fæmoris Iacob, & emarcuit, cum videret, quod eum in lucta ſuperare non poſſet.

38

Decimo nono. Purgant corpora noſtra ab impedimentis naturalibus, vt habetur *Eſai.* 6. De Angelo, qui abſtulit impedimentum loquelæ Iſaiæ in illis verbis: *Et volauit ad me vnus de ſeraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum: & dixit: Ecce tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.*

39

Vigeſimo. Reprehendunt nos de peccatis præteritis vt ab eis



Digitized by Google

diſcedamus, & illa deteſtemur, vt habetur. *Nu.* 22. de Angelo qui reprehendit Balaam in eo, quod ter aſinam percuſſerat; & tunc dixit, *Peccaui neſciens, quod tu ſtares contra me; & nunc ſi diſplicet tibi, vt vadam, reuertar.*

40 Vigeſimo primo. eripiunt nos à peccatis præſentibus, vt habetur *Geneſ.* 19. de Angelis, qui cæcos reddiderunt populos ſodomorum, ne peccare poſſent, non valendo inuenire oſtium domus Loth.

41 Vigeſimo ſecundo Impedimentum præſtant nobis, ne in futurũ peccemus, aliquãdo inuiſibiliter, & aliquãdo viſibiliter apparendo, vt habetur etiam vbi ſupra. *Num.* 22. de Angelo impediente Balaam priùs inuiſibiliter terrendo aſinam, ne ambularet; & poſtea viſibiliter, increpando illum, vt reuerteretur retrò.

Et *Apocal.* 18. habetur de Angelo, qui præcepit Populo, ne peccaret dicens: *Exite de illa Populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius.*

42 Vigeſimo tertio. repræſentãt mentibus noſtris memoriam rerum vtilium, & myſteriorum quorumdam, quibus mediantibus ſalutem animæ conſequamur, vt Verbi gratia imprimendo noſtris mentibus memoriam Paſſionis Chriſti, doloris Beatæ Virginis, martiria Sanctorum, & cęt., de quo habetur. *Ezech.* 9. de Angelo tranſeunte per Hieruſalem, qui ſigna Thau impreſſit frontibus virorum gementium, & dolentium ſuper peccata, quæ fiebant.

43 Vigeſimo quarto. defendunt nos ab Inimicis corporalibus, & viſibilibus, etiam illos percutiendo, vt habetur. 4. *Reg.* 19. De Angelo; qui percuſſit exercitum Aſſyriorum, in illis verbis: *Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum ottaginta quinque millia.*

Et *Geneſ.* 31. habetur de Angelo, qui dixit laban: *Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.*

Et 2. *Machab. vlt.* habetur de Angelo, qui apparuit Machabæo in ſomnio: ibi: *Poſt hoc apparuiſſe, & alium virum, & dediſſe Iudæ gladium aureum, & cæt.*

Et 2. *Mach.* 3. de Angelis, qui percuſſerunt Heliodorum volentem templum Dei inuadere.

44 Vigeſimo quinto. Protegunt nos, & defendunt ab inimicis inuiſibilibus, vt habetur in pſſam. Dau. 33. ibi: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Et *Apocal.* 12. habetur de victoria habita ab Archangelo Michaele contra Draconem: ibi: *Et factum eſt prælium magnum in cælo; Mi-*

*chael*

Digitized by Google

*chael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.*

Quod bellum, *vt ait Diu. Anton. 3. p. tit. 31. cap. 5. §. 1.* intelligitur de voluntate auerſa à Deo, quoad Angelos malos,& de conuerſione ad Deum, quoad bonos, qui quaſi victoriam habuerunt, quia non ſunt imitati malos,qui quaſi deuicti de cælo ceciderunt. Et ſicut Michael vicit Luciferum in principio creationis: ſic deſtruet Antichriſtum in fine mundi, vt inquit Gloſ. ſuper illud. *Apocal. 13. Vidi vnum de capitibus eius occiſum.* Quia, vt dicit eadem *Gloſ. ſuper illud 2. Theſſal. 2. Quem Deus interficiet ſpiritu oris ſui;* Michael occidet Antichriſtum in Monte Olíueti, poſt fictionem reſurrectionis; finget enim ſe mortuum,& per triduum deliteſcet, poſtea apparebit, dicens, ſe eſſe reſuſcitatum; & aſcendet in aerem delatus a Dæmonibus, quem tunc adorabunt omnes,propter apparens miraculum.

45 Vigeſimo ſexto adiuuant nos in ſummis Periculis conſtitutos vt habetur *in 4. Reg.* 6. de Angelis adiuuantibus Eliſæum Prophe, tam ab exercitu Regis Aſſyriorum,qui illum in ſamaria obſedera- in illis verbis: *Conſurgens autem miniſter viri Dei egreſſus eſt, viditque exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nunciauitque ei dicens Heu, heu, heu Domine mi quid faciemus. At ille reſpondit, nolitimere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis, & cæt.* de quo Propheta habetur *in c. reuera de conſecr. diſt.* 2. qui, vt quemdam adiuuaret, ferrum natare, & lignum infundo aquæ deſcendere fecit.

46 Vigeſimo ſeptimo præuidendo mala, quæ commiſſuri ſumus, conantur eripere à nobis occaſiones peccatorum, vt habetur *in c. ſi igitur 24. q. 3.* de Michale Arcangelo altercante cum Diabolo de corpore Moyſi, quod abſconderat, ne inueniretur à Iudęis, qui illud quærebant, vt honorificè ſepelirent, & poſtea adorarent, & ſic in Idolatriæ peccatum incidiſſent, niſi occaſio auferretur.

Et habetur *in Epiſtola Catholica Apoſtoli Iudæ nu.*9. illis verbis: *Cum Michael ArchAngelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit imperet tibi Dominus.* ſic etiam tradidit. *Diu. Hieron. in epiſt. ad tit. cap.* 2.

*Et* Daniel. 6. Haberur de Angelo, qui concluſit ora Leonum, ne nocerent Danieli, ibi: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.*

47 Vigeſimo octauo certant quodammodo inter ſe Angeli, vt nos

ſtrenuiſſimè defendant; vt habetur. *Daniel.* 10. de Principe, ideſt Angelo Regni Perſarum reſiſtente Angelo Gabrieli; in illis verbis: *Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus; & ecce Michael vnus de Principus primus venit in adiutorium meum, &c.* Et in fine dicitur: *Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael Princeps veſter.* Vnde *Diu. Gregor. lib.* 17. *moral. cap.* 7. ait, Principem Regni Perſarum eſſe Angelum Bonum, qui erat cuſtos illius Regni, & ideo reſiſtebat pro Regno ſuo, contra Gabrielem Archangelum, qui deputatus erat cuſtos Populi Iſrael in Perſide, propterea conabatur liberare Populum ſibi commiſſum, quem Angelus Perſarum impediebat; nam, vt ſupra diximus, quodlibet Regnum, quilibet Populus, & quilibet locus habet ſuum Angelum cuſtodem particularem, ſecundum *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 113. quilibet autem Angelus procurat offerre Deo merita gentis, cui præeſt, vt adiuuet; ſed quia ignorant Dei voluntatem, niſi ipſis reueletur per Angelos ſuperiorum ordinum: ideo videntur aliquando inter ſe contendere, donec ipſis reueletur Diuina voluntas ſuper meritis vel demeritis cuiuſquæ gentis, vel Perſonæ, quam cuſtodiunt, ſed reuera nulla eſt inter illos diſcordia, quia in ſuis actionibus Angeli ſecundum Dei ſententiam regulantur; ex quo enim in diuerſis Regnis, ſiue perſonis contraria merita, vel demerita inueniuntur vnus alteri ſubditur, & præfertur; ſcire autem non poſſunt quid agere debent ante reuelationem, repugnantibus inuicem meritis, vel demeritis commiſſæ gentis; vbi verò primò cognoſcunt Diuinam voluntatem, concorditer exequuntur eius ſententiam, cum eorum voluntates ſint ſemper conformes Diuinę voluntati; vt ait. *Diu. Thom. vbi ſupra art.* 8. *& in ſecundo ſentent. diſt.* 11. *Diu. Greg. libr.* 3. *moral. cap.* 11. *Diu. Anton.* 3. *p. tit.* 31. *cap.* 6. §. 7. *in fin.* Nicol. de Lyr. *Apocal.* 10. *in verb. & Angelum; & verb. audiui Angelum.*

48 Quod diximus de Angelis ſibi aliquando repugnantibus, iuxta ſacros Doctores præcitatos, confirmari poſſet authoritate *Plutarchi in lib. de Romanorum fortuna; & Cæl. Rhodigin. in lib. antiquar. lect. c.* 31. *in fin.* vbi refert de Marco Antonio, & Auguſto ſingulari inuicem amicitia iunctis, qui aliquando recreationis cauſa inter ſe ludebant in ludis autem ſemper victor remanebat Auguſtus, cum verò de hoc valdè miraretur Antonius, quidam Diuinator dixit illi: *Antoni quidnam tibi cum adoleſcente iſto: refuge iſtum, & vita: Tu quidem illuſtrior es natu, item grandior; ſed plurium quoque Imperator, bella multa exantlaſti, peritia rerum præſtantior es. At neſcis quo pacto huius ipſius Dæmonem Dæ-*

mon

Digitized by Google

*non reformidat tuus? Quin tua quidem fortuna ex ſe ampla eſt, ſed fortunæ adoleſcentis ſublanditur. Quid ni abieris, procul ad illum deficturam apparet.*

Cum enim vt ſupra diximus, Angeli, ſpecie inter ſe differant, etiam eiuſdem ordinis, à fortiori ſuperioris ordinis,ità quod vnus Angelus eſt alio maior, & fortior; vndè neceſſariò euenit aliquando, vt duo homines inuicem contendentes, vel aliquid agentes, vnus victoriam reportet de altero, contra communem omnium expectationem, vt aſſerunt *præcit. DD.& dicit Caſſaneus in Cat. Glor. Mun.p.9. conſid.* 45.

49 Vigeſimonono gratulantur Angeli, magnam ſatisfactionem recipientes,quando reducunt nos ad pænitentiam,vt habetur *Luc.*10. illis verbis. *Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pænitentiam agente*; E contra verò nimis triſtantur cum in peccata incidimus, vt habetur *Eſaiæ* 33. ibi: *Angeli pacis amarè flebunt*: vbi eſt notandum *ex Diu. Anton. vbi ſup.* quod licet dicatur de Angelis, quod triſtentur, vel doleant de peccatis hominum ſibi commiſſorum; loquutio eſt impropria,quia in eis non ſunt paſſiones doloris,triſtitiæ, & ſimilium cum ſint puri ſpiritus, & dolor, vel gaudium in eis ſunt ſimplices actus voluntatis.

50 Vltimò Angeli,præſertim cuſtodes noſtri deducunt, & portant animas noſtras in Cælum, cum de corporibus egrediuntur, ſi benè, & totaliter purgatæ inueniuntur, & mundæ à peccatis, vt vitam æternam conſequantur, vt habetur, *Exod.*23. ibi: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui cuſtodiat te in via, & inducam in terram,quam promiſi Patribus tuis.* Et *Lucæ* 16. *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.*

Et Eccleſia canit: *Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum, vt perduceret eas in Paradiſum exultationis; quia data eſt ei poteſtas ſuper animas Sanctorum*. At verò,quia quando anima à copore per mortem ſeparatur, aſſiſtunt Angeli boni, & mali, merita, vel demerita ponderantes, vt Dei iuſtitiam exequantur,vel ad æternam gloriam, vel ad æternam pœnam: ideo in Eccleſia Catholica pingitur Michael Archangelus

51 cum ſtatera in manibus in actu ponderandi animas noſtras, ſecundum illud *Daniel.* 5. *Appenſus es in ſtathera, & inuentus es minus habens*

Conuenientiſſimum autem fuit, vt animæ noſtræ ab Angelis ſanctis in Paradiſi gloriam,& requiem deducerentur,quia fuerunt in tota vita ſemper cuſtodes, & coadiutores ipſarum. Propterea quilibet ſpeciali oratione, & ſumma deuotione ſuum Angelum cuſto-

cuſtodem proſequi debet, ac ſemper ſtudere illi complacere, & pertimeſcere peccata in conſpectu illius cõmittere. Imò in omnibus actionibus, & negotijs ad illum magna reuerentia, & confidentia recurrere, orando, vt auxilium præſtet, aſſiſtat, illuminet, cuſtodiat, regat, & gubernet, quod tradit Diu. *Bernard. in Pſalm.* 90. inquiens: *In quouis diuerſorio, in quouis angulo reuerentiam exhibe Angelo tuo. Tu ne audeas illo præſente quod vidēte me non auderes. An præſentem eſſe dubitas, quem non vides? quid ſi videres?* Ideo mane, die veſpere, & omni hora ſemper dic, & repete: *Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie, & ſemper illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.*

Præter ſupra allata beneficia Angelorum, ſunt, & alia multa, quę nobis quotidiè præſtant beneficia, auxilia, & vtilitates, de quibus *Doct. præc.* præſertim *Diu. Dionyſ. epiſt.* 8. *Iacob. Fabr. in commentar. Diu. Anton.* 3. *p. tit.* 31. *c.* 5. & 6. *per tot. Diu. Greg. in moralib. Diu. Bernard. ſermon.* 13. *in pſalm.* 90. vbi explicans illa verba: *Angelis ſuis mandauit de te* ait: *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam, reuerentiam pro præſentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro cuſtodia, &c.*

Sed quæritur, an Chriſtus Dominus noſter, vt homo habuerit
52 Angelum Cuſtodem in hoc mundo? Reſpondetur negatiuè, cum Diu. Thom. *in* 1. *p. q.* 113. *art.* 4. *ad* 1. & *Diu. Anton. vbi ſup. c.* 6. §. 4 *verſ. Datur autem*; tum quia Chriſtus non indigebat tali cuſtodia, cum eſſet impeccabilis; & cuſtodia Angelorum, ſecundum eumdem *Diu. Thom. ibid. q.* 113. datur homini in præſenti vita, quia conſtitutus eſt, vt in via quadam, *qua oportet tendere ad patriam*, in qua inuenient multa pericula, quia & ſi Chriſtus, vt homo viator erat, ratione mortalitatis, tamen quia immediatè eius humanitas regulabatur à Verbo Diuino, ipſe, vt Cõprehenſor nõ indigebat tali cuſtodia, quia erat in termino; & ſuperior Angelis; ideò dedecebat eos habere, vt Cuſtodes, ſed decens erat habere, vt miniſtros.

Quæritur ſecundo, cur Angeli pingantur in Eccleſia iuuenes
53 Alati? Reſpondetur, quod pinguntur Iuuenes, propter eorum ſimpliciſſimam naturam, & puritatem, vt diximus *ſup. n.* 17. Cum Alis verò ad denotandum eorum velocem curſum, quia præſtò ſunt nobis ad noſtram procurandam vtilitatem, vt dicit *Diu. Dionyſ.* & probatur *Eſai* 8. ibi: *Et vol*[illegible] *me vnus de Seraphim. &c.* Vnde à pari Poetæ fingunt ventos habere alas, propter velocitatem ſpiritus flantis, ſicut & Dauid *pſal.* 103. ait: *Qui ambulas ſuper pennas ventorum; &c.* Imò pręueniunt, vt nos adiuuent, Dau. *pſalm.* 67. *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus &c.*

Quæ-

54 Quæritur tertiò. An ſit verum, quod communiter dicitur, quod ſcilicet homo habeat Angelum bonum ad dextram, & Angelum malum ad ſiniſtram? Reſpondetur affirmatiuè, ſecundum Doctores mox citandos. Quod quilibet homo habeat Angelum bonum Cuſtodem ab ortu ſuæ natiuitatis patet ex dictis *ſup. n.* 13. & dicit Archidiacon. *in c. fatendum* 13. *q.* 3. & habetur *ex Diu. Thom. Dionyſ. Antonin. Nic. de lyr. & Alijs præcitatis ſup.* Quod habeat Angelum malum, ideſt Dæmonem, qui quærat perdere animam cuiuslibet; ſicut Angelus bonus procurat ſaluare, probatur ex illo *Diu. Pauli* 1. *ad Theſſal.* 2. *Ne fortè tentauerit vos Is, qui tentat*, ideſt Diabolus & 1. *Petr.* 5. *Aduerſarius veſter Diabolus circuit, quærens quem deuoret.* Id quod naturali lumine dicitur communiter, Angelum bonum ſtare à dextris, Angelum verò malum ſtare à ſiniſtris, hoc procedit ex quodam communi modo loquendi, cum pars dextera ſit dignior ſiniſtra; attamen *Diu. Anton.* 1. *p. tit.* 6. *c.* 13. §. 3. *verſ. ſecundo tentat*, ait, quod Diabolus tentat hominem, non ſolum à latere ſiniſtro tãtum, ſed etiam ex omni parte à dextris, & à ſiniſtris, ab ante, & retro; à ſurſum, & deorſum. A' dextris enim tentat, vt homo proſperis abutatur: à ſiniſtris, vt in aduerſis deſperetur: ab antè, vt à bonis inceptis deſiſtat: à retrò, vt ad mala præterita redeat: à ſurſum, vt de bonis operibus ſuperbiat: à deorſum, vt ad perditionem prouocet. Tradidit hanc veritatem etiam *Ariſtotiles, licet Gentilis, qui in lib. de ſecretis ſecretorum ad Alexandrum* inquit: *Neſcis; quod teſte Hermogene, duo ſunt ſpiritus, qui te cuſtodiunt, quorum vnus ſtat ad dextram, & alius ad ſiniſtram, cuſtodientes, & ſcientes opera tua, & referentes Factori tuo quidquid feceris? Hoc ſolum in veritate debet tè, ò Alexander retrahere ab omni inhoneſto opere.* Per quos Angelos certè intelligit vnum bonum, qui ſtat ad dexteram, & alium malum, qui ſtat ad ſiniſtram, Angelum Satanæ, qui quærit hominem perdere.

55 Quæritur quartò. Vnde moueatur Diabolus ad tentandos homines, & ad procurandum eorum perditionem? Reſpondetur cũ *Diu. Anton. vbi ſupra* §. 2. moueri ex triplici cauſa, ſcilicet ex malitia, ſuperbia, & inuidia. Ex malitia, quia odit Deũ punitorem ſuũ, & ideo procurat auertere hominem à ſeruitio ipſius Dei ſui inimici, vt noceat ei, quantum poteſt. Vnde habetur. *Iob.* 40. *Eſca eius electa, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os ſuum*; ideſt, vt exponunt Doctores, quod deuoret baptiſmo purgatos, qui deſignantur per Iordanem, quia ibi originem habuit baptiſmus. Ex ſuperbia, quia ſicut Angeli boni miniſtrant Deo ad ſalutem hominum in officijs determinatis: ſic Dæmones, propter eorum ſuper-

perbiam vſurpantes ſibi Diuinæ poteſtatis ſimilitudinem, quærunt impugnare homines per determinatos miniſtros; vnde dicitur, *Iob. penult. Ipſe eſt Rex ſuper omnes Filios ſuperbiæ.* Ex inuidia tandem tentat Diabolus, quia cum Dæmones ſaluti hominum inuideant, quærunt per tentationem eorum ſaluationem impedire. Vnde *Sapient.* 2. habetur. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum*; & *in cap. Viſiſ.* 16. *q.* 2. dicitur de illo: *Dolet enim ſatis, & erubeſcit charitatem, quam in cælo nequiuit habere, homines conſtantes ex lutea materia tenere in terra.* Vid. *Diu. Thom. in* 1. *p. quæſt.* 1. *in art.* 1.

56 Quæritur 5. Cur Deus permittat homines fragiles tentari à Dæmonijs potentiſſimis? Reſpondetur, quod hoc facit Deus iuſtiſſimè. licet videatur eſſe magna differentia inter homines ignaros, & debiles, ac Dæmones ſapientiſſimos, & potentiſſimos; nam licet appareat eſſe inæqualitas, fit tamen recompenſatio per Diuinam gratiam, & per Angelorum cuſtodiam. Neque permittit, nos tentari quantum ipſi Dęmones vellent, ſed quantum ferre, & reſiſtere poſſumus, ſecundum *Diu. Anton. ibid. verſic. ſed hic.* Vnde per *Diu. Paul.* 1. *Corinth.* 10. dicitur *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Et Gloſ. ibi* ait: *Qui dat Diabolo tentandi licentiam, dat tentatis miſericordiam, & gratiam.* Et 2. *Corinth.* 12. dicitur *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcenderet à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea.*

57 Quæritur ſexto, An Diabolus tentet hominem de omni peccato, vel de aliquo tantum in particulari? Reſpondetur, quod tentat de omnibus peccatis, omnibus viis, & omni tempore, vt habetur *Matth.* 12. de Diabolo: *tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi*: Septem ſpiritus ſecundum expoſitores, & *Diu. Anton. vbi ſup.* §. 3. Sunt ſeptem vitia capitalia, ſcilicet Superbia, Auaritia, Inuidia, Luxuria, Ira, Gula, & Accidia, de quibus tentat homines. Aliquando tamen tentat Diabolus de aliquo particulari peccato, licet poſſit de omnibus tentare. *Magiſt. ſententiar. in* 20.

58 Quæritur ſeptimo An, ſicut Angeli, boni nomina particularia habent: ſic habeant Dæmones? Reſpondetur affirmatiuè. Ex *Diu. Anton. ibid.* ſicut enim boni Angeli denominantur ab officiis, quæ gerunt, cum ad nos mittuntur: ſic dęmones denominantur à vitijs, de quibus magis tentant. Et ſicut ſunt ſeptem vitia capitalia, vt ſup. dix. & habetur *Marc. Vltim.* de Magdalena, quod Chriſtus eiecit ab illa ſeptem dæmonia, ideſt peccata: ità ſeptem nomina Dæmo-

Digitized by Google

monum reperiuntur in ſacris litteris; qui de eis tentant. Primum Dæmonis nomen eſt *Leuiathan*, & eſt ille, qui tentat de ſuperbia, de quo habetur *Eſai. 27. Viſitabo ſuper Leuiathan. ſerpentem veterem, & tortuoſum*, & iſte dicitur à *Caſſan. p. 3. Cat. Glor. Mund. conſ. 10. verſ. ab hoc ordine*, quod erat de ordine Principatuum, & cecidit vſque ad quintum carcerem Inferni: cum tentat de vanagloria: dicitur Lucifer, de quo *Iſai.* 14. Secundus Dæmon, qui tentat de Auaritia dicitur *Mammona*, quod interpretatur diuitiæ, de quo habetur *Matth. 6. Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ.* Figuratur per Dæmoniacum lunaticum, de quo *Matth.* 8. Et iſte cum multis alijs erat de ordine Angelorum, vt ait *Bernardin. de Buſt. in 1. p. Roſar. ſerm.* 10. *litt. M.* Et cecidit vſq; ad ſuperiorem Inferni carcerem, vt ait *Caſſan. vbi ſup. conſ.* 17. Tertius Dæmon, qui tentat de Luxuria, dicitur *Aſmodeus.* quod interpretatur: *factura iudicij*, quia tempore Noè Deus fecit iudicium diluuij, propter vitium Luxuriæ; & poſtea ſuper quatuor Ciuitates Sodomorum, de quo habetur *Tob.* 8. Figuratur autem per Dæmoniacum mutum, de quo *Luc.* 11. Et illud erat mutum; quia iſtud peccatum facit hominem mutum in confeſſione propter erubeſcentiam. Et alio vocabulo dicitur *Behelphegor.* Et iſte cecidit de ordine Poteſtatuum, vt dicit idem *Caſſan. ibid. conſ.* 11. Quartus, qui tentat de Ira, dicitur *Abededon*, quod interpretatur exterminator, alio vocabulo dicitur Labaddon, quia reddit homines impracticabiles, propter iracundiam, de quo habetur *Apocal.* 9. Et figuratur per Dæmoniacum clamantem in templo, & dicentem, *quia tu es filius Dei Luc.* 4. vocatur etiam *Belial.* ſeu *Berith.* & erat de ordine Thronorum, qui cecidit cum multis alijs, vſque ad ſeptimum inferni carcerem. *Caſſ. ibid. conſ.* 8. Quintus Dæmon tentans de Gula, dicitur *Behemoth*; quod interpretatur animal, quia facit hominem beſtialem per Gulam; de quo habetur *Iob.* 40. dicitur etiam, *Aſtaroth.* Figuratur per dæmoniacum, qui morabatur in monumento, & ambulabat nudus. *Luc.* 8. Erat de ordine Dominationum, & cecidit cum alijs, vſque ad ſextum inferni carcerem; *Caſſan. conſid.* 9. Sextus tentans de Inuidia, dicitur *Sathan.* quod interpretatur Aduerſarius, quia aduerſatur omni bono proximi, dolens, de eo, de quo habetur *Iob.* 1. quia per Inuidiam flagellauit Iob multis malis, & habetur etiam *Lucæ* 22. *Ecce Sathan expetiuit vos.* Figuratur per Saul Dæmoniacum, qui ex Inuidia perſequebatur Dauid. 1. *Reg.* 16. Et iſte erat de ordine Cherubim, quicum Alijs cecidit vſq; ad octauum carcerem Inferni *Caſſan conſid.* 7. Septimus Dæmon tentans de Accidia, dicitur *Beelzebub*, quod interpretatur vir Muſcarum,

rum, ſiuè Princeps Muſcarũ, quia tali Idolo ſacrificabatur à Nino Rege Niniuæ in honorẽ Beli ſui patris,& quia aſpergebatur sãguis ſupra ipſum,muſcæ ibi congregabantur,vel quia accidia facit multitudinem muſcarum , ideſt cogitationum immundarum. De quo habetur *Luca* 11.*In Belzebu Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*,Figuratur per Dęmoniacum ſurdum,& mutum,vt *Marc*.7.quia Accidia facit hominem ſurdum ab auditione Diuinorum,& mutum ad cõfeſſionem peccatorum,*vt* I*uc*.11.Et iſte erat de ordine Virtutum, qui cecidit cum Alijs in tertio carcere Inferni *Caſſan.ibid.conſid*.10.

56 Quæritur octauo, An,vltra ſupradictos Dęmones inueniãtur Alij alijs nominibus nuncupati in ſacra Scriptura? Reſpondetur affirmatiuè, ſecundum *Petr.Greg.in ſyntax.art. mirab.lib.7.c.* 5. Habentur enim Dæmonum nomina, qui ſibi Dei cultum vſurpauerant apud quoſdam Populos; vt *Adonidis* interpretatum conſumptus erat Idolum yrorum; de quo habetur *Ezech.c*.8.

*Adramalech* quod interpretatur potentia Regis, erat Idolum Sepharnaitarum. 4. *Reg*.17.

*Anamalech* aliud Idolum eorundem, interpretatur afflictio Regis. 4 *Reg*.17.

*Aſtharthen*, interpretatur grex, vel cauda, Idolum Sydoniorum, 3. *Reg*. 11.& 4. *Reg*.23.

*Aſtharoth, Idolum Paleſtinorum*.1. *Reg*.47. & 4. *Reg*.23. & *Ioſ. Hebr. lib*. 6. *antiquit.c*.14.

*Baal*, Idolum Sydoniorum, Moabitarum,& Samariorum,interpretatur Dominus, de quo habetur *Num*.22. *Iudic*. 6. *Ad Roman*. 14. 3. *Reg. c*. 16. 18. 19.& 22. ac 5. *Reg*. 3. 10.17.; *Hierem. c*.2.12.23. & 32. *Oſea c*.3.10. & 13. *Lactant. lib.2.de origin.error. c*.15.dicit, Baal fuiſſe Martem Græcis.

*Baalim*, aliud Idolum. *Iudic.c*.2. 3. 8.,1. *Reg*. 7. & 12. & 3. *Reg*.8. & 2. *Paralip. c*. 24. 28 & 34.

*Baalberith* .fœdus, ſiuè fanum Baal. *Iudic.c*.9.

*Beelzebub*, ideſt Dominus Muſcarum, Idolum Accaronitarum, 4. *Reg*.1 *Matth*.10.& 12. *Marc*.3. *Luc*.11. dicitur Princeps Dæmoniorum,vt Pluto apud Græcos.

*Bel*, ideſt vetuſtas, Idolum Badoniorum. *Hierem.c*.50.& 51.*Daniel*. 14. *Eſai*. 46.

*Belphegor*,ideſt dominus nuditatis,Idolum Maobitarum *Oſea.c*.9. & 10. *Num*.25.; *Deut* 4.

*Chamos*, ideſt palpans, Idolum Moabitarum *Num*. 21.;3. *Reg* 13. 1. *Paralip*. 20.; *Hierem*. 48.

Da-

*Dagon*, ideſt frumentum, vel dolor, Idolũ Philiſtinorum *Iudic.* 16. 1. *Reg.* 5. & 1. *Machab.* 10.

*Deumus* dolum Inſulæ Tamerani *Ludou. Rom. Patr. lib.* 5. *nauigation. c.* 2.

*Iuppiter*, Mercurius, & Alij, quibus Idola fuerunt, non homines, ſed Dæmones fuiſſe ait *Euſeb. l.* 4. *præpar. euang. & Orig. cõtra Celsũ.*

*Melchon*, ideſt Rex, vel Conſiliarius, Idolum filiorum Ammon. 1. *Reg.* 23. 1. *Paralip.* 20. *Hierem.* 49.

*Militia Cæli*, ſiuè Stellarum numen. *Deuter.* 17. 4. *Reg.* 17. & 21. 2. *Paralip.* 33. *Hierem.* 59. *Sophon.* 1.

*Moloch*, Idolum Ammonitarum 3. *Reg.* 11.

*Nergel*, ideſt explorans. Idolum Cuthæorum 4. *Reg.* 17.

*Nibhas*, ideſt prophetans, Idolum Euæorum. *ibid, & ſeq.*

*Phegor*, ideſt hiatus, vel nuditas *Num.* 25. *Deut.* 3. & 4. & *Ioſue.* 22.

*Regina Cæli Hierem.* 45. quem locum Hæbrei legunt opus Cæli; Alij Lunam, vel horoſcopia intelligunt.

*Remon*, ideſt altitudo 4. *Reg.* 5.

*Remphas*, ideſt exaltatio nihili. *Actuum* 7.

*Serapis*, ideſt apis, Idolum Ægyptiorum, oſiris etiam dictum *Theodor. lib.* 2. *Græcar. affectio..*

*Sochoth-Benoth*, ideſt tabernacula filiarum, Idolum Babiloniorum 4. *Reg.* 17.

*Tarthar*, ideſt concatenatus, Idolum Heneorum 4. *Reg.* 17.

*Vualdat*, Idolum Babiloniorum. *Abdias in lib.* 8. *Hiſtoriæ Apoſtolicæ.*

*Zeli*, Idolum Aſſyriorum. *Ezech.* 8. de reliquis vide ſupradictos Doctores locis præcitatis

Inſuper appellantur etiam Dæmones in ſacris litteris varijs nominibus, vt ſunt ſynonima, quæ ſequuntur, videlicet. Angeli mali *pſalm* 77.

Beemot. *Iob.* 40.
Calumniator, *Luc.* 10.
Diabolns *Matth.* 25.
Draco. *Apocal.* 12.
Exterminator. *Apocal.* 15.
Inimicus homo. *Matth.* 13.
Leo rugiens, & deuorans. 1. *Petr. vlt.*
Leuiathan. *Iob.* 40. & *Apocal.* 15.
Poteſtates tenebrarum } *Diu. Paul. ad Ephæſ. c. vlt.*
Principatus tenebrarum }

Satan, *Luc.*10. *Matth.*16. *Apocal.* 20.
Serpens. *Geneſ.*3. *Apocal.*12.*&* *Iob.*25. vbi ſerpens tortuoſus dicitur
Spiritus immundus. *Luc.*8.
Tentator. *Matth.*4.
Vectis. *Eſaiæ.*25.
Volucres Cæli. *Matth.*13. *&* *Marcb.*4. & *Luc.*8.

Nominantur quoque Dæmones, & diſtinguuntur, ſecundum loca, in quibus degunt, & operantur, vt Cæleſtes, Aerei, Aquatiles, terreſtres, ignei, ſubterranei, vagi, &c. de quibus *P. Greg. vbi ſup. c.* 4.

60 Quæritur nono. An illa particularia nomina Angelorum, quæ circumferuntur, ſint omnia veneratione habenda? Reſpondetur non omnia eſſe admittenda, niſi illa tria, ſcilicet Michael, Gabriel & Raphael, de quibus in ſacris litteris mentio plurieshabetur; vt de Michaele habetur *Daniel.* 10. *Iudæ* 9. *Apocal.* 12. De Gabriele habetur *Daniel* 8.*&* 9. *Luc.*1.*n.*11.*&* *n.*26. De Raphaele habetur *Tobiæ c.*5. 6. *&*. 12.

Alia verò nomina, vt Vriel, Saliel, Caphiel, Samael, Annael,& reliqua omnia, ſunt penitùs damnanda, vt habetur in *Concil. Roman.* 2. *ſub Zacharia Papa*, in quo fuerunt condemnati errores Aldaberti, & Clementis Hæreticorum, qui Germaniam infeſtabant; & inter cæteros errores, erat quædam ſuperſtitioſa oratio Aldaberti, quæ in Concilio lecta fuit tenoris ſequentis: *Supplico vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simiel; &c.* Quibus lectis, per Concilium, præſidente Zacharia Pontifice, decretum fuit, vt ſequitur: *Octo enim ſunt nomina Angelorum, quæ in ſua oratione Aldabertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis; ſed magis Dæmonum nomina ſunt quos ad præſtandum ſibi auxilium inuocauit. Nos autem vt à Veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & Diuina tradit auctoritbas, non pluſquam trium Angelorum nomina agnoſcimus, ideſt Michael, Gabriel, Raphael. Zacharias Papa dixit optimè prouiſum eſt, &c.* Vide *Sur. tom. 3. menſ. Iun. in vita Sancti Bonifacij fol.* 492.*&* *Martin. del Rio lib.* 1. *magicar. c.*4. *q.*4. *prope fin.* omnia ergò alia Angeiorum nomina, quam trium prædictorum, ſunt penitùs damnanda. Nec obſtat, quod in ſacra Biblia inueniatur nomen Angeli *Vriel.* dicti, vt in 4. *Eſdr.*4. *verſic.*1. quia liber ille inter Canonicos non computatur, ideò non eſt magnæ autoritatis; imò in ſequentibus nominatur Angelus Ieremiel, qui alibi non inuenitur. De Vriel. vid. *Nicol. Serar. in comment. c.* 12. *Tobiæ q.*10. *cum ſeqq.*

Quæ-

61 Quæritur 10. An Angeli ſint ab hominibus adorandi, & qua adoratione? Reſpondetur, quod ſunt adorandi Dulia, ſicut Alij Beati in Cælo regnantes, & in neceſſitatibus inuocandi ſunt, vt definitum eſt de fide in *Concil. Nicæn. 2. act. 6. in fin.*, ibi: *Item Sanctorum Angelorum.* quidquid garriat *Caluinus hæreſ. 22. Thalmudiſtæ hæreſ. 10. & Alij* Hæretici; Ratio eſt, quia ipſis debetur honor, & cultus, qui debetur ſanctis, & Beatis, vt *in Concil. Gangrenſ. can.* 20. & *in Conſtanſienſ. ac Trident. ſeſſ. 25. in princ.* propter eaſdem rationes; & eſt exemplum de Balaam, qui Angelum adorauit. *Numer.* 22. Imo ſi Angelus appareret in forma Dei, eſſet adorandus cultu latriæ, non Duliæ, quia tunc repræſentaret Deum,& ille honor non deferretur Angelo, ſed Deo,cui talis debetur cultus. *Fillinc. tom. 2. tract. 23. c. 1. quæ ſit. 9. n. 31.*

62 Quæritur 11. An corpora Angelorum, quando hominibus apparent, vt diximus fieri aliquando *ſupra nu.* 17. ſint realia, vel apparentia? Reſpondetur quod communis Theologorum ſententia eſt, corpora ab Angelis aſſumpta formari ex aere circumſtante, condenſando, & temperando partes, quantum neceſſe eſt, & proportionata ad ſuſcipiendos varios colores, & diuerſas figuras formandas, vt videmus in nubibus, quæ ex maiori, vel minori denſitate, apparent nobis quod diuerſas figuras habeant. Certum tamen eſt, quod apparent aliquando in forma corporea, ita vt non ſolum videantur; verum etiam vt tangi, & palpari poſſint, vt docet *Sanct. Auguſt. lib:* 15, *de Ciuit.* Dei *cap.* 23. Corpus autem ab Angelo aſſumptum, non eſt, veluti corpus aſſumptum à Verbo Diuino, vt *Tertullian. lib de carne Chriſti ſentiebat.* Neque, vt aſſerebat Aureolus, Angelum vniri corpori, ſicut formam materiæ; quia repugnaret,vt quod eſt ex ſe ſubſtantia completa ingrederetur compoſitionem alterius ſubſtantiæ per modum formæ; ſed eſt corpus ex aere, vt diximus, non ex nihilo. *Abelly. tom. 1. tr. 4. c. 2. ſect. 3.* Non deſunt nihilominus, qui aſſerant, omnes illas apparitiones Angelorum in Sacra Scriptura memoratas contigiſſe tantum, ſecundum Imaginationem, de quibus diſſerit *Sanct. Thom.* 1. *p. q.* 51. *art.* 2. ſed veritas eſt, quod *Sanctus Auguſtinus dicit vbi ſup; ſecundum communem.*

63 Quæritur 12. An Angeli habeant aliquod corporeum materiale in ſua propria entitate: An verò ſint omnino incorporeæ ſubſtantiæ purè, & ſimpliciter ſpirituales? Reſpondetur cum *Sanct. Thom.* 1. *p. q.* 5. *art.* 1. & *Sanct. Dionyſ. de diuin. nomin. cap.* 4. quod Angeli ſunt omninò incorporei; ideoque ſunt creaturæ purè, & ſim-

Digitized by Google

ſimpliciter ſpirituales, & intellectualesquod probatur ex illo *Apocal.* 1. vbi ſit mentio ſeptem ſpirituum, *qui in conſpectu Throni Dei ſunt.* Et Diu. *Paul. ad Hebr. c.* 1. ibi: *omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus* Et *Matth.* 8. *& Luc.* 8. Et alibi in ſacris Euangelijs, Dæmones vocantur Spiritus immundi; Spiritus autem nomen in Sacra Scriptura tribuitur ſubſtantiæ Intellectuali, ideo rem incorpoream ſignificat, quo ſenſu *Sanct. Ioan. cap.* 3. habetur: *Spiritus Deus.* Confirmatur ex verbis. *Concilij Lateranenſ. cap.* 1. *ſub Innocentio III.* ibi: *Deus ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, & mundanam*; & ex Sanct. Greg. Nyſſen. *lib.* 12. *contra Eunomium* Sanct. Dionyſ. *de diuin. nom. cap.*4. Sanct. Greg. Nazianz. *orat.*24. & Sanct. Ioan. Damaſc. *lib.* 2. *de fid. c.*3. qui omnes communiter vocant Angelos Incorporeas naturas incorporeas creaturas, incorporeas ſubſtantias, ſubſtantias ſpirituales, omni materia carentes.

64 Quæritur 13. An Angeli moueantur de loco ad locum? Reſpondetur cum *Diu. Thom.* 1.*p. q.* 53. *art.* 1. *& ſeq.* Angelos verè, & realiter moueri localiter; vt habetur *Matth.* 14. quod mittentur ad vocandum homines ad iudicium; *Daniel.* 9. de Gabriele veniēte ad Danielem; & *Daniel.* 12. de Michaele veniente ad iudicium faciendum; & alibi pluries inuenitur, Angelos ſiuè bonos, ſiuè malos moueri eundo, redeundo, ingrediendo, exeundo; aſcendendo, deſcendendo, & cæt; Et *Sanct. Ambroſ. lib.* 1. *de Spirit. Sanct. cap.*10. dicit, Spiritum Sanctum non moueri, quia eſt infinitus, & vbique exiſtit; alios verò Spiritus moueri à loco in locum, quia ſunt finiti, & creati. Quod intelligendum eſt, tam de motu continuo, ità vt vnus locus deſeratur, & alius acquiratur ſucceſſiuè, & per partes; quam de motu diſcreto, ita vt de loco in locum mouere ſe poſſit, non tranſeundo per medium. *Diu. Thom. vbi ſup. art.* 2. In poteſtate tamen eius eſt, ſe loco applicare, prout vult, vel per medium, vel ſine medio, cum ſit ſubſtantia ſuperior loco, vt continens, non ſubdita loco, vt contenta. *Idem ibid.* Quod & ſi non ſit in inſtanti, ſed in tempore, ſecundum prius, & poſterius, quia prius eſt in vno loco, poſtea in alio; tamen eſt quaſi in ſubito, cum moueatur de cælo ad terram velociſſimè, propter ſupradictam rationem, quod non ſit ſubditus loco, vt etiam tradit. *Diu. Anton.* 3.*p. tit.*31. *c.*6. §. 3. *prope fin.*

65 Quæritur 14. Quomodo Angeli ſint in loco? Reſpondetur cum *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 52. *art.* 1. *Diu. Anton. vbi ſup. & Sanct. Io. Damaſc. lib. de fid. orthodox. cap.* 3. Angelos verè eſſe in loco, quocumque

Digitized by Google

cumque modo in illo ſint, itavt cum ſunt in vno, non ſint in alio. Verum non ſunt in loco circumſcriptiuè, ad inſtar corporum, quorum partes partibus correſpondent; quia non commenſurantur loco; ſed diffinitiuè, quia cum ſunt in vno loco, non ſunt in alio, taliter quod exiſtentes in certo ſpatio loci, ſimul extrà illud naturaliter eſſe nequeunt. D.D. *cit. vbi ſup.* Quod autem diximus, probatur in multis Sacræ Scripturæ locis, vt *Apocal.* 12. de Angelis malis: *Locus eorum non eſt amplius inuentus in cælo*; & *Matth.* 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei*; & ſic de reliquis.

66 Quæritur 15. An Angeli poſſint mouere localiter res materiales, & corporeas à ſe? Reſpondetur affirmatiuè ex multis Sacræ Scripturæ locis, cum ſint ſummæ virtutis, & potentiæ; habetur enim *Daniel.* 14. de Angelo, qui tranſtulit Prophetam Habacuch è Iudæa in Babylonem *Et Act.* 8. habetur, quod Angelus tranſtulit Sãctum Philippum Apoſtolum è Gaza in Azotum. *Et Exod.* 14. habetur, quod Angelus eduxit Populum Is raeliticum per mare rubrum in columna nubis; & fulgura, ac tonitrua in exercitum Pharaonis immittebat, & rotas curruum ſubuertebat. Quod patet inductione, quia omnis creatura cognitione intellectuali, vel ſenſitiua prædita, quæ ſeipſam loco mouere poteſt; alia etiam inferiora ſuæ potentiæ motrici mouere poteſt. Vnde Angeli, cum ſe mouere poſſint, poſſunt etiam mouere corpora inferiora ſua potentia.

Imò hæc maxima virtus, & mirabilis potentia Angelorum, nõ continetur ſolùm in rebus corporalibus inferioribus: ſed etiam in ſubſtantijs ſpiritualibus, ſi eorum naturali perfectioni ſubſunt. Vnde vnus Angelus ſuperior poteſt alium Inferiorem mouere; ſicut poteſt mouere animã à corpore ſeparatam. De Angelo conſtat ex illo *Tobiæ c.* 8. quod Raphael apprehendit Aſmodeum, & illum tranſtulit in deſertum ſuperioris Ægypti; De anima verò ſeparata habetur. *Luc. c.* 6. de Anima Lazari, quam Angeli deduxerunt, & portauerunt in ſinum Abrahæ,

67 Quæritur 16. An Angeli fruantur gloria Paradiſi, dum in mundo homines cuſtodiunt? Reſpondetur affirmatiuè, nam licet præſint hominibus, Prouincijs, Regnis, & cæt. vt diximus: tamen non ex hoc ſequitur eſſe loco circumſcriptos, quia & in Cælo gloria perenni coram Deo fruuntur, faciem ipſius contemplantes, & in Mundo res hominum, quibus præſunt, dirigunt, & gubernant, quia vt ait. *Iul. Cæſ. Bulenger. lib.* 1. *de licit. & vetita magia. c.* 23. *litt. E.*

Digitized by Google

*litt. E.* Non aliter in loco ſunt, quam in loco agendo; nulla enim proportio eſt inter ſpiritale, & corporeum; vnde ſequitur, Angelum ſpiritalem loco corporeo circumſcribi non poſſe. Quod probatur ex illo Euangelij. *Matth.* 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt*. Accedit ratio, quia per cognitionem ſupernaturalem beatificam, ſemper ſunt actualiter Beati, & ſemper in illis eſt actualis beatitudo, quæ in actuali cognitione Diuinæ Eſſentiæ conſiſtit. *Abell. tom.* 1. *tr.* 4. *c.*2. *ſec.*5. *in fin.*

68 Quæritur 17. Vbi nam creati fuerint Angeli? Reſpondetur, cum *Diu. Thom.* 1. *p.* 61. *art.* 4. *Bed. homel.* 2. *Hexameron., ſtrabo. in cap.* 1. *Geneſ.* Et alijs, quod creati fuerunt à Deo in cælo empyreo, licet alij aſſerant, fuiſſe creatos in cælis inferioribus; alij verò in hoc äere; cum enim Eccleſia nihil ſuper hoc decreuerit eſſe de fide credendum, quilibet tenere poteſt quorum maluerit ſententiam, probabilior tamen mihi videtur illa Diui Thomæ, & Aliorum aſſerentium fuiſſe creatos in Cælo empyreo. Quæ opinio probatur ex illo *Iſaiæ* 14. *Quomodo recidiſti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Et *Apocal.* 12. *factum eſt prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone; Et Draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.* Aliam affert probationem. *Diuus Thomas vbi ſupra* inquit enim ipſe: *ex eo, quod Angeli creati ſunt, vt præſideant creaturæ corporeæ, conueniens igitur fuit vt in ſupremo loco corporali producerentur, vt eſt Cælum empyreum.*

69 Quæritur 18. Quo tempore Angeli creati fuerint? Reſpondetur cum *Sanctis* *Epiphan. hær.* 65. *Auguſt. lib.* 11. *de ciu. c.* 9. *Gregor. lib.* 32. *Moral. cap.* 10; *Thom.* 1. *p. q.* 61. *art.* 3. vt communiter omnes cum. *Magiſtr. ſentent. in* 2. *diſt.* 2. Fuiſſe creatos ſimul cum hoc mundo corporeo, & ſenſibili initio temporis, quibus accedit *textus in cap.* 1. *de Summ. Trin. & fid. cat. vbi Gloſ. ver. ſimul, & S. Iſyd. lib.* 1. *de ſumm. bon. to.* 12. quorum ſententia probatur ex illo *Geneſ.* 1. *In principio creauit Deus Cælum, & terram, & cæt. & ibid.* cum dixit. *Fiat Lux, & facta eſt lux*; vbi *Sanct. Gregor. lib.* 27. *moral. c.* 25. *& Auguſt. vbi ſupra*, nomine Cæli, & lucis, dicunt, eſſe intelligendos Angelos. Probatur etiam. *Exod.* 20. vbi habetur *creatio Cæli, & Terræ, & omnium, quæ in eis ſunt ſex diebus*; in Cælis autem Angeli ſunt ſine dubio. Et ſimiliter ex auctoritate *Concilij Lateranenſ.* 4. *ſub. Innoc. III. c.* 1. vbi legitur, quod Deus ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, & mundanam. Alij verò dixerunt, Angelos fuiſſe

fuiſſe creatos ante mundum corporeum, vt *Sanct. Baſil. hom.* 1. *&* 2. *Hexamer. Sanct. Hieron. in cap.* 1. *ad Tit.* & Alij. Quidam autem alij aſſeruerunt fuiſſe creatos, poſt mundum corporeum, ſicut anima primi noſtri parentis creata fuit poſt eius corpus, vt Gennadius, & cæteri, quos refert Lipomanus. *in caten. ſua in Geneſ.* Prima ſententia eſt omninò certa ex cap. *firmiter de Sum. Trin. & fid. Cathol.* vbi definitur, Deum ab initio vtramque ſimul Creaturam ex nihilo condidiſſe, Spirtualem, & corporalem, angelicam, & mundanam.

70 Quæritur 19. qualis ſit Angelorum Cognitio, & ſcientia, tam circa ſe ipſos, quam erga alias res?

Reſpondetur cum *Diu. Thom. p.* 1. *q.* 45. *Diu. Dionyſ. lib. de Cæleſt. Hier. & Aliis,* Angelos intelligere, & cognoſcere, tamquam creaturas purè ſpirituales, & intellectuales; ac habere facultatem intellectiuam realiter ab eorum ſubſtantia diſtinctam. Adeoque dicit *Sanct. Thom. ibid. q.* 56. *art.* 1. Angelus cognoſcit ſeipſum perſuammet ipſius ſubſtantiam, non per aliquam ſpciem intelligibilem; Alias verò res cognoſcit per aliquas ſpecies impreſſas, quibus indiget ad illas intelligendas naturaliter, vt habetur ex *Sanct. Dionyſ. de diuin. nomin. c.* 4. *&* 7. vbi ait Angelos eſſe plenos formis, & rationibus omnium rerum, *& ex Sanct. Auguſt. lib.* 2. *de Geneſ. ad litter. cap.* 8. vbi dicit, res omnes corporeas priùs creatas fuiſſe in cognitione Angelorum, quam in ſeipſis. Hæc autem productio rerum in eorum mente intelligi debet, ſecundum eſſe obiectiuum per quaſdam ſimilitudines, & ſpecies ipſis Angelis ab initio inditas, & concreatas, non alio modo. Species tamen illæ, per quas Angeli cognoſcunt, non ſunt acceptæ ab obiectis, ſed fuerunt ipſis à Dèo infuſæ & inditæ à primo inſtanti ſuæ creationis. *Sanctus Thom. ibid. quæſt.* 55. *art.* 2. Quod probatur ex illo. *Ezechiel.* 28. de Rege Tyri, id eſt de Lucifero primo Angelo, qui dicitur plenus ſapientia, & perfectus ab illo die, in quo conditus fuit, vt dicit Sanct. Aug. *lib.* 11. *de Geneſ. ad litt. cap.* 24. Sanct. Greg. *lib.* 32. *moral. cap.* 24. *&* 25. *&* Sanct. Ambr. *lib.* 1. *de Paradiſ. cap.* 2. Ac proinde Angeli cognouerunt res, antequam exiſterent, cum illarum ſpecies acceperint non ab ipſis rebus, ſed à Deo in inſtanti ſuæ creationis. *Diu. Aug. vbi ſupra lib.* 2. *de Geneſ. ad litt. cap.* 8. *&* 30.

71 Quæritur 20. An omnes Angeli æqualiter intelligant per ſpecies perfectas illis à Deo inditas in eorum creatione? Reſpondetur cum *Diu. Thom.* 1. *p. q.* 56. *art.* 3. *Sanct. Dionyſ. de caleſt. Hierarch.*

*cap.* 12. Angelos natura perfectiores accepiſſe à Deo ſpecies vniuerſaliores, & proinde ſuperiores Angelos habere ſcientiam magis vniuerſalem; Imò *Idem Dionyſ. de diuin. nomin. cap.* 13. ait quod in Angelis ſuperioribus, tamquam Deo magis propinquis, omnia ſunt magis collecta, & vnita. Accedit quod Angeli quantò perfectiores ſunt in natura intellectuali, tantò ſunt Deo ſimiliores in intelligendo; Deus autem omnia intelligit per ſuam ſimpliciſſimam eſſentiam, ideo Angeli quò perfectiores per ſpecies vniuerſaliores, eo perfectiores in intelligendo. Neque intelligendo vtuntur diſcurſu, ſed ſimplici intuitu omnia intelligunt. *Diuus Thom. ibid.*

72 Quæritur 21. An Angeli cognoſcant res futuras? Reſpondetur cum *Sanct. Thom.* 1. *p. q.* 57. *art.* 3. ſuppoſito, quod Angelus cognoſcat ſeipſum per ſuammet ſubſtantiam vnitam ſuo intellectui, tamquam ſpeciem impreſſam; Nec non Deum clarè, & intuitiuè cognoſcat per lumen gloriæ; Et ſimiliter quod cognoſcat res corporeas in vniuerſali, & in particulari, vt patet ex Sacra Scriptura Angelorum cognitionem poſſe intelligi; vel de futuris contingētibus, quæ pendent à libero arbitrio Dei, vel hominis; & de iſtis Angeli naturaliter nihil cognoſcere poſſunt; vel de futuris, quæ neceſſariò pendent ex ſuis cauſis, veluti quod Eclypſis fiet tali die & hora, & ſimiles, & de iſtis cognoſcunt naturaliter perfectiſſimè, cum hæc etiam homines cognoſcere poſſint. Ratio eſt, quia cognitio futurorum ad Deum ſolummodo ſpectat, cum illam ſibi ipſi reſeruauerit, vt habetur in multis Sacræ Scripturæ locis. *Iſaia* 41. ibi: *Annunciate nobis, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos;* Et Sanct. Petr. *epiſt.* 2. *cap.* 1. *Non humana voluntate allata eſt prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines,* & Sanct. Chryſoſt. *hom.* 18. *in Sanct. Ioan.* ait: *Certa prædictio futurorum immortalis dumtaxat Dei opus eſt;* & Tertullian. *in apologic.* 20. ait: *Idoneum Diuinitatis teſtimonium eſſe veritatem diuinationis.* Et Iuſtin. *in apolog.* 2. *ad Antoninum* inquit: *veritatem myſteriorum noſtræ fidei eſſe infallibilem, ex eo maximè quia ipſa myſteria à Deo teſtata fuere per Prophetas, qui multò ante prædixerant,* quod confirmatur à San. Auguſt. *in lib. de cathechizan. rudib. c.* 26.

73 Quæritur 22. An Angeli ſe inuicem naturaliter cognoſcant per ſpecies proprias ſibi à Deo inditas?

Reſpondetur affirmatiuè ex multis Sacræ Scripturæ locis, ex colligitur quibus mutua illorum cognitio; quod intelligi debet de Angelis, ſiuè bonis, ſiuè malis vt habetur. *Iſaia* 6. ibi: *Duo Seraphim*

Digitized by Google

*raphim clamabant alter ad alterum.* Et *Daniel.* 10. vbi habetur de Angelo cuſtode Populi Iudæorum dicente : *Angelus Perſarum reſtitit mihi viginti , & vno diebus,* ( vt communiter exponitur illud : Princeps Regni Perſarum ) *& ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* Et alibi pluries , vt ſupra alia occaſione diximus .

Quæritur 23. An Angeli cognoſcant occultas cordis noſtri cogitationes ?

74 Reſpondetur negatiuè cum *Diu.Thom. in* 1.*p.q.*57. *art.*4. vbi ait, Angelos naturaliter non poſſe certò cognoſcere cogitationes illas, quæ liberè concipiuntur à nobis in mente; nec etiam actus internos liberè à voluntate elicitos. Quod probatur multis authoritatibus Sacræ Scripturæ, in quibus conſtat, cognitionem iſtam ſolius Dei eſſe , vt 2. *Paralip. c.*6. ibi : *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum ;* *Ierem.* 17. ibi. *Prauum cor hominis , & inſcrutabile quis cognoſcet illud ? ego Dominus;* Diu. Paul. *ad Hebr.* 4. ibi ; *Diſcretor cogitationum , & intentionum cordis, Sanct. Hilar. in pſalm.* 139. ait : *cogitationes cordis noſſe, non noſtrum eſt, ſed eius, de quo* dictum eſt, *Scrutans corda, & renes Deus Sanct. Auguſt. ſerm.* 234. *de tempore* loquens de Iob, ait : *colebat Deũ , faciebat eleemoſynas, & quo corde faciebat, nemo ſciebat nec ipſe Diabolus, ſed ſolus Deus, Sanct. Hieron. in pſalm.* 16. *verſic.* 10. inquit : *Diabolus neſcit quid intrinſecus in anima cogitet homo , niſi per exteriores motus intelligat;* Sanct. Chryſoſt. *hom.*24. *in Sanct. Ioan.* ait: *quæ in corde hominum inſunt , noſſe , ſolius eſt* Dei , *qui ſigillatim corda finxit ;* & Sanct. Cyrill. Alexandr. *lib.* 2. *in* 5.*Ioan.* loquens de Nathanaele , qui Chriſtum Dei filium confeſſus fuit , ait: *Nouerat ſolum Deum ſcrutatorem eſſe cordium, nec vlli alteri mentem hominis patere.* Reliqua vid. apud *Diu. Auguſt. libr. de diuinatione Dæmonum. cap.* 5. *Diu. Thom. vbi ſup.* & *Alios* . Poſſunt tamen aliquando per coniecturas ſcire cogitationes hominum Boni , & mali Angeli , non in ſe ipſis ; puta in aliquo affectu quando aliquo ſigno producuntur vel ex motu corporis , mutatione vultus , & ſimilibus; vel ex his, quæ in phantaſia , & ſenſibus internis deprehendunt ex connexione , quam habent cum intellectu, & voluntate, vt Doctores præcitati aſſerunt.

75 . Quæritur 24. An Angeli cognoſcant naturaliter res ſupernaturales, vt myſteria noſtræ fidei. & cætera ? Reſpõdetur cum diſtinctione : Vel enim conſiderantur Angeli, ſecundum ſtatum Gloriæ Vel ſecundum ſtatum gratiæ : Vel ſecundum ſtatum naturæ. Si primo modo , certum eſt, omnia myſteria fuiſſe illis diuinitus re-

uelata, quæ conferunt ad maiorem eorum fælicitatem, vel ad directionem animarum creditarum, aut Eccleſiæ militantis, In Verbo Diuino, vel extra illius viſionem Beatificam. Si conſiderentur 2. modò in ſtatu gratiæ, dum erant inuia, & tunc ſecundum Sanctum Thomam 1. *p. q.*54. *art.*5. & Sanct. Auguſt. *lib.* 5. *de Geneſ. ad litt. c.* 19. Dicendum eſt cognouiſſe aliqua myſteria ſibi diuinitus reuelata, quæ ordinabantur ad maiorem eorum Beatitudinem vt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & myſterium Incarnationis, ac multas alias veritates ſupernaturales. Si vero conſiderentur poſteriori modo, ſecundum ſtatum naturæ, ideſt ſecundum naturales vires ipſorum, & tunc dicendum eſt cum *Diu. Thom. vbi ſup.* non poſſe Angelos, ſiuè bonos, ſiuè malos cognoſcere res ſupernaturales naturaliter, quarum cognitio excedit vim naturalem intellectus creati. Quapropter Dæmones non potuerunt cognoſcere myſterium incarnationis Verbi; Nec certò ſcire an Chriſtus eſſet verè Deus. Quod probatur ex illo *Diu. Paul.* 2. *Corint.* 2. ibi: *loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit.* Per princeps autem huius ſæculi. *Sanctus Anſelmus, & Sanct. Thom. ibi* intelligunt Dæmones. & *Sanct. Leo ſermon.* 11. *de paſſione,* ait: *Si enim ſuperbus, & crudelis inimicus conſilium miſericordiæ* Dei *noſſe potuiſſet; Iudæorum animos manſuetudine potius temperare, quam iniuſtis odijs ſtuduiſſet accendere; ne omnium captiuorum amitteret ſeruitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem.*

Neque obſtat illud *Sancti Luc. cap.* 4. quod *exibant Dæmonia ex multis clamantia, quia tu es Filius* Dei. *Et increpans, non ſinebat ea loqui: quia ſciebant, ipſum eſſe Chriſtum.* Nam reſpondetur cum *Sanct. Hieron. in cap.* 8. *Sancti Matthæi., & Hug. Cardinal. ſup. eod.* 5. *Luc. ibid.* Quod Dæmones fictè hoc dicebant, vel vt veritatem ex eodem Chriſto haberent: vel vt illi occaſionem aliquam ſuperbiendi præberent; quod etiam tradit *Sanct. Leo ſerm.* 4. *in quadrag.* Sanct. Hilar. *can.* 3. *in s. Matth. Sanct. Hieron. in cap.* 4. *Sanct. Matth. & Sanct. Aug. lib.* 9. *de Ciuit. c.*21.

76 Quæritur 25. An Dæmones, poſt peccatum, amiſerint cognitionem naturalem, ita vt nullam veritatem amplius cognoſcere poſſint? Reſpondetur cum diſtinctione, cognitionem, quæ ſpectat ad Intellectum, eſſe duplicis generis: ſpeculatiuam, & Practicam, Quæ rurſus ſunt, vel naturalis, vel ſupernaturalis. Si loquimur de cognitione ſpeculatiua naturali, aſſerendum eſt, cum *Diu. Thom.* 1. *p. q.* 64. *ar.* 1. ipſam in Dæmonibus, poſt peccatum, integram remaniſſe, nec aliquo modo diminutam fuiſſe. Ratio eſt, quia om-

omnia dona naturalia in ipſis poſt peccatum remanſerunt integra, ſecundum doctrinam. *Sanct. Dionyſ. de diuin. nomin. cap.* 4. *Et Sanct. Aug. lib.* 2. *de Geneſ. ad litt. cap.* 17. Si verò loquamur de cognitione ſpeculatiua ſupernaturali, dicendum eſt cum *eod. Diu. Thom. ibid.* ipſam non eſſe totaliter ipſis ablatam; ſed valdè tamen diminutam, quia cum ſint inſtatu damnationis, ſunt incapaces omnium motiuorum ſupernaturalium. Si autem ſermo erit de cognitione practica de rebus agendis, circa res morales, dicendum eſt, illam fuiſſe illis ablatam, propter peccatum, tam naturalem, quam ſupernaturalem, *vt habetur in ſacr. ſcript. Ezech.* 28. de Primo Angelo: *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo; Et Sanct. Aug. in Enchirid. ad Laurent. art.* 24. *&* 25. ait, ignorantiam rerum agendarum, & concupiſcentiam nociuarum eſſe mala hominibus, & dæmonibus communia.

77 Quæritur 26. An Dæmones aliquando conuertantur in bonum? Reſpondetur cum *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 64. *art.* 2. quod Dæmones habent voluntatem adeò in malo obſtinatam, vt nunquam flecti poſſint, atque conuerti in bonum. Quod conſtat ex illo *Eccleſiaſteſ.* 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, Et Eccleſ.* 9. dicitur quod nec ratio, nec ſapientia ſit apud Inferos, quia *quod eſt hominis mors, hoc Dæmoni caſus fuit,* & *Iob.* 10. Ibi: *nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*; & *Sanct. Fulgent. de fide ad Petrum c.* 3. ait: *In igne Inferni omnes Angelos præuaricatores, nec mala voluntate poſſe carere, nec pæna.* Et inferius ſubdit: *ſic bonam amiſiſſe voluntatem, vt amiſſam reſumere nequeant*, & *Sanct. Proſper. lib.* 3. *de vita comtemplat.* ſuper illud *Matth.* 22. *ligatis manibus, & pedibus mittite in tenebras exteriores,* inquit, ideo mitti damnatos in Infernum ligatis manibus, & pedibus, quia non poſſunt amplius in futurum opera vlla bona exercere.

Nec eſt admittenda ſententia Origenis aſſerentis, tormenta Dæmonum finem aliquando eſſe habitura, quia pænitentiam ipſi aliquando agent, de qua *Sanct. Hieron. epiſt.* 61. *aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum*: vbi illam refellit, vt facit etiam *Sanct. Cyprian. in fine libri contra Demetrium.* Ratio autem aſſignari poteſt ex *Concil. Meleuitan. c.* 5. *Concil. Aphrican. c.* 80. *& Conc. Trid. ſeſſ* 6. *de iuſtific. can.* 2. vbi habetur quod *ſi quis dixerit, ſine Chriſti gratia poſse quemquam vitam æternam promereri, anathema ſit,* ideo cum Deus decreuerit, nullam amplius Dæmonibus, poſt peccatum, gratiam dare, ſicut hominibus in peccato mortali decedentibus, non dabitur pænitentiæ locus, quia ſine ſpeciali Dei gratia, nec hominis, nec Angeli

mali

uelata, quæ conferunt ad maiorem eorum fælicitatem, vel ad directionem animarum creditarum, aut Eccleſiæ militantis, In Verbo Diuino, vel extra illius viſionem Beatificam. Si conſiderentur 2. modò in ſtatu gratiæ, dum erant inuia, & tunc ſecundum Sanctum Thomam 1. *p. q.* 54. *art.* 5. & Sanct. Auguſt. *lib.* 5. *de Geneſ. ad litt. c.* 19. Dicendum eſt cognouiſſe aliqua myſteria ſibi diuinitus reuelata, quæ ordinabantur ad maiorem eorum Beatitudinem vt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & myſterium Incarnationis, ac multas alias veritates ſupernaturales. Si vero conſiderentur poſteriori modo, ſecundum ſtatum naturæ, ideſt ſecundum naturales vires ipſorum, & tunc dicendum eſt cum *Diu. Thom. vbi ſup.* non poſſe Angelos, ſiuè bonos, ſiuè malos cognoſcere res ſupernaturales naturaliter, quarum cognitio excedit vim naturalem intellectus creati. Quapropter Dæmones non potuerunt cognoſcere myſterium incarnationis Verbi; Nec certò ſcire an Chriſtus eſſet verè Deus. Quod probatur ex illo *Diu. Paul.* 2. *Corint.* 2. ibi: *loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quam nemo Principum huius ſaculi cognouit.* Per principes autem huius ſæculi. *Sanctus Anſelmus, & Sanct. Thom. ibi* intelligunt Dæmones. & *Sanct. Leo ſermon.* 11. *de paſſione,* ait: *Si enim ſuperbus, & crudelis inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet; Iudæorum animos manſuetudine potius temperare, quam iniuſtis odijs ſtuduiſſet accendere; ne omnium captiuorum amitteret ſeruitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem.*

Neque obſtat illud *Sancti Luc. cap.* 4. quod *exibant Dæmonia ex multis clamantia, quia tu es* Filius Dei. *Et intrepans, non ſinebat ea loqui: quia ſciebant, ipſum eſſe Chriſtum.* Nam reſpondetur cum *Sanct. Hieron. in cap.* 8. *Sancti Matthæi.*, & *Hug. Cardinal. ſup. eod.* 5. *Luc. ibid.* Quod Dæmones fictê hoc dicebant, vel vt veritatem ex eodem Chriſto haberent: vel vt illi occaſionem aliquam ſuperbiendi præberent; quod etiam tradit *Sanct. Leo ſerm.* 4. *in quadrag.* Sanct. Hilar. *can* 3. *in s. Matth. Sanct. Hieron. in cap.* 4. *Sanct. Matth. & Sanct. Aug. lib.* 9. *de Ciuit. c.* 21.

76 Quæritur 25. An Dæmones, poſt peccatum, amiſerint cognitionem naturalem, ita vt nullam veritatem amplius cognoſcere poſſint? Reſpondetur cum diſtinctione, cognitionem, quæ ſpectat ad Intellectum, eſſe duplicis generis: ſpeculatiuam, & Practicam, Quæ rurſus ſunt, vel naturalis, vel ſupernaturalis. Si loquimur de cognitione ſpeculatiua naturali, aſſerendum eſt, cum *Diu. Thom.* 1. *p. q.* 64. *ar.* 1. ipſam in Dæmonibus, poſt peccatum, integram remaniſſe, nec aliquo modo diminutam fuiſſe. Ratio eſt, quia om-

omnia dona naturalia in ipſis poſt peccatum remanſerunt integra, ſecundum doctrinam. *Sanct. Dionyſ. de diuin. nomin. cap.* 4. *Et Sanct. Aug. lib.* 2. *de Geneſ. ad litt. cap.* 17. Si verò loquamur de cognitione ſpeculatiua ſupernaturali, dicendum eſt cum *eod. Diu. Thom. ibid.* ipſam non eſſe totaliter ipſis ablatam; ſed valdè tamen diminutam, quia cum ſint in ſtatu damnationis, ſunt incapaces omnium motiuorum ſupernaturalium. Si autem ſermo erit de cognitione practica de rebus agendis, circa res morales, dicendum eſt, illam fuiſſe illis ablatam, propter peccatum, tam naturalem, quam ſupernatnralem, *vt habetur in ſacr. ſcript. Ezech.* 28. de Primo Angelo: *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo; Et Sanct. Aug. in Enchirid. ad Laurent. art.* 24. *&* 25. ait, ignorantiam rerum agendarum, & concupiſcentiam nociuarum eſſe mala hominibus, & dæmonibus communia.

77 Quæritur 26. An Dæmones aliquando conuertantur in bonum? Reſpondetur cum *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 64. *art.* 2. quod Dæmones habent voluntatem adeò in malo obſtinatam, vt nunquam flecti poſſint, atque conuerti in bonum. Quod conſtat ex illo *Eccleſiaſteſ.* 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, Et Eccleſ.* 9. dicitur quod nec ratio, nec ſapientia ſit apud Inferos, quia *quod eſt hominis mors, hoc Dæmoni caſus fuit*, & *Iob.* 10. Ibi: *nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*; & *Sanct. Fulgent. de fide ad Petrum c.* 3. ait: *In igne Inferni omnes Angelos præuaricatores, nec mala voluntate poſſe carere, nec pæna.* Et inferius ſubdit: *ſic bonam amiſiſſe voluntatem, vt amiſſam reſumere nequeant*, & *Sanct. Proſper. lib.* 3. *de vita comtemplat.* ſuper illud *Matth.* 22. *ligatis manibus, & pedibus mittite in tenebras exteriores*, inquit, ideo mitti damnatos in Infernum ligatis manibus, & pedibus, quia non poſsunt amplius in futurum opera vlla bona exercere.

Nec eſt admittenda ſententia Origenis aſſerentis, tormenta Dæmonum finem aliquando eſse habitura, quia pænitentiam ipſi aliquando agent, de qua *Sanct. Hieron. epiſt.* 61. *aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum*: vbi illam refellit, vt facit etiam *Sanct. Cyprian. in fine libri contra Demetrium.* Ratio autem aſſignari poteſt ex *Concil. Meleuitan. c.* 5. *Concil. Aphrican. c.* 80. *& Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *de iuſtific. can.* 2. vbi habetur quod *ſi quis dixerit, ſine Chriſti gratia poſse quemquam vitam æternam promereri, anathema ſit*, ideo cum Deus decreuerit, nullam amplius Dæmonibus, poſt peccatum, gratiam dare, ſicut hominibus in peccato mortali decedentibus, non dabitur pænitentiæ locus, quia ſine ſpeciali Dei gratia, nec hominis, nec Angeli

mali

Digitized by Google

nulli voluntas ad veram pœnitentiam conuerti poteſt: *Doctores præcit.* Hinc eſt, quod ſemper quærunt homines ad damnationem trahere, vt habetur *Geneſ. 3.* de primis parentibus à Dæmone ad peccandum inductis; & *Diu. Paul. ad Ephes. 6.* ait: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Quare autē permittat Deus homines per Dæmones impugnari, & quomodo, diximus *ſup. n. 54. et ſeqq.* vbi expoſuimus, quod tentet ex omni latere à dextris, & à ſiniſtris, à ſurſum, & deorſum ab ante, & retro, & cæt. reſtabat videre quomodo fiat iſta tentatio, ideo ſubiungemus hoc loco. Vnde.

78 Quæritur 27. Quomodo Dæmones homines tentent, & impugnent? Reſpondetur cum *Diu. Thom. in 1. p. q. 111. art. 1. cum ſeqq. Diu. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 18.* Diu. *Anton. 1. p. tit. 6. c. 14. §. 3.* & Sayr. in *Clau. Reg. lib. 2. c. 12. nu. 2.* Dæmones duobus præſertim modis hominem tentant, vel intra hominem, vel extra illum operando. Primo modo ab interiori tentant, immutando phantaſiam, & ſenſus corporeos, vt aliquid videatur aliud, quam reuera ſit; vel commouendo ſpiritus, & humores, & concitando imaginationem, & appetitum ſenſitiuum ad varios motus, quibus homo ad peccandum inclinetur; vel obijciendo potentiis cognoſcitiuis ſpecies ſenſibiles, quæ continentur in ſpiritibus vitalibus, quos ipſi Dæmones mouerunt; Vel ſecundo modo ab exteriori, operando extra hominem; obijciendo ſcilicet ſenſibus externis hominis aliquod verum, vel apparens obiectum in aliqua forma corporea, ex qua occaſionem arripiat homo ad peccandū; quia cum poſſit Diabolus formare corpus ex aere ſpiſſato, vt ſupra diximus, cuiuſcumque formæ, & figuræ illi placuerit, poteſt etiam illud aſſumere, & in eo viſibiliter apparere; & eadem ratione poteſt cuicumque rei corporeæ circumponere quamcumque formam corpoream, vt in eius ſpecie videatur, vt ait *Diuus Auguſt. & Anton. vbi ſup.* Quod legitur factum diuerſis Sanctis, quibus apparuit Diabolus in forma mulieris, vt ad libidinem tentaret. Voluntatem tamen nullo modo mouere, nec attingere quidem poteſt, licet appetitum ſenſitiuum valde commoueat: *Diu. Thom. 1. 2. q. 80. art. 2.* De potentia Dæmonum in Phantaſia, & ſenſibus habetur etiam *in can. Epiſcopi. 26. q. 5. vbi Gloſ.*

79 Quæritur 28. An Dæmones poſſint aliquando ſe transformare in Angelos Bonos, vt homines tentent? Reſpondetur affirmatiuè cum *Diu. Aug. lib. 18. de Ciu. Dei c. 18. & Diu. Anton. 1. p. tit. 4. cap. 7.* §. 2.

§. 2. & ex multis Sacræ Scripturæ teſtimonijs probatur; hoc aut duplicitèr facit Diabolus, vel viſibiliter, vel inuiſibiliter. Viſibiliter transformando ſe in Angelum lucis; vt ait: *Diu. Paul. 2. Corinth. 11. & text. in can. Epiſcopi §. ſiquidem. 26. quæſt. 5.* Et ſumendo formam alicuius Sancti, in qua apparens, & talis æſtimatus malum ſuadeat. Habetur præclarum exemplum in 1. Reg. 28. Dum apparuit Sauli in forma Samuelis Prophetæ Sancti, quando conſuluit Phytoniſsam, vt ab illo adoraretur, de quo in *cap. Nec mirum 26. q. 5. §. præterea*; ſimili modo apparuit Diabolus 18
Diuo Antonio in forma Chriſti. Sic cuidam Nouitio in forma Virginis Mariæ, & in forma Angeli Boni multis perſonis; vt tradit idem *Diu. Anton. vbi ſup. Martin. del Rio lib. 2. magicar. q. 28. ſect. 3. litt. B. in fin. verſ. Alia cauſa*, & multis alijs modis apparuit diuerſis aliis, de quibus *Mattbiol. p. 2. Sylu. Hiſtor. lib. 2. cap. 4. tit. 3.* Inuiſibiliter autem facit, cum ſuggerit malum ſub ſpecie virtutis; vt cum ſuggerit furorem, ſub ſpecie zeli: Auaritiam, ſub ſpecie Parſimoniæ; Prodigalitatem, ſub liberalitate; & ſic de reliquis; vt inquit. *Diu. Gregor. in 1. lib. moral. in fin.* habetur in *Hierem. 41.* in figura de ottoginta viris, qui raſi barba, & ſciſsis veſtibus volebant offerre ſacrificium, quos Hiſmael occidit, ſub ſpecie pietatis. Et *Dau. Pſalm. 55.* ait: *Ab altitudine diei*, id eſt Diaboli, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, vt exponunt *Sanct. Anton. & Alij*, *timebo; ego verò in te perabo*, ſcilicet liberari ab eo.

80 Quæritur 29. An Dæmones in aſſumptis corporibus poſſint aliquo indicio cognoſci? Reſpondetur affirmatiue, cum *Tyreo lib. 1. de apparit. ſpirit. c. 9. Binsfeld. de confeſſion. malef. prælud. 12., Martin. del Rio lib. 2. magic. q. 28. ſect. 1. litt. C. & Remig. lib. 1. dæmon. c. 7.*; licèt enim Dæmones quando à Deo permittitur, poſſint apparere in illa forma, quæ ipſis placuerit; tamen ſemper ex aliquo indicio comprehendi poteſt apparitionis fallacia, ſi attente conſideretur; cum Deus prohibeat illis perfectam formam habere, quam accipiunt, vt detegantur; ne homines iuſtam cauſam allegare poſſent, & excuſationem habere, ſi peccata committant. Nam ſi appareat Diabolus in forma humana, habebit corpus colorem atrum, ſqualidum, formidabilem; vel alio modo deformi apparebit in aliqua parte corporis, vt in pedibus, vel oculis, aut naribus. Poteſt etiam deprehendi, & cognoſci eius fallacia, ex ſtatura corporis, quæ numquam erit iuſta, & pulchra viſui, ſed ſemper habebit aliquid deformitatis, & inſoliti, ſiue in magnitudine, ſiue in patulitudine, ex qua manifeſtatur apparitio Dæmoniaca; adhuc ipſo Dæ-

mone

Digitized by Google

mone nolente, vt Doctores præcitati aſſerunt. Quamuis autem poſſint aſſumere quamcumque formam, vt etiam *Diu. Chryſoſtom. homil.* 4. teſtatur, tamen rarò permittit Bonus Deus; ſolita forma erit Animalium, maximè hirci, vulpis, canis, felis, equi. Numquam nihilominus permiſit, vt apparerent in forma ouis, agni, aut columbæ, cum Chriſtus ſit verus Agnus, & Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie ſoleat apparere; vt tradunt ſupra *alleg. DD.*, *Martin. del Rio præſertim*.

31 Quæritur trigeſimò, An Dæmones in aſſumptis corporibus humanis poſſint omnes humanas actiones facere? Reſpondetur cum diſtinctione: Aut enim quæritur, an loqui poſſit Dæmon, vt homo, cuius figuram aſſumit, & certum eſt, illum poſſe loqui, quia poteſt multa facere, quæ Angelus bonus poteſt, loqui autem bonum Angelum multis Sacræ Scripturæ teſtimonijs conſtat, vt *Tob.* 5, 6. *& ſeqq.*; *Exod.* 3.; 4. *Eſdr.* 14. cum infinitis ferè alijs; De Dæmonum locutione per varia ſimulacra, vide *Paul. Grilland. de maleſ.*, Euſeb. *lib.* 19. *Hiſtor. Eccleſ.*, *Diu. Cyril. Alexandr. lib.* 3. *contra Iulian.*, & *Martin. del Rio vbi ſupra*, qui omnes aſſerunt, loqui poſſe; ſi verò quæratur, an poſſint alias facere vitales actiones, vt comedere, bibere, & ſimilia facere, quæ ad naturale corpus ſpectant, dicendum eſt, Dæmones hæc non poſſe facere, quia corpore carent, licet in corpore appareant. Vnde non plus, quam Angeli ſunt putandi edere, vel bibere, vt habetur *Tob.* 12. ibi: *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*; Quod benè notat *Toſtat. q.* 11. *in Exod. cap.* 7. Notandum eſt tamen, quod Dæmonum locutio non eſt propriè vitalis actio, ſed eſt quædam productio ſonus in aere ſimilis voci humanæ, quæ auribus adſtantium inſonat; vt doctè tradit *Gregoras lib.* 5. *hiſtor. Bizantinæ in fin.* & vt dicit *Toſtat. vbi ſup. q.* 15. admodum, quo homo ſonum emittit per tubam, vel tibiam. Vtuntur autem, vt plurimum, Dæmones ſermone communi illius regionis, quo incolæ ſolent vti, quibus apparent, vt *Pſell. inquit relat. à Del rio, loc. cit.* vbi ſubdit, quod etiam in locutione cognoſcitur fallacia, & fictio, nam vtuntur quadam voce ſtridulâ, ſubſibilante, vel confuſa, aut debiti, vel quaſi ex dolio. Poteſt etiam Diabolus in aſſumpto corpore reddi viſibilis cui voluerit, & à quibus placuerit facere, vt audiatur; à cæteris verò vt non videatur, nec audiatur; & hoc naturaliter, ſi quoad aliquos, & non quoad alios ex parte organi, aut obiecti adferat aliquod impedimentum, itaut ſpecies per illud ad oculum, aut auditum non per-

Digitized by Google

perferantur, Vel ſi ipſas ſimilitudines prohibeat; Vel quos latere vult, extra ſe rapiat, aut imaginationem eorum ad alia diuertat ad alios vero, à quibus vult audiri, ſinat liberè peruenire ſonos, aut ſimulacra, in quibus apparet. *D.D. cit.*

32 Quæritur 31. An Angeli inter ſe loquantur? Reſpondetur affirmatiuè ex multis Sacræ Scripturæ auctoritatibus, habetur enim *Zachar.* 2. de duobus Angelis mutuò loquentibus, ibi; *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius Angelus egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum; Curre, loquere ad puerum iſtum, dicens: abſq; muro, &c.*; Et *Iſaiæ* 6. ibi: *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum.*; Et *Apocal.* 7. ibi: *Et clamauit vnus Angelus voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, &c.* Et *Diu. Paul.* 1. *Corinth.* 13. ait: *ſi linguis hominum loquar, & Angelorum*, ex quibus verbis colligitur aliquo modo colloqui inter ſe; & Dau. *pſalm.* 102. ait: *Benedicite Domino omnes Angeli eius:* & *pſalm.* 148. *Laudate eum omnes Angeli eius*; Et *Daniel.* 3. dicitur *Benedicite Angeli Domini Domino: Laudate, & ſuper exaltate eum in ſæcula.* Benedicere autem nihil aliud eſt, quam dicerè bene; ſecũdum *Diu. Iſidor. in Ethim.* & *D. Anton.* 3. *p. tit.* 31. *c.* 6. §. 2. Ex quibus locis certè cõſtat, Angelos aliquo modo inter ſe loqui, & ſibi inuicem conceptus ſuos, & cognitiones manifeſtare, & nobiſcum aliquando loqui voce corporea, quæ noſtræ ſimilis ſit, veluti Sacra Scriptura teſtatur locis præcitatis, & aliis cumulatis *ſup. in l.* 1. *Muſ. p.* 3. *c.* 1. *verſ. Nouum igitur.* Difficultas tamen eſt quis ſit modus, quo loquuntur, cum ex verbis Apoſtoli apertè colligatur, diuerſum eſſe modum loquendi Angelorum, & hominum, quod vtique patet, quia non habent corpora, cum ſint puri ſpiritus, & ſic non habent organa ad formandam vocem corpoream. Vnde.

33 Quæritur 32. Quomodo Angeli inter ſe colloquantur? Reſpondetur cum *Diu. Thom. in* 1. *p. q.* 108.; *Diu. Dionyſ. de cæleſti Hierarch. c.* 3 *&* 4:, *Diu. Anton. vbi ſup.* quod loquela Angelorum eſt ſpiritualis, diuerſa ab illa hominum, vt Apoſtolus Paulus ſupra teſtatur, quem exponens *Theophylact. in* 1. *ad Corinth.* 10. ait: *Angelis lingua eſt intellectiua, vis nimirum illa, quam ſibi mutuo diuinarum rerum intellectum, ac diuinas cogitationes impertiunt*, & *Sanct. Damaſcen. lib.* 2. *de fid. c.* 3. loquens de Angelis ait: *Non lingua, neque auribus opus habent: Verum citra ſermonis adminiculum cogitationes ſuas, atque conſilia inter ſe communicant.* Vnde concludunt Doctores præcitati, ſecundum Sanctum *Thomam vbi ſup.* quod voluntas mouet intellectum ad ſuam operationem intelligendi, vt puta quando vnus Angelus vult loqui alteri Ange-

lo, dirigit, & ordinat conceptum ſuum ad illum per operationem voluntatis, hoc eſt volendo, vt alter Angelus cognoſcat, & intelligat illum ſuum conceptum. Sicque per voluntatem conceptus mentis ordinatur ad Alterum, vt intelligatur; Ideo conceptus mentis interius dicitur verbum; quia verò conceptus Angelici ordinatur ad manifeſtandum alteri per voluntatem ipſius, conceptus ille vnius innoteſcit alteri, & ſic loquitur vnus Angelus alteri. Vnde locutio Angeli non eſt aliud, quam conceptus illius liberè ordinatus, & directus ad alterum Angelum; directio autem illa voluntaria, & libera, eſt, tamquam lingua, ſiuè inſtrumentum, ſine quo conceptus, ſeù cogitatio vnius Angeli non poteſt innoteſcere alteri. At verò quia illa directio, licet neceſſaria, ſecundum quoſdam Doctores, non videtur ſufficiens ad exprimendum modum illius locutionis; ſubditur, quod virtute illius directionis, vel noua ſpecies producatur in Intellectu Angeli, ad quem conceptus alterius Angeli dirigitur, vel ſi ſpecies huius conceptus ab initio creationis ipſi indita eſt, vt multi aſſerunt, illa nihilominus tunc recipit quamdam nouam modificationem, ſeù lucem, qua mediante vnus percipiat, quod ante neſciebat, & quod per alterum Angelum, tunc fit illi manifeſtum. Hinc fit, quod ſi Angelus vult vni tantum, & non alteri conceptum ſuum manifeſtare, tunc ille ſolus, & non alter intelligit, quia cum illo tantum loqui vult. Sicque Alij, quibus non vult manifeſtari, non intelligunt, & illis non dicitur loqui. *Diu. Antonin. ibid.*, & *Alij præcitati*, qui dicunt ſimili modo ſe habere Angelorum Illuminationem, ac locutionem; licet latiùs pateat locutio, quam illuminatio, quia omnis illuminatio eſt locutio, cum vnus Angelus alterum non illuminet, niſi ei loquendo; ſed non omnis alloquutio eſt illuminatio, quia vnus Angelus alterum illuminare dicitur; non quoties cum alloquitur: ſed ſolummodò cum aperit, & declarat alteri aliquã veritatem ſibi diuinitùs reuelatam. Quod fit tantum per Angelos ſuperiores, reſpectu inferiorum; *vid. D. Dion. vbi ſup. c. 8.*, & *Sanct. Thom. q. 106.*

84 Quæritur 13., An Angeli ſexum habeant? Reſpondetur negatiuè, quia ſpiritus ſunt, ſine corpore materiali; ſexum enim membra corporis faciunt, ac diſtinctionem maſculi, & fœminæ ingerunt; ſed cum Ipſi ſint ſubſtantiæ ſpirituales; nullius ſexus ſunt, Quod conſtat ex illo *Matthæi c. 22 n. 30.* ibi: *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt: ſicut Angeli Dei in Cælo* licet autem *Lucæ* 15. Angeli figuratè nominentur viri, & mulieres, cum tractatur de parobola ouis, & drachmæ perditarum; vbi in inuentio ne

tione ouis perditæ vocantur amici, & vicini: & in inuentione drachmæ vocantur amicæ, & vicinæ; & ſimiliter in *Cantic.* 1. ibi: *Filiæ Hieruſalem nolite conſiderare quod fuſca ſim*, loquens anima, quod ſit obfuſcata, propter peccata; tamen dicuntur Angeli viri, vt obſeruat *Diu. Anton.* 1.*p.tit.*1.*c.*2. *in princ.* ratione victoriæ, contra hoſtes noſtros Dæmones: mulieres verò ratione gratiſſimæ, & attrahentis venuſtatis,& pulchritudinis.

85 Quæritur 34. Quanta ſit, & qualis Angelorum pulchritudo? Reſpondetur cum Diu. Thom. 1. *parte quæſt.* 50. Diu. *Anton. vbi ſup. Diu.Dionyſ.de cæleſt.Hierarch.* & Alijs, quod eorum pulchritudo eſt admirabilis, & ineffabilis,ità vt nullo modo explicari poſſit: ſed tantum innui,& ſignificari per comparationes ſacræ Scripturæ; comparantur enim luci. *Geneſ.* 1. vbi dicitur *Fiat lux*;ſub nomine enim lucis intelliguntur Angeli, ſecundum *Diu. Aug.lib.*11. *de ciu. cap.* 9. & *Sanct. Greg lib.*27. *moral.c*, 25. Comparantur etiam ſtellis, quæ clariſſimæ ſunt, vt habetur *Iob.* 38. quod dicat Deus: *Vbi eras, dum me laudarent aſtra matutina*,ideſt Angeli,vt communiter exponitur, & *iubilarent omnes filij Dei*, ideſt Angeli boni tantum; & ſicut ſtella differt à ſtella in claritate.ſecundum *Apoſt.*1.*Corinth.*15. in ſpecie: ſic & Angeli differunt ſpecie, ſecundum *Diu. Thom. p.*1. *q.*50.*art.*4. Comparantur etiam Soli. *Matth.* 13. ibi; *Fulgebunt Iuſti ſicut Sol.* vnde ex magna pulchritudine, & claritate Archangeli Gabrielis expauit Maria Virgo, & turbata eſt in ſermone eius, vt habetur *Luc.*1. Et ſimiliter timuerunt Paſtores, cum apparuit illis Angelus cum magna luce, & claritate. *Luc.* 2. Et ſic mulieres ſanctæ quęrentes, vt vngerent corpus Ieſu in ſepulchro. *Matth. vlt.* Et Ioannes cecidit ante pedes Angeli,ſecum loquentis, vt eum adoraret ex magna pulchritudine, & fulgore claritatis, & gloriæ, vt habetur *Apocal.vlt.*Hinc eſt;quod *Bernardin.de Buſt.in* 2.*p.Roſar. ſerm.* 10. *litt.B.* dicat, tantam, ac talem eſſe claritatem, & præſtantiam Angelorum, ex auctoritate. *Diui Anſelmi in quodam ſermone*, vt ſi vnus tantum Angelus ſtaret in Cęlo ſtellato, & tot eſſent ſoles, quot ſunt ſtellæ,claritas illius Angeli tantum,omnes illos ſoles ſua claritate offuſcaret; ſicut nunc videmus,quod claritas ſolis omnes alias ſtellas ſuo ſplendore obtenebrare facit. Nec admirationem afferre debet iſta meditatio, nam ſi Deus omnipotens creauit ſtellas, quæ vita carent, cum tanto fulgore, & claritate, quas fixit in concauo Cæli; quantà maiori claritate,& præſtantia ſunt æſtimandi Angeli, qui vitam, ſine fine beatam habent; & meritò ſydera viua in conuexo Cælorum dici poſſunt,cum ſint miniſtri Dei ſem-

per ipſum laudantes, & benedicentes, cuius vultum contemplantes, faciemque proſpicientes recipiunt ab eo omnem plenitudinem claritatis, & venuſtatis. Quia Angeli omnem creaturam præcellunt, prioritate dignitatis, vt ait *Mag.ſent.in 2.diſt.2.*

86 Quæritur trigeſimoquinto, Ad quid aliud extendatur potentia Angelorum? Reſpondetur; quod vltra ea, quæ ſupra retulimus, habent Angeli magnum dominium ſuper omnes craturas irrationales, ſuper elementa, res elementares; imò, ſuper omnes cælos, quia Ipſi ſunt motores orbium, ſeu Planetarum, ipſis præſidendo, illoſque perpetuò mouendo, & agitando; vnde ſequitur generatio rerum in inferioribus, vt conſtat ex illo Salomonis *Eccleſ.* 1. ibi: *Luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus,* quo in loco habetur ſermo de ſole, quèm vocat ſpiritum, non quod Planetæ ſint copora animata, vt quidam Philoſophi falsò aſſeruerunt, & nos dicemus *infr.miſcell 4.n.91.* Sed quia Angelus eſt motor eius. Et vt ait *Diu. Anton. 1.p.tit.1.c.2.§.2.in fin.* Sol, & Luna ipſis deſeruiunt, & ſimul omnia alia corpora cæleſtia ad nutum obediunt; Imò tota materia elementaris eſt eis ſubiecta, quoad motum localem ad eorum placitum, vt teſtatur idem *D. Ant. 3.p.tit.31.c.5.§.1.in fin.* & colligitur ex *Geneſ.* 19. vt itidem inquit vbi ſup. de Angelis; qui fecerunt pluere ignem; & ſulphur ſuper Sodomam, & Gomorram, & ex pluribus aliis Sacræ Scripturæ locis, quos ſupra ſparſim attulimus.

Quod, & *Ariſtotiles* argumentando aſſeruit *lib. 8. Phyſic. c. 6. & lib.12. metaphys,* neceſſarium exiſtimans aliquas præeſſe ſubſtantias ſpirituales ipſis orbibus ab omni corporum concretione abſtractas, & ſeparatas, quæ perpetuò cælos moueant, concitent, agitent, atque gubernent. Quod etiam probatur *Matth.21.& Iob.9.*ibi: *Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem;* qui ſunt Angeli, vt communiter exponitur à ſacris Doctoribus.

Et hæc pauca pro nunc dixiſſe ſufficiant.

Ora-

Digitized by Google

## *Oratio deuotiſſima in honorem S.S. Angelorum, quæ ab Angelis tradita creditur, vt colligitur ex ſacris Doctoribus; præſertim ab Itiner. P. Placidi S. Petri Soc. Ieſ. quæ in hunc, qui ſequitur modum, ordinata fuit.*

*DOmine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio. & nunc, & ſemper, & in ſæcula, ſæculorum. Amen Alleluya.*

*Pſalm. 18.*

*Cæli enarrant Gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat Firmamentum, &c.* Qui pſalmus poſitus inuenitur ſecundus ordine, in Primo Nocturno officij parui Beatiſſimæ Virg. M. Finito pſalmo additur; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Pro Antiphona.

*Sancte Raphael Archangele veni in adiutorium noſtrum*
*Angelum Nobis medicum ſalutis*
*Mitte de Cælis Raphael, vt omnes*
*Sanet Aegrotos, pariterque noſtros*
*Dirigat Actus.*

*Ora pro nobis Sancte Raphael Archangele*
*Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.* *Oremus.*

*Deus, qui Beatum Archangelum tuum Raphaelem Thobiæ famulo tuo Comitem dediſti in via; concede nobis famulis tuis, vt eiuſdem ſemper protegamur cuſtodia, & muniamur auxilio. Per Chiſtum Dominum Noſtrum. Am̃.*

Pſalm. 128.

*Sæpè expugnauerunt me à Iuuentute mea, dicat nunc Iſrael, &c* & in fine additur verſic. *Gloria Patri &c.* vt ſuprà. Qui pſalmus eſt primus in ordine in completori o eiuſdem officij Parui. B Virg. M. Poſtea ſequitur antiphona *Sancte Raphael. &c. Angelum nobis, &c.* cum verſ. *Ora pro nobis, &c.* Et oratione *Deus qui, &c.* vt ſup. Deinde dicitur alter pſalmus. 129. videlicet

*De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam, &c. Gloria Patri, &c. Sancte Raphael &c. ora pro nobis, &c. Deus, qui; &c.* vt ſupra notatum eſt. *Deinde dicitur.*

*Angeli, Archangeli, Troni, Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes Cælorum, Cherubim, atque Seraphim laudate Dominum de Cælis Alleluia.*

*In*

Digitized by Google

*In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus,*

*Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Oremus.*

*Deus,qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas; concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrantibus in Cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur.Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

*Pater Noſter, qui es in Cælis, &c. Aue Maria Gratia Plena, &c.* cum *Gloria Patri, & Filio,&c.* nouies dicuntur in honorem nouem ordinum Angelorum ( Poſtea dicitur )

*Sancte Michael Archangele defende nos in prælio, vt non pereamus Am̄.*

F I N I S.

Qui autem reddi voluerint digni protectione Sanctorum Angelorum, procurent quantum potuerint, abſtinere à peccatis. Proponendo ante oculos mentis, quod Angelus Cuſtos eſt præſens,& videt malum, quod committitur, licet in abſcondito, & non ſolum Angelus, ſed ipſemet Deus; & ſic pudebit committere ante ipſorum conſpectum,quod ante aliam perſonam non faceret, Vnde multi Sancti, & perfecti Religioſi,& timorati Viri tenent ſcriptum in ſuis cubiculis: *Deus,& Angelus me vident*: quo viſo,tamquam à quodam fræno abſtinent,& retrahuntur à peccatis perpetrandis. Quod ſi aliquando, propter humanam fragilitatem quis in peccatum labitur, procuret quamprimum potuerit, illud per pænitentiæ Sacramentum illicò delere, deteſtando ex toto corde, quatenus eſt offenſa Dei, cum propoſito non peccandi de cætero,ac dolendo maximè; & recipiendo SS. Sacramentum Euchariſtiæ, commendando ſe Angelo ſuo Cuſtodi, vt intercedat ipſi à Deo remiſſionem peccatorum; & gratiam, vt Diuina præcepta ſeruare poſſit qua mediante dignos pænitentiæ fructus facere, & vitam æternam conſequi mereatur.

Supradicta oratio eſt valdè vtilis Itinerantibus, & quibuſuis in neceſſitate,vel periculo conſtitutis, vt ego ipſe expertus fui, & paſſim in dies experior.

TRA-

Digitized by Google

# TRACTATVS MISCELLANEVS SECVNDVS DE COELIS




QVAMPLVRA ad Cælorum materiam pertinentia retuli,& tetigi *in lib.*1.*Muſ.p.*3.*c.*4. occaſione habita ibi demonſtrandi Cælorum harmoniam; Ipſorumque harmonicam creationem, ac diſpoſitionem. Verum quia breuitati conſulens non potui tam vaſtam materiam paucis comprehendere: Ideo hoc ſecundo libro tractatum hunc particularem facere volui. vt congerere valerem reliqua, quæ ex Doctoribus collegi, tamquam ſelectiora, ac magis curioſa; cætera verò apud eoſdem videnda,quæ quæſtionibus implicita ſunt, relinquendo.

1 Dico igitur,(Philoſophicè tamen loquendo) quod Cælum non eſt Elementum, nec compoſitum ex elementis; ſed eſt quoddam mixtum compoſitum ex materia prima,& propria forma ſubſtantiali,

Digitized by Google

tiali, natura ſua ſimpliciter corruptibile: Attamen ab Agente naturali non corrumpitur, quia ipſius forma non habet aliam formam contrariam potentiorem ſe. Non eſt neque leue, neque graue: neque calidum: neque frigidum; ſed omnibus impreſſionibus vacuum, vt inquit *Algazel. de natura ſpeculi, relat. ab Auct. Marg. Philoſ. l.7. tr.1. cap. 19., ex Sanct. Thom. 1. p. q. 63. art. 3. & q. 66. art. 2.* Quidam autem ex Philoſophis Antiquis aſſerunt, Cælum elementaribus qualitatibus conſtare, & proinde corruptibile: Alij verò medium tenentes aſſerunt, Cælum ex materia, & forma compoſitum eſſe, & proindè incorruptibile extrinſecè, non autem intrinſecè, cum nullum agens naturale reperiatur, quod poſſit ipſum corrumpere. *ità Scot. diſt. 14. q. 1., quem ſequitur Maſtr. diſp. 2. de cal. q. 3. nu. 100. & ſeq.*

2 Dicitur Cælum à cælando, vel quia cæleſtem Beatitudinem nobis occultat; vel quia omnia ſublunaria continet. Et multipliciter ſumitur, vt notat *Ariſtot. lib. 1. Cæli, c* 96.

3 Eſt autem notandum, quod Cælum ſphærica figura, ideſt rotundum eſt, ad ſimilitudinem Archetypi Mundi, & Ideæ mentis Diuinæ, in quo non eſt principium, nec finis, vt tradit *Boet. de conſol. lib. 3. met. 9.*

4 Præmittendum eſt tamen, pro perfectiori intelligentia præſentis materiæ, quid ſit ſphæra. Vnde relictis diuerſorum definitionibus, dicimus cum *Auct. Marg. vbi ſup. cap. 3.* cuius definitio plus placet, quod ſit corpus ſolidum, vnica ſuperficie contentum, in cuius medio punctus eſt, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam, æquales ſunt. Punctus autem ille dicitur *Centrum ſphæræ*: linea verò recta tranſiens per centrum ſphæræ applicans ſuas extremitates ad circumferentiam ex vtraque parte, dicitur *Diamether* & diuidit ſphæram in duas partes æquales; ſiuè mobilis ſit ad motum ſphæræ; ſiuè immobilis, & tunc dicitur *Axis*. Puncta vero Axim terminantia, dicuntur *Poli ſphæræ*, nam in qualibet ſphæra ſunt duo Poli, cum ſint duæ extremitates Axis, qui & Cardines, & vertices ſphæræ dicuntur. Hinc duo Poli cæleſtis Regionis Arcticus, & Antarcticus, de quibus infrà.

5 Obſeruandum eſt etiam, quod in quolibet Cælo Planetarum ponuntur tres ſphæræ partiales, in quas diuiditur quodlibet Cælum, quarum duæ extremæ dicuntur concentricæ, ſimpliciter, & excentricæ ſecundum quid: media verò dicitur excentrica ſimpliciter. Concentrica ſphæra dicitur illa, cuius centrum eſt idem cum centro Terræ: excentrica verò dicitur ea; cuius centrum eſt

extrà

Digitized by Google

extrà centrum Terræ; taliter autem Aſtrorum Indagatores ipſas componunt, vt duæ extremæ ſphæræ inter ſe inæquales eſſent, & excentricæ ſecundum quid; ideſt ſecundum vnam ſuperficiem concauam, ſi de Superiori intelligas, & conuexam, ſi de inferiori; Concentricæ verò, ſecundum alias ſuperficies, itaut vna medietas illarum ſit craſſior, altera ſubtilior, quæ ſemper ſit ſub ſpiſſiori alterius partialis ſphæræ, ſicut pars craſſior ſub parte ſubtiliori; Media verò ſphæra eſt excentrica ſimpliciter, ſecundum ambas ſuperficies, concauam ſcilicet, & conuexam; & iſta defert Aſtrum, ſeù Planetam; cæteræ verò dicuntur deferentes orbem excentricum. Motus autem primæ, & tertiæ; eſt ad motum primi mobilis motu diurno; licet aliqui aſſerant, moueri etiam ad motum firmamenti ab occaſu in ortum, vt clariùs ſuis locis infrà patebit. Solùm media mouetur proprio motu in orientem, iuxta periodum motus cuiuslibet Planetæ. Quando autem Planeta ſuperponitur ſpiſſiori parti inferioris ſphæræ, & ſupponitur minus profundæ ſuperioris, dicitur eſſe in auge; & è contra quando ſuperponitur tenuiſſimæ parti inferioris ſphæræ, & ſupponitur ſpiſſiori ſuperioris ſphæræ, dicitur eſſe in oppoſito augis, vt oſtendunt *præc. DD. & Maſtr. ibid. qu 1. ar. 2. num. 22.*

6 Datur etiam ſphærula quædam ſolida, per Aſtronomos, immerſa intra craſſitiem excentrici ſimpliciter, quæ dicitur *Epiciclus*, qui circa proprium centrum circumuolui poteſt, in cuius parte affixus eſt Planeta. Mouetur autem Epiciclus, & ad motum excentrici, & proprio motu, circa ſuum centrum proprium, circa quod etiam Planeta mouetur ad motum Epicicli, qui fit ab occaſu in ortum, ſicut motus excentrici, præter Epiciclum Lunæ, qui ab ortu in occaſum mouetur. Iſte Epiciclus diuiditur in quatuor partes per eoſdem Aſtronomos, formant enim duas lineas à centro Terræ continentes, & tangentes Epiciclum ex Oriente, & Occidente. Puncta autem, quæ tangunt iſtas lineas, dicuntur *ſtationes* vnde, punctum orientale, dicitur ſtatio prima; punctum Occidentale, ſtatio ſecunda; & quando Planeta exiſtit in aliquo ex his punctis, dicitur ſtationarius, quia videtur nobis in Epiciclo quodammodo ſtare, & non mutare locum; cum reuera, vel aſcendat, vel deſcendat. Arcus verò Epicicli Superior dicitur *directio* Planetæ, & Planeta ibi exiſtens dicitur *directus*, quia tunc ab occaſu in ortum mouetur, ſecundum ordinem ſignorum, vt Verbi gratia ab Ariete in Taurum, & ſic de reliquis; Arcus verò inferior dicitur *retrogradatio*; & Planeta in eo exiſtens dicitur *Retrogradus*, quia incedit ordine

G

ne retrogrado ab ortu in occaſum, vt ab Ariete in Piſces, & ſic de reliquis, vt *DD. præfati docent, & Maſtr. vbi ſup. nu.* 26. vbi multa curioſa congerit, & per quæſtiones diuidit, atque Doctorum ſententias in ſingulis examinat. Ego tamen quæ ſupra attuli, tamquam proloquia, prologomenaque propoſui, ad faciliorem intelligentiam eorum, qui plenam Aſtronomiæ notitiam non habent, vt aliquo modo ſaltem, quæ legent, intelligant.

7 Sed quæritur, An Orbes Cælorum ſint opaci, vel Diaphani? Reſpondetur Orbes eſſe omninò Diaphanos, imò tali Diaphaneitate, & in tanta perfectione ipſius, vt nullomodo impediant nobis viſionem Aſtrorum, vt *notat Auerſ. q.* 34. *phil. ſect.* 2. *& Alij relati, à Maſtr. ibid. diſp.* 2. *q.* 2. *ar.* 3. *nu.* 76. *& qu.* 6 *num.* 176. Differunt tamen Aſtra à Cælis in opacitate, licet ipſa ſint partes Cæli, & eiuſdem naturæ, ita vt ipſa ſint partes Cælorum magis opacæ, vt dicemus, cum de ſtellis ſermonem habebimus infrà *eod. Miſcel. in quarto Cælo verſ. in hoc Cælo ſtellato*. Quid autem ſit Diaphaneitas, vel opacitas habetur *infr. Miſcel.* 4. *nu.* 20.

8 Quæritur inſuper, An Cælorum numerus certò ſciatur? Reſpondetur, quod numerus Cælorum controuertitur apud Doctores, & Aſtronomicos. Quidam enim aſſerunt eſſe tantum tres, Alij ſeptem; alij decem, alij vndecim, & alij duodecim. Cæterum quia communior, & magis recepta ſententia eſt eorum, qui vndecim eſſe contendunt: Ideo illam ſequemur: quidquid alijs placeat. Qui autem vndecim eſſe aſſerunt tali modo collocant, & diſtribuunt, videlicet.

Primum Cælum dicitur Empyreum, vbi ſedes Summi Dei eſt, ac Beatorum extra Mundi comprehenſionem.

Secundum Cælum dicitur primum mobile, ſeu mouens alios.

Tertium dicitur Criſtallinum.

Quartum dicitur Firmamentum, vbi ſunt ſtellæ fixæ, & dicitur etiam Cęlum ſtellatum.

Quintum dicitur Cęlum ſphęrę Saturni.

Sextum dicitur Cælum ſphærę Iouis.

Septimum dicitur Cęlum ſphærę Martis.

Octauum dicitur Cælum ſphęræ Solis.

Nonum dicitur Cælum ſphæræ Veneris.

Decimum dicitur Cælum ſphæræ Mercurij.

Vndecimum dicitur Cęlum ſphæræ Lunæ; quod eſt proximius Nobis.

9 *Primum igitur Cælum* quod dicitur *Empyreum*, eſt vndeci-

mum

Digitized by Google

mum à Terrę globo, ſecundum alios, qui diuerſimodè computant. Quod, ſecundum Sacræ Scripturæ Profeſſores dicitur Igneum, quia à Summa Dei claritate illuminatur; Ibi enim eſt Sedes Sanctiſſimę Trinitatis veri Dei, & Beatorum Patria, in qua perpetua fęlicitate fruuntur, & gaudent, vt habetur *Eſaia* 66. illis verbis: *Cœlum ſedes mea eſt; & Matthæi* 5. ibi. *Nolite iurare per Cœlum, quia Thronus Dei eſt; & Dau. Pſalm.* 18. ibi: *A Summo Cœlo egreſſio eius.*

Quod prima die creatum à Deo Sacræ teſtantur litteræ, *vt Geneſ.* 1. ibi. *In Principio creauit Deus Cœlum, & Terram*; Et ſtatim Angelis repletum fuit, vt habetur *in cap.* 1. *de Summ. Trinit. & fid. Cathol. vbi Gloſ in ver. ſimul., Sanct. Baſil. lib.* 1. *Hexamer., Sanct. Iſydor., Beda, & Alij.* Hoc Cœlum dicitur etiam Olympum. *Auct. Marg. Phil. lib.* 7. *tr.* 1. *c.* 8.

10 *Secundum Cœlum* computando ab Empyreo; Decimum verò à Globo Terræ, dicitur ***Primum Mobile,*** quod eſt ſine ſtellis. Hoc aſſeritur, à Doctoribus, moueri ſuper Polos Mundi, & verti continuò ſpatio vigintiquatuor horarum; quo curſu finito reuertitur in punctum, vnde rotari incæpit. Rotatur autem ſine fatigatione, & ſemper eodem modo motu regulato, ab Oriente per meridiem in Occidentem, & iterum in Orientem rediens in 24. horis, vt dixi ſuo autem motu ſecum trahit omnes alias ſphæras inferiores, & ſic illæ voluuntur motu quodammodo ipſis violento; motus quippe connaturalis aliarum ſphęrarum eſt omninò diuerſus à motu Primi Mobilis; nam iſtæ voluuntur ab occaſu in ortum currentes, vt notat *Petr. Apia. in Geograph, lib.* 1. *c.* 2. ſed motui primi mobilis reſiſtere non valentes, quemdam motum efficiunt, qui dicitur trepidationis, ſeù acceſſus, & receſſus, de quo *vide Ariſtot.* 8. *Phyſic.*

11 *Tertium Cœlum* ab Empyreo; nonum verò à Terra, dicitur *Criſtallinum,* ſeù Aqueum gelatum, vt à quibuſdam vocatur, in quo nulla apparet ſtella, ſed ad modum criſtalli lucidum apparet. Duos habet motus: vnum accidentalem, quo rapitur à primo mobili ſingulis diebus ab ortu in occaſum: Alterum proprium, quo ab Occidente verſus Orientem ſuper proprijs Polis in 200. annis, gradu vno, & minutis viginti octo reuoluitur. Complet autem totam reuolutionem in annis 49000. Quę reuolutio à quibuſdam dicta fuit *annus Platonis,* qui ſcripſit, omnia tunc inueniri eodem modo, quo erant antè, ideſt completa ſupradicta reuolutione, ſicuti quando incæpit reuolutio. Sed ſomniant, qui eum ſequuntur, ſicut idem Plato ſomniauit illius chymericæ ſententię Auctor, quia eſt contra veram doctrinam *Diui Pauli ad Roman.* 6. ibi: *Nos poſt reſurre-*

*ctiorem ſemper cum Domino erimus*, vt benè demonſtrat *D. Auguſt. l. 12. de Ciuit. Dei c. 13. in fin.* ibi: *ſemel Chriſtus mortuus eſt pro peccatis Noſtris; reſurgens autem à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur*. In hoc Cælo ſunt aquæ, vt dicitur *Geneſ. c. 1. fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis*; vndè firmamentum conſtitutum apparet in medio aquarum, & diuidit aquas Superiores ab inferioribus, *vt Dauid Pſal. 103. Qui tegis aquis Superiora eius; & iterum Pſal. 146 Aquæ omnes, quæ ſuper Cælos ſunt, laudent nomen Domini; & Daniel. 3. Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper Cælos ſunt, &c.*

12 *Quartum Cælum* deſcendendo ab Empyreo, octauum verò à Terra dicitur *Cælum ſtellatum*, quod dicitur etiam *firmamentum*, in quo ſtellę innumerabiles collocatæ ſunt, quæ fixæ appellantur, quia ſemper æqualiter à ſeipſis diſtant, & motum ſuum diuerſum à motu ſui Cæli habent. Et in hoc Cęlo ſunt decem *circuli imaginarij*, vt dicitur *in Marg. Phyloſ. lib. 7. tract. 2. c. 11.* ſeſe interſecantes, ac imaginum in Cælo ſitum, motum, ac diuerſitatem notificantes. Hoc Cęlum tres habet motus. Primus eſt, ab Oriente verſus Occidentem, ad motum primi mobilis, ſuper Polis mundi, & completur ſpatio diei naturalis, qui dicitur motus accidentalis. Habet ſecundum motum ſimiliter accidentalem, quo à ſuperiori ſphæra proxima, ſcilicet à Criſtallino Cælo pręcedenti aduerſatur ab Occidente in ortum in 200. annis, gradu vno, & minutis 28. & ſic totus perficitur ſimiliter in 49000. annis, & dicitur motus augium, & ſtellarum fixarum, *vt Marg. vbi ſup. c. 6.* Tertius motus eſt illi proprius, non accidentalis, & dicitur motus acceſſus, & receſſus ſtellarum fixarum, vel titubationis in capite Arietis, & librę, qui perficitur in ſeptem millibus annis. *vid. Marg & DD. vbi ſup.*

13 Horum autem circulorum imaginariorum, mox ſupradictorum quidam ſunt maiores; quidam verò minores: Maiores ſunt ſex, qui tranſeuntes per conuexam ſuperficiem firmamenti, & eius centrum, diuidunt ipſum in duo æqualia, quorum nomina ſunt: *Aequinoctialis, Zodiacus, Colurus Solſtitiorum; Colurus æquinoctiorum; Circulus meridianus, & Horizon.* Qui omnes concipiuntur in mente, ſicut linea quædam circularis, abſque latitudine.

14 *Aequinoctialis circulus* diuidit ſpheram in duo ęqualia, ſecundum quamlibet ſui partem æqualiter à Polis diſtans; & ità dicitur, quia quando Sol ad ipſum circulum peruenit, fiunt dies noctibus æquales, quod fit bis in anno; primo in principio Arietis circà feſtum Diui Gregorij 12. Martij; & ſecundo in principio libræ in feſto exaltationis Sanctæ Crucis 12. Septembris, triduo antè feſtum Sancti Lamberti. Vndè verſus.

Lam-

Digitized by Google

*Lambert Gregori dies eſt æquata diei.*

Alij recentiores dicunt contingere die 21. Martij, & 24. Septembris,

15 *Zodiacus* eſt circulus maior, qui In duas partes obliquè ſecat æquinoctialem,quarum vna verſus Auſtrum, altera verſus Septentrionem declinat, & ideò dicitur circulus obliquus. Imaginatur autem Zodiacus in Cælo, ſicut quædam faſcia, habens latitudinem 12. graduum, ad hoc vt motus Planetarum exprimi poſſit, quia nunquàm excedunt ſpatium 12. graduum circà quos in Zodiaco mouentur. In medio ipſius eſt linea diuidens ipſum in circuitu,ſex gradus relinquens ex vna parte, & ſex ex altera, ſub qua Sol ſemper mouetur, vbi reliqui Planetæ declinant, qua propter hæc linea via Solis appellatur, & aliquandò *Eclyptica*, quia nunquàm contingit Eclypſis Solis, vel Lunæ, niſi Luna ſub iſta linea moueatur. *Maſtr. ibid. nu.* 11. Habet 12. Aſtra, ſeù ſigna quorum quæ verſus Auſtrum declinant Auſtralia vocantur, vt ſunt *Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius. Piſcis*; Quæ vero verſus Septentrionem, dicuntur Borealia, ſeù Septentrionalia, vt ſunt, *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo*; de quibus infrà in octauo Cælo Solis. Habent verò nomina animalium, propter proprietates ipſis animalibus communes cnm talibus ſignis; vel quia ſtellæ in illis partibus fixæ, figuram referunt illius animalis. *Maſtr.diſp.2.q.1.art.1.num.9.*

16. *Colurus Solſtitiorum* eſt circulus per Polos Mundi,maior quidem, & per Polos Zodiaci, & maximas Solis declinationes, atque principia Cancri, & Capricorni tranſiens; diuidens ſphæram in duo æqualia, cuius medietas apparet in modum caudæ bouis Silueſtris; & dicitur Solſtitiorum, quia ſol ipſum attingens amplius non aſcendit. Fit autem bis in anno hæc conuerſio: In æſtate, quando dies eſt longiſſima, circà diem 15. Iunij in feſto Diui Viti; & in hyeme, quandò dies eſt breuiſſima, circà diem 13. Decembris in feſto Sanctæ Luciæ. Vndè verſus.

*Vitus, & Lucia tibi dant Solſtitia bina.*

Pro quo ſciendum eſt, quod ſol mouendo ſe ſub Zodiaco,proprio motu, propter Zodiaci obliquitatem, nunc ad æquatorem accedit, nunc recedit; acceſſus dicitur *aſcenſus*, receſſus dicitur *declinatio Solis*. *Solſtitium* eſt declinatio maxima ſolis ab æquatore;& fit, vel quando à nobis maximè diſtat, vel quando nobis maximè accedit; ideò duplex eſt, hyemale ſcilicet, & æſtuale. Hyemale contingit in principio Capricorni, & eſt ille dies, in quo ſol à nobis maximè diſtat; Aeſtuale contingit in principio Cancri, & eſt ille

dies.

dies, in quo ſol eſt nobis propior. *Maſtr. ibid. nu.* 12.

17 *Colurus Aequinoctiorum* eſt circulus maior per Polos Mundi tranſiens, ſphæram in duo æqualia diuidens, qui eſt magnitudo circuli tranſeuntis per prima puncta Arietis, & libræ, quæ puncta *æquinoctialia* dicuntur, quia cum ſol ad ipſa peruenit, dies æquantur noctibus, quod bis, vt dixi, in anno fit, in Vere, & in Autumno. Dicuntur *Coluri*, ideſt Mutili, ſeù imperfecti, quia nunquàm à Nobis in ſphæra obliqua habitantibus, totaliter conſpiciuntur, neque ſimul, neque ſucceſſiuè. *DD. cit. & citandi, præſertim Maſtr. vbi ſup.*

18 *Circulus meridianus* eſt, qui tranſit per Polos mundi, per Zenith capitis hominis, (qui *Zenith.* eſt punctus firmamenti directè capitibus noſtris ſuppoſitus), ſi fingatur linea à Septentrione veniens extenſa vſque in meridiem. Dicitur autem iſte circulus meridianus, quia Sol ab ortu aſcendens, ad ipſum perueniens, meridiem facit ei; per cuius Zenith. talis circulus tranſit; & mediam noctem, ſi infrà Horizontem venerit in eam lineam, vt dixi. *DD. prædicti.*

19 *Horizon* eſt ille circulus, qui diuidit Emiſphærium ſuperius ab inferiori, & viſum noſtrùm terminat in exhibita parte Mundi viſa ſuprà nos, & ad latera. vt videri poteſt in figura ſphæræ in Marg. Phyloſ. *lib.* 7. *tract.* 1. *c.* 18. Petr. de Greg. *in Syntax. lib.* 8. *c.* 7. *& aliis DD.*

*Hemiſphærium* autem eſt, medietas ſphæræ, ideſt medietas Cæli à Nobis viſa.

Alij quatuor circuli imaginarij, qui minores dicuntur ſunt, *Arcticus, Antarcticus*, *Tropicus Cancri*, *& Tropicus Capricorni*, quorum duo primi cauſantur circà Polos mundi ex motu Polorum Zodiaci,

20 *Arcticus* eſt ille, qui diſtat à Polo Septentrionali 23. gradibus, & 30. minutis, numerando verſus circulum æquinoctialem. Et dicitur etiam *Vrſa maior,* circà iſtum Polum ſituata Borealis, ſeù Septentrionalis, vel quia Borealis ventus hinc oritur. vel à ſeptem ſtellis circà illum Polum exiſtentibus, ab Italis *Tramontana*; ab aliis *Nort* dictæ; & iſte Polus ſemper à Nobis videtur.

21 *Antarcticus* eſt ille, qui diſtat à Polo meridienali totidem gradibus, & minutis. Circuli Polares oſtendunt Polos Zodiaci, & quantum diſtent à Polis Mundi; qui eiſdem nominibus nominantur à contrario *Vrſa minor,* vel Auſtralis à vento, vel Meridionalis à tali Mundi plaga dicitur.

22 *Tropicus Cancri,* ſeù æſtiualis, eſt circulus ille minor, in quo Sol ſiſtit in primo illius puncto, & tunc altiùs non aſcendens à nobis ſe conuertit, cum eſt in principio cancri à Sole deſcriptus motu diurno,



Digitized by Google

no, in qno Solſtitium æſtiuale contingit. Sol enim motu diurno ab Oriente in Occidentem deſcribit multos circulos, circà Mundi Axem, & ſunt ferè 182. quia tot dies, quaſi conſumit in acceſſu ab vna parte Zodiaci, ad alteram remotiorem. *Maſtr. vbi ſup. n.* 13.

23 *Tropicus Capricorni* eſt ſimiliter circulus ille minor deſcriptus à Sole, motu diurno, quando Sol in primo illius circuli puncto, eſt in principio Capricorni, in quo euenit hyemale Solſtitium. Dicuntur Tropici à verbo græco *Tropis*, quod conuerſio dicitur, quia tunc incipit ſol ſe conuertere ad æquatorem. Dicuntur minores, quia non diuidunt ſphæram in partes æquales, & ſunt veluti limites totius ſpatij, per quod ſol vagatur. *DD. ſup. citat.*

24 In hoc Cælo ſtellato, ſeù firmamento ſunt quidem innumerabiles fixæ ſtellæ, vt in principio eiuſdem dixi, ſeù Aſtra innumerabilia ferè, & infinita, quæ fixa dicuntur, vt ex Sacra Scriptura habetur *Geneſ.* 15. vbi Deus dixit ad Abraham, *ſuſpice Cælum, & numera ſtellas, ſi potes*; & *Ierem.* 33. *ſicut enumerari non poſſunt ſtellæ Cæli, & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen* David; quod colligitur etiam ex *Ariſt.* 1. *Metheor. c.* 8. Nec vnquam fuit quiſquam, qui numerare potuerit ſtellas fixas, quia non omnes illas videre poſſunt, vt inquit D. *Auguſt. de Ciuit. Dei lib.* 16. *c.* 23. cum hoc ſit ſolius Dei, vt innuit *Regius Propheta David Pſal.* 146. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Vndè non ſunt audiendi *Aratus, & Eudoxius*, qui illas numeraſſe, & conſcripſiſſe iactantur. Dicuntur autem fixæ, quia interſe ſemper ſeruant eandem diſtantiam, ſitum, & figuram; ad differentiam errantium, quæ non ſeruant eandem diſtantiam, ſitum, & figuram. Quod intelligendum eſt de ſtellis, quæ non apparent, non de his, quæ videntur, maximè hyemali tempore, quo aer purior eſt ab exhalationibus, quæ viſum noſtrum impedire ſolent; nam ſtellæ fixę, quæ nobis magis viſibiles ſunt, præter ſeptem errantes, Planetas dictas, numeratæ ſunt ab Aſtronomis mille, & viginti duæ ſtellæ, quas in ſex claſſes diſtribuerunt,

25 cum in quantitate, & magnitudine inæquales ſint; quarum prima continet ſtellas quindecim, cæteris maiores, & quælibet ipſarum continet terram centies ſepties, & ferè ſextam eius partem. Secunda Claſſis continet ſtellas quadraginta quinque, quarum quælibet terram 90 vicibus, & paulò amplius vnam eius octauam continet. Tertia claſſis habet ſtellas 208. quarum quælibet terram continet ſeptuagies, & quaſi vnam eius quintam.

Quarta claſſis habet ſtellas 474. & quæuis terram compræhendit 54. vicibus,

Quin-

Quinta claſſis 217. ſtellas continet, quarum quælibet 35. vicibus Terram comprehendit,

Sexta habet ſtellas paruas 49., Terram 18. vicibus quæuis excedens. Quibus etiam addendæ ſunt quinque aliæ, quæ nebulæ, ſeù nebuloſæ dicuntur, quia obſcuræ ſunt;& nouem aliæ,quæ quia ſunt obſcuriores, appellantur tenebræ, & aliæ rubeę, vt colligunt Aſtronomi moderni *ex Ptolomeo in Almageſto, Marg.Phyl.lib.7.tract.1.c.25. Alphagrano lib. de rudimentis Aſtronomiæ diff. 19. & ex Albategnio lib.de ſcientia ſtellarum c.51.* qui propriis nominibus omnes illas ſtellas exornat. Hæ ſtellæ ab Aſtrologis diuiſæ ſunt in quadraginta octo *aſteriſmos,* ſiuè conſtellationes, & imagines, & in ſingulis certus ſtellarum numerus diſtribuitur; quarum magis famoſæ, & illuſtriores ſunt illæ duodecim ſtellæ, ſeù ſigna in Zodiaco circulo poſitę *de quibus inf.in octauo Cælo, verſic. dicam igitur nu.43.* Reliquę verò diſtribuuntur, vel verſus Septentrionem, vel verſus Auſtrum; ſunt autem illæ ſtellæ ità imaginatæ, & figuratæ in Cęlo, vt pręſertim illæ pręfatæ 12. Zodiaci, & alię, ob ſimilitudinem, quamdam cum rebus figuratis, vel ob aliquem effectum, vel ob quaſdam Antiquorum fabulas, qui homines quoſdam, vel res aliquas in Cælum translatas crediderunt, vt Argonauis, Orphęus, Crater, Perſeus, &c. de quibus *Macrob.lib.5.Baccanal.per tot.*

26 Quæ verſus Septentrionem ſunt, dicuntur Semptentrionales, ſunt autem 21- de pręfatis 1022. ſtellis fixis 360. continentes ſtellas ex dictis, quæ vocantur *Vrſa minor,* ſeù *cynoſura* : *Vrſa maior,* ſeù *Arctos* : *Draco medius* inter ambas vrſas : *Cepheus* : *Caſſiopeia* : *Corona* : *Hercules* : *Vultur cadens*; *Pleiades,* ſiuè *Gallina* : *Arctophilax,* ſiuè *Boetes,* ſeù *Arcturus* : *Perſeus cum capite Gorgonis* : *Auriga,* ſiuè *Agitator* : *Anguitenens* : *Anguis* : *Sagitta,* ſiuè iaculum : *Aquila,* ſiuè *Vultur volans* : *Delphin* : *Equus primus* : *Equus ſecundus* : *Andromeda* : *& Triangulus.*

27 Quę verò verſus Auſtrum, extrà Zodiacum vertuntur, ſunt quindecim 36. continentes ex ſtellis 1022. videlicet *Catus magnus* : *Orion* : *Eridani fluuius* : *Lepus,* Canis minor, ſiuè Canicula : *Canis maior* : *Argos nauis* : *Ara* : *Crater* : *Coruus*; *Chiron,* ſiuè *Centaurus. Hydra*; *Turribulum* : *Auſtrale ſertum* ; *& Piſcis Auſtralis*; de quibus omnibus vide *Albategninum dict.lib.de ſcient.ſtellar. & Hyginium de ſyderibus,& Alphonſum in tabulis.*

28 Sunt; & alię permultę ſtellæ, quarum nomina habes apud DD. & quot ſingulę ſtellis componantur, quandò inuenies. Inter ſtellas fixas cernitur quoque *Zona* quędam inęqualis in latitudine variis modis obliquata, & interſecta totum Cęlum ambiens, & hæc ra-

Digitized by Google

ratione fuit appellata ab Ariſtotile *Circulus maximus.* & propter candorem, quem retinet, *Via lactea* quoque dici ſolet; græcè dicitur *Galaxia, de qua inf. Miſcell. vlt. verſic. Pro complemento nu.* 109. incipit à pedibus Geminorum, & vertitur in Geminos per principium Sagittarij, ab Oriente ſcilicet, vſque ad Septentrionem per Cancrum, & Capricornum procedens, plures aſteriſmos complectitur, & per multas imagines extenditur, vt per *Caſſiopeiam*, *Cycnum*, *Aquilam*, *Scorpionem*, *&c.* & quandoque duplicatur; ſed ſemper inuariata permanet, nec à ſtellis fixis mutat aſpectum, cùm plures ex ipſis ibi reperiantur, quàm in alia Cæli parte. Mouetur autem ad motum Cæli ſtellati, abſque vlla diuerſitate, *de qua Cicer. in Somn. Scip. & ibi Macrobius lib. 1. c. 4. & 9. & Ouid. in 1. Metamorph. inquit.*

*Eſt via ſublimis Cælo manifeſta ſereno.*
*Lactea nomen habet; candore notabilis ipſo*
*Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta tonantis,*
*Regalemq; donũ, &c.* Quibus tenere videtur, quod per illam ſit iter ad Deum; vt tenent ſimiliter homines rudes, & vulgares, quod ſit via, qua itur ad Sanctum Iacobum in Compoſtella. Variæ adducuntur opiniones, quid ſit iſta via lactea *ab Ariſt. in* 1. *Metheor. ſum. 2. c. 5.* quas ille confutat, & ſubdit *in c.* 6. quod ipſa ſit res omninò Metheorologica, exiſtens in ſuprema aëris regione, & prouenit ex magna congerie terreſtrium habituum illic exiſtentium vi ſyderum attractorum, qui ex Cæli motu albeſcunt ex accenſione. Sed à multis hæc Ariſtotelis ſententia non admittitur, propter rationes, quas latè adducit *Maſtr. vbi ſup. diſp. 2. q. 2. art. 3. à num.* 18. *vſque ad* 87. vbi tandem aſſerit, quod via lactea eſt in Cælo ſtellato, & nihil aliud eſt, quàm congeries, & aggregatum multarum ſtellarum, quarum ſingulæ per ſe non diſcernuntur, propter paruitatem, ſed omnes ſimul congregatæ continuæ apparent, propter maximam à Nobis diſtantiam, illamque Cæli partem albicantem reddunt. Quæ opinio eſt communis omnium Doctorum, de qua plura *Hyginius lib. 4. Aſtronom.*

Sed quæret aliquis, cuius materiæ ſint ſtellæ, vel naturæ, an ele-
29 mentaris, vt aſſerit *Diogen. Laert. in lib. 1. in princ. & Cic. 2. de nat. Deor.* primus dicens, materiam, ex qua ſtellæ conſtant, eſſe ignem; ſecundus in idem coincidens inquit, eſſe flammam; An verò naturæ ſimplicis, vt ait Ariſtotiles? Reſpondetur ſecundum Theologos, ipſas ſtellas, eſſe compoſitas ex materia, & forma, ſicut & Cæli; vndè communiter dicitur, ſtellas eſſe Cæli partes denſiores, reliquas verò partes eſſe rariores, de qua ſententia teſtatur *Maſtr. ibid. diſp. 2. q. 2.*



Digitized by Google

*art.3.nu.74.* quod ante teſtatum habemus *in Marg.Phil. lib.7. tract.1.* *c.19.* vbi habetur, quod ſtella eſt denſior orbis ſui pars luminis ſolis receptiua, & retentiua, & propterea potentiæ viſiuæ obiecta; orbis verò in alijs partibus, quia rarior, lumen verſus ipſum proiectum non incorporans, luminoſus, aut lucidus non fit; nec cuius vis colori ſubijcitur, ideò viſibilis non eſt. Quam ſententiam ſequuntur ferè omnes, quamque communem *ait Iouian.Pontan.lib.2. de reb. Cæleſtib. c.* 8. aſſerens, ſtellarum corpora eſſe partem concretionis orbium ſuorum, qui nec elementa ſunt, nec elementale quidquam continent.

30 Sed hic inſtare poteſt aliquis; An ſtella illa prodigioſa, quæ apparuit Magis in Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, *vt Matt.c.2.* fuerit eiuſdem materiæ, ſicuti cæteræ ſtellæ?

Reſpondetur non fuiſſe eiuſdem materiæ, nec earumdem virium, & naturæ; ſed illam fuiſſe virtute Diuina compactam, Angeli ductu in aëre gradientem, etiam contrà naturam aliarum ſtellarum apparentem, non in firmamento fixam, ambulantem, & quieſcentem cum motu Magorum Regum, à parte Septentrionali, quæ Perſidis eſt, in meridiem, vbi Hieruſalem, contrà aliarum iter, directam, vt notant *S.Baſilius Magn. Sermon. de humana Chriſti generatione, Theophylactus in cap 2. Matth.& Nicephor. Caliſt.lib.1.c.1.& 3.*

31 Quidam exiſtimarunt, ſtellas animatas eſſe, ſed malè, & erroneè, *vt Origen.lib.1.Periarchon.* contrà quem meritò inſurgit *D.Hieronymus ad Auitum de errorib. origenis in Periarch.* Ignorantes omninò, quod non anima illis ineſt, cum mouentur ad motum ſui orbis, nam de per ſe ſtellæ non mouentur, alias deſtruerentur, vt ait *Marg. Phyl. vbi ſup.c.19.in fin.* Sed adſtat intelligentia, ſeù Angelus quidam orbi, quem mouet, at non informat, nec intellectualem, aut ſenſibilem reddit. *D D. cit.* Hoc autem errore ducti quidam ex antiquis ſtellas adorabant, tanquàm Deos, vt ait *Diodor. Sicul.lib.2. Bibliothec. hiſt.8.* veluti Caldæi ſigna Zodiaci, Solem, & Lunam, & alia aſtra, Deos æſtimantes. Hæbrei quoque in tàm immáne ſcelus lapſi ſunt, verum Deum colere obliti, Aſtra adorantes, vt habetur *Deuteron.* 17. 4. *Reg.* 17. *Hierem.* 19. *& Amoſ.* 5. debuerunt potius vero Deo cultum illum tribuere, in cuius potentia eſt naturam, formam, ordinem, vires, & pulcritudinem ſtellis inditam, ſuo libitu auferre, minuere, vel immutare; hoc autem faciebant antiqui, quia conſiderabant earum pulcritudinem tantùm, & excellentiam ipſarum, cum nihil amplius illis ſit formoſius, reliqua contemplare omittentes.

For-

Digitized by Google

32 Forma ſtellarum rotunda, & ſphærica eſt, vt dixi *ex Ariſtot. lib. 2. de Cæl.c.9. & 11.* quia hæc figura per ſe non mouetur, ſicut neque ſtellæ, quod explicat *Macrob.in Somn.Scipion.lib.1.c.14.* eſt figura perfectiſſima, quia nequit ipſi fieri additio, & eſt prior omnibus alijs figuris, ac ſimpliciſſima, quia vnica tantùm linea continetur, & eſt magis apta ad continendum; eſt etiam aptior omnibus ad motum circularem, quia circumferentia, ſecundùm omnes eius partes, æquè recedit à medio; & eſt aptior ad influendum, quia ſphæricum fortiùs agit, ſecundùm omnes partes, propter illarum propinquitatem, mutuò ſe iuuantium. Et tandem eſt nobilior omnibus alijs figuris, cum in ſe non ſit principium, nec finis, ad ſimilitudinem mundi intellectualis archetypi, & ideę mentis Diuinæ, vt inquit *Auct.Marg.Ph.vbi ſup.c.4.& Maſtr.ibid.diſp.2.q.6.n.174.*

33 Tandem quæret fortaſsè aliquis, cur quandoque ſtellæ ſcintillare videantur, & aliquando decidere?

Ad quod dubium reſpondetur, quod *Ariſtot.in 2. Cæli c. 48.* ait, ſtellas re vera non ſcintillare, ſed nobis ità videri, propter imbecillitatem potentiæ viſiuæ, & diſtantiam ſpecierum ſtellarum fixarum; *Aquilonius verò lib.5.propoſ.81.* aſſerit cum Platone, ſtellas ideò ſcintillare, quia circulariter circà proprium centrum, ſingulæ mouentur, & quoniam inæquali motu circumaguntur, hinc fit, quod appareant ſcintillare, alia plùs, altera minùs *Maſtr.ibid.q.5.num.166.* Aliquandò verò ſtellæ decidere videntur, quod contingit ex nimio alimento tracti humoris, nam igneam vim abundantes reddunt, & tunc cadere videntur, vt videmus in luminibus accenſis liquore olei abundantibus; *ità Plin. lib.2. c.8.* Quod notauit Virgil. *in 1. Georg.* ibi:

*Sæpè etiam ſtellas, vento impellente, videbis,*
*Præcipites Cælo labi, noctiſque per umbras,*
*Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.*

34 Stellæ influunt aliquandò in inferiora, & ſublunaria, & ideò ex illis poſſunt præcognoſci futura; ſed hoc intelligitur de rebus naturalibus, nam cognita aliqua re, cognoſcitur eius effectus, & ſic poteſt cognoſci aliquis futurus euentus hàbens aliquam naturalem connexionem cum illa re. *Scotus in 2.diſt.q.15. q 3.* Non tamen ex cognitione ſyderum, poſſunt præcognoſci certitudinaliter effectus à noſtra voluntate dependentes, vel fortuiti, & caſuales, etiam neceſſarij, vt probatur *in cap.illos Planetarios 26.q. 2. & cap. ex tuarum de ſortilegijs, & latius infrà nu.64.*

35 Sed quæritur iterum, cur ſtellæ non videantur de die?

H 2 Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondetur, ſtellas non videri de die, quia lumen ſolis, quod eſt maius, occupat minus, vt videmus in carbone accenſo ſolis lumine expoſito, qui tanquàm debiliùs obfuſcatur. Videri tamen poſſunt prædictæ ſtellæ in puteo aliquo, vel ab acutiſſimum viſum habente, vt ait *Marg. Phyl. lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 10. reliqua de ſtellis *vid. infr. Miſcell. ſeq. a nu.* 1.

36 *Quintum Cælum*, ab Empyreo, ſeptimum autem à Terræ globo; eſt illud, in quo collocatur *Saturnus*, figuram habet ſphæricam, ſicut cæteri, & partitur in tres orbes ab inuicem diuiſos, & contiguos, vt demoſtratur *in Marg. Phyl. lib.* 7. *tract* 1. *c.* 28. *Plin. lib.* 2. *c.* 8. & *ſimiliter Archidiacon. in cap.* 1. *de regular. in* 7. In triginta annis totum perficit Zodiacum, (licet in hoc diſcrepent Doctores inter ipſos; quos vide *apud Petr. Greg. in Syntax. art. mirab. lib.* 8. *cap.* 39.). Et continet Terram 91. vicibus, & vnam eius octauam. Quomodò verò moueatur; & vbi collocetur Planeta prædictus, cum aliis curioſis, ſi quis inquirere velit, adeat *præ citat. DD.* mihi tamen innuiſſe ſufficit, ad euitandam prolixitatem.

37 *Sextum Cælum* à ſupremo deſcendendo, & ſextum aſcendendo à Terra, eſt *Cælum Iouis* dictum, quia in ipſo Planeta prædictus collocatur, & nulla alia ſtella inuenitur. Eſt coloris clari, lucidi, & argēte i. Mouetur autem motu primi mobilis quotidiè ab Oriente per Occidentem; & rurſus in Orientem rapitur, vt *dicit Margar. ibid. c.* 29. Orbes verò augem deferentes in 200. annis, vt Orbes Saturni vno gradu, & 28. min. mouentur. Deferens autem iſtius Planetæ circumducitur eodem modo, vt Saturnus; ſed tamen motus iſtius eſt velocior illo Saturni, & mouetur quotidie quinque quaſi minutis. Percurrit Zodiacum in annis 12. & continet Terram, quaſi 95. vicibus. Secundum verò *Venet. de compoſit. mun. c.* 4. perficit curſum per ſigna Zodiaci annis 11, menſ. 10. diebus ferè 18. Quid autem influat, vide *DD. præcit.*

*Septimum Cælum* in deſcenſu ab Empyreo, & quintum in aſcen-
38 ſu à Terra, dicitur *Cælum Martis*, quia in ipſo ſola ſtella Martis collocatur. Iſta ſtella non eſt magni corporis, quia continet Terram ſemel, & dimidiam, & eius vndecimam, quaſi partem. Eſt Planeta maſculinus, nocturnus, Cholericus; & coloris rubei, flammę quaſi ſimilis; Mouetur ſicut Cęlum Iouis, & Saturni, velociùs tamen, & in totidem Orbes diuiditur; & quotidiè mouetur quaſi 30. minutis. Percurrit per ſigna Zodiaci in duobus annis quaſi, & quinque menſibus, ſecundum *Marg. vbi ſup. c.* 30. ſecundum verò *Venet.*

anno

Digitized by Google

anno vno, menſibus 10. diebus ferè 22. ſecundum *Plinium*, *& Vitruuium* diebus 683. ſecundum autem *Petr.Greg.vbi ſup.c.*41. diebus 686. horis 22. & momentis 24.

39 *Octauũ Cælum* deſcendendo ab Empyreo,& quartũ aſcendendo à Terra, dicitur *Cælũ Solis*, ex ęo quia Sol in eo poſitus eſt,& in ipſo mouetur. Et in ſuperficie cõcaua Cæli Martis cõtinetur;& diuiditur in tres orbes particulares: duos ſcilicet augem deferentes, & ipſum deferentem ſolare corpus. Aequantem autem Epiciclum non habet. Eſt Planeta calidus, & ſiccus, maſculinus diurnus, cholericus cum temperamento. Graditur autem per lineam Eclipticam Zodiaci, & non declinat, neque regreditur. Mouetur autem motu raptus ab Oriente per Occidentem, redeundo in Orientem in 24. horis, ad motum primi mobilis. Orbes verò augem deferentes, mouentur, ſicut illi Saturni, Iouis, & Martis; deferens autem ſolis ſuper Polis, & axe propriis per ſigna ab Occidente verſus Orientem quotidiè 59. minutis, & octo ſecundis circumfertur; quæ conuolutio 59. minutorum, & 8. ſecundis facit diem naturalem, ſeu ciuilem 24. horarum, in quo,& nox ex altera parte Terræ oppoſita, quam Sol non reſpicit. *Nox* enim, vt *Plinius* inquit *lib.* 2. *c.*10.

40 eſt vmbra Terræ. Sol totum Zodiacum percurrit per annum ſcilicet in diebus 365. & ſex ferè horis, quæ ſex horæ quater multi-

41 plicatæ, conſtituunt diem integrum cum nocte, quolibet quadriennio, quod *Biſextum* vocatur, ne temporum ordo perturbetur, vt ait *Diu. Auguſt. de Trinit. lib.* 4. *c.* 4. Continet autem Sol Terram Centies ſexies, & ſexagies, & inſuper tres octauas Terræ, (vt alibi recenſui) ita *Mar. Phil. vbi ſup.c.*32.*in fin.* Conſtituit ſol quatuor an-

42 ni partes, vt *Ver*, quando in ſigno Arietis, Tauri, & Gemini addit caliditatem, & humiditatem; *Aeſtatem*, quando in Cancro, Leone, & Virgine caliditatem, & ſiccitatem; *Autumnum*, quando addit ſiccitatem, & frigiditatem in libra, Scorpio, & Saggittariō; *Hyemem* verò facit, quando addit frigiditatem, & humiditatem in Capricorno, Aquario, & Piſcibus. Ex quo habes, quod ſigna Zodiaci ſunt duodecim, *vt tetigi ſup. in quarto Cælo ſtellato, verſic. Zodiacus*, & quæ declinant verſus Auſtrum, vti *Libra, Scorpio, Saggittarius Capricornus, Aquarius, Piſces*, dicuntur Auſtralia.

Alia verò ſex, quæ verſus Septentrionem declinant, vti *Aries*: *Taurus*: *Gemini*: *Carcer*: *Leo*: *Virgo*; dicuntur Borealia quæ quidem ſigna 12 per quos ſol graditur totò integro anno, ſunt particulariter notanda, & breuiter explicanda, quia maximam habent influentiam circa corpora inferiora, vt ait *Diu.Antonin. in* 3.*par.tit.*31. *cap.*2.

Digitized by Google

*c.* 2. §. 4. influentiam autem habere aſſero eo modo, quo Doctores Catholici intelligunt, & non aliter, & habetur *in tex. cap. non licet.* 26. *q.* 5. *& ibi gloſ. & in cap. Illos planetarios, cum cap. ſeq.* 26. *q.* 2. *vbi etiam gloſ. & Diu. Auguſt. lib.* 5. *de Ciuit. Dei. c.* 6. *Mar. Phil. lib.* 7. *tract.* 2. *c.* 12. 13. *&* 14.

43 Dicam igitur (ſupradicta proteſtatione præmiſſa) quod inter ſigna Zodiaci, primum locum obtinet *Aries* quia Sol creatus eſt in Ariete, vt aſſerit *Diuus Antoninus, vbi ſup.* Iſtorum ſignorum tria ſunt colerica, & ignea, vt *Aries*, *Leo*, & *Sagittarius*: Tria aerea, & ſanguinea, vt *Gemini, Libra*, *Cancer*: Tria aquea, & flegmatica, vt *Cancer, Scorpio, Piſces*: & tria Terrea, & malinconica, vt *Taurus, Virgo, Aquarius*. Maſtr. *diſp.* 2. *de Cal.*

*Aries* dicitur ab Aſtrologis, quod componitur ſtellis 13. ſol ingreditur Arietem 11. ferè Martii, ſecundum antiquum computũ; ſed ab aliis Aſtronomis, & præſertim poſt reductionẽ Gregorianam, 21. Martij, & ſic de ſingulis menſibus tene, vt alibi annotaui, ne error inducatur ex computationibus ſuis locis poſitis, ſecundum antiquos Philoſophos ita computantes. Eſt ſignum calidum, ſiccum, igneum, & cholericum; dominatur capiti. Auget flegma; Ideo vtile erit ſub hoc ſigno venas incidere, veſci dulcibus, abſtinere acutis, ſæpè lauari. Qui naſcuntur ſub Ariete, ſunt capite mallcari, denſis crinibus, inſtar Velleris ſupra frontem eleuatis. Qui habuerint in ſeptima parte Arietis Horoſcopum, naſcuntur gibboſi, vt *Iul. Firmicus* aſſerit. *Petr. Greg. in ſyntax. lib.* 8. *c.* 14. *Mar. Ph lib.* 7. *tr.* 2. *c.* 2. *& Chaſſ. in cat. p* 12. *conſ.* 9.

44 *Taurus* conficitur ſtellis 33. Hoc ſignum ſol ingreditur, exeundo ab Ariete 11. Aprilis: ſeù 21. eiuſdem. Eſt ſignum frigidum, & ſiccum, terreum, & malinchonicum; & reſpicit collum hominis. Sanguinem auget; ideo vtile eſt adhibere molles cibos, vt olera, carnes agninas, oua, vina blanda, piſces fluatiles, lauari, equitare, geſtari. Sub hoc ſigno nati, ſunt oculis magnis, barba rotunda, collo groſſo, & breui; ac magni comeſtores. *Iulius Firmicus* inquit, quod qui habuerint Horoſcopum in 21. parte Tauri, & in 28. parte, naſcuntur gibboſi. Et *præcit. DD. vbi ſup.* apud quos quamplura curioſa, quæ breuitatis cauſa omitto, inueniuntur.

45 *Gemini* componitur ſtellis 19. in ſigno intra ſe; extra verò ſeptem alias habet. Sol ingreditur hoc ſignum 11. ſeù 21. Maij, & perſeuerat vſque ad 12. ſeù 22 Iunij. Eſt calidum, & humidum; aëreum, & ſanguineum, & intuetur brachia. Auget ſanguinem, cum Atra Bile. Vtile eſt veſci butyro, lacte, plenis carnibus, vti medicinis, laua-

lauari frigidâ, lenire ventrem, ſomno indulgere. Sub hoc ſigno nati ſunt latæ frontis: *Iidem DD.*

46 *Cancer* conſtat ſtellis 9. intra ſe; extra verò ſub Leone quatuor alias habet. Sol ingreditur hoc ſignum 13. ſeù 21. Iunij, & deſinit Ver, ac incipit Aeſtas, & in iſto manet sol vſque ad 14. ſeù 22. Iulij ſecundum Recentiores. Eſt ſignum frigidum; & humidum, aqueum, & flegmaticum. Obtinet in corpore Pectus, Pulmonem, & ſtomachum. Vtile eſt lauari, ambulare, abſtinere pituitoſis. Sub Cancro nati, ſunt corpore breues, ſed lati pectoris, vt Cancri; & ſemper habent lites cum Fratribus, & Sororibus, ac propinquis *DD. citat.*

47 *Leo* componitur ſtellis 28. intra ſe; octo autem extra. Sol ingreditur 14. ſeù 24. Iulij, ſecundum modernos cùm Cancrum relinquit. Hoc ſignum conuenit cum Ariete in qualitatibus. Cor, & Epar regit. Auget flauam Bilem; ideo abſtinendum carnibus plenis, & dulcibus condimentis. Sub Leone nati, ſunt homines lati cordis, ad magnos honores, & dignitates aſpirantes, & dominia procurantes, vt apud eoſdem *Doctores.*

48 *Virgo* perficitur ſtellis 26. extrà verò 6. Sol iſtud ſignum ingreditur 13. ſeù 24. Auguſti ſecundum Recentiores. Hoc ſignum cum Tauro concordat in qualitatibus. Inteſtina, & fundum ſtomachi ſibi vſurpat. Mouet flauam, & Atram Bilem; ideo quartanæ graues, & horrores fiunt. Bonum tunc eſt abſtinere oleribus, vti ſiccioribus cibis, ſæpè vomere. Sub hoc ſigno nati, ephebi, & tenues ſunt, & multoties ſubtili ingenio. *DD. præcit.*

49 *Libra* perficitur ſtellis 8. intra ſe, & 9. extra. Sol ingreditur hoc ſignum à Virgine tranſiens die 14. Septembris ſecundum Antiquos: die verò 24. ſecundum modernos. Deſinit æſtas, & incipit Autumnus. Libra cum Gemini conuenit, ſed renes, & nates reſpicit. Proficit vti acutis cibis, auiculis, & conditis potionibus. Sub libra nati, pulcra facie, barba, ſupercilijs, & planis capillis decenter ornati ſunt. *Iidem DD.*

50 *Scorpio* componitur ſtellis 22. in ſigno, tribus verò extra in eius Boreali parte. Sol tranſit è Libra in Scorpionem die 14. Octobris ſecundum Antiquos, ſed 24. ſecundum modernos. Hoc ſignum cum Cancro in qualitatibus concordat, ſed pudenda intuetur. Deſiccantur tunc temporis corpora, cerebrum humeſcit, & grandiuſcula oſſa. Vtile eſt veſci aſſis carnibus, vti vino ſuaui. Sub Scorpione nati, facie ſunt rubea, naſo Aquilino, oculis ardentibus, fraudulenti, & deceptores, vt in pluribus videtur *DD. cit.*

Sag-

Digitized by Google

51 *Saggittarius* ſtellis 31. perficitur in ſe. Sol tranſit ab Scorpione in Saggittarium die 18. Nouembris ſecundum antiquos, ſecundum verò recentiores die 23. Hoc ſignum conuenit in qualitatibus cum Ariete, & Leone; & coxas reſpicit. Sub Saggittario augetur Atra Bilis, & decreſcit ſanguis. Vtile eſt veſci ouis, & melle, pomis, ſalſis cibis, vomere, venari, non lauari, ne veniant immedicabiles capitis dolores à fluxibus; vnde & oculorum dolores, & ophtalmiæ. Sub hoc ſigno nati, euadunt bellicoſi, venatores, Saggittarij. *Præcit. DD.*

52 *Capricornus* conſtat ſtellis 28. Sol ingreditur hoc ſignum 12. vel ſecundum alios 17. Decembris, ſeu 22. ſecundum Recentiores. Incipit hyems. concordat cum Tauro, & cum Virgine in qualitatibus, ſed genua gubernat. Auget Atram Bilem, & pituitam. Prodeſt tunc largè vinum potare, vti conditis melle, veſci perdicibus, columbis, fauis mellis. Sub hoc ſigno nati, ſunt homines longa facie, mento acuto, capillis aſperis, ac voce caprina apparentes, *Iidem DD.*

53 *Aquarius* conficitur ſtellis 42. in ſe, & 3. extra. Sol intrat hoc ſignum die 11. Ianuarij, & ſecundum Alios die 18. ſeù 21. dicti menſis. Conuenit cum Gemini, & Libra; ſed cruribus, & tibijs præeſt. Augetur tunc Pituita; ideo non diù ieiunandum, vino vtendum eximio, Marrubbio cocto, lauandum, & vomendum ſæpè. Sub Aquario nati, ſunt bonorum profuſores, damna inferentes. *Cit. DD.*

54 *Piſces* componitur ſtellis 34. in ſe; extra verò quatuor. Sol ingreditur hoc ſignum 8. Februarij, & ſecundum Alios die 15. ſeù 19. dicti menſis. In qualitatibus Piſces concordat cum Cancro, ſed pedes vendicat. Augetur tunc Pituita cum humoribus. Abſtinendum à carnibus bubalis, alijſque humidis cibis; oleribus, præterquam ab Apio. Sub Piſcibus nati, ſunt homines paruæ ſtaturæ. *DD. cit. in princ ſignorum.*

55 Iſta 12. ſigna ſupradicta Zodiaci ab Aſtronomis diuiduntur in 360. gradus, ita vt quodlibet ſignum habeat 30. gradus. *Gradus* autem eſt pars quædam determinata Cæli, ſicut palmus in vlnis, ſic ab ipſis Aſtronomis aſſignata, quia ſol 30. ferè dies conſumit, vt integrum ſignum motu naturali pertranſeat. Vnde in 30. partes quodlibet ſignum diuiditur, tribuendo cuilibet parti quantum Sol in vno naturali die proprio motu verſus Orientem progreditur, quæ partes dicuntur gradus, quaſi greſſus ſolis, ſecundum quam diuiſionem, non ſolum Zodiacus, ſed omnes alij circuli, ſiuè maiores, ſiuè minores in tot partes diuiduntur, de quibus aliis circulis

Digitized by Google

culis *dixi in quarto Cælo ſup. verſic. Horum autem.* Quilibet autem gradus diuiditur etiam in 60. minuta, ſeu prima: quodlibet minutum in 60. ſecunda: quodlibet ſecundum in 60. tertia; quodlibet tertium in 60. quarta: quodlibet quartum in 60. quinta, & ſic deinceps vſque ad decem ad hoc, vt facilius aſſignarentur cæleſtes motus, & eorum tarditas, vel velocitas. *DD citati, præſertim Maſtr. diſp. 2. de Cæl. q. 1. art. 1. nu. 10. & Gemma Phryſius de principijs Coſmographiæ. c. 2. de circulis ſphæræ verſic. Diuiditur.* Simili ferè modo quilibet circulorum maiorum ſphæræ diuiditur in quatuor quadrantes: quadratus in 90. gradus; gradus verò rurſus, vt priùs.

Sub ſignifero autem in aduerſum primo mobili reluctantur omnes Orbes inferiores ſuper Axe, & Polis proprijs diſtantibus à Polis Mundi plus minus 23. gradibus, & ſemiſſe. Atque hic motus eſt cauſa diuerſitatis anni temporum, & augmenti, ac decrementi dierum; necnon generationis, ac interitus omnium rerum naturalium, ſecundum Philoſophos. *Idem Gem. vbi ſup.*

56 *Nonum Cælum* deſcendendo ab Empyreo: Tertium verò aſcendendo à Terræ mole, dicitur *Cælum Veneris*, quia in eo ſolus iſte Planeta rotatur. In ſuperficie concaua Cæli Solaris continetur. Et diuiditur in Orbes particulares, ſicuti Cælum:

Saturni, Iouis, & Martis. Eſt ſtella frigida, & humida, fæminina, nocturna, & minor. *Petr. Greg. vbi ſup. c.* 45. Circumfertur hoc Cælum totum in 24. horis ſemel ab Oriente per Occidentem, in Orientem redeundo per primi mobilis motum; ſed orbes eius augem deferentes ſuper Axe, & Polis Zodiaci circumducuntur ad motum octauæ ſphæræ. Qualis verò ſit hic motus, vide apud *Marg. Phil, lib. 7. tr. 1. c. 32. de princ. Aſtronomi. & Greg. in ſyntax. art. mir. lib. 8. c. 4*[?].

57 *Decimum Cælum* ab Empyreo; ſecundum verò à Terra, dicitur *Cælum Mercurij*, & continetur in ſuperficie concaua tertij Cæli, & partitur in Orbes quinque, & Epiciclum. Hic Planeta dicitur ſiccus verſatilis ad proximioris naturam, melancholicus, cum aduſtione. Complet autem curſum in Orbe per ſigna Zodiaci anno vno; ſicut peragrat Sol, ſecundum *Vitruuium* relatum à *Pet. Greg. vbi ſup. cap.* 46. vbi multa inuenies de natura maligna iſtius Planetæ. Eſt autem Mercurius minor Terra, ipſa namque continet quantitatem Mercurij 21952. vicibus, vt dicitur in *Marg. Philoſ. vbi ſup. c.* 33.

58 *Vndecimũ, & vltimum Cælum* deſcendendo ab Empyreo; primum verò à Terræ Globo, dicitur *Cælum Lunæ* quia in eo nulla alia ſtella



Digitized by Google

ſtat, præter ipſam, & totum continetur in ſuperficie concaua Secundi Cæli Mercurij, & diuiditur in Orbes quatuor, & Epiciclum. Eſt autem ſtella inferior, & poſt Solem videtur maior, quia eſt vicinior nobis, licet dicatur omnium ſtellarum minima, vt ait *Plin. lib. 2. c. 4.* Hic Planeta exiſtimatur per ſe frigidus, & humidus; lumen eius humectat corpora, & aquam parat. Quando Luna creſcit, ſolem motu ſequitur; cum decreſcit, ſolem præcedit. *Plin. vbi ſup. c.* 14. Recipit autem figurationes diuerſas pro modo luminis ſolis, vt inquit *Diu Damaſcen liq. 2. de Orthodox. fid. cap. 7. & Petr. de Greg. vbi ſup. c.* 47. vbi plura curioſa inueniuntur notatu digna, ſicuti, & per *Auctbor. Marg. Philoſ. vbi proxime c. 34. & 35.* quibus in locis habetur etian; quomodo moueatur, & quot Orbes habeat, ac eorum qualitates, &c. Percurrit autem Luna totum Zodiacum in vigintiocto diebus quaſi. Continet verò Luna vnam partem de triginta nouem partibus Terræ, ſi in tot ipſam diuidas. Terra enim eſt maior Luna triceſies nonies, & plus. *DD. ſup. cit.* Reliqua
59 de Luna vide infra *Miſcellan. ſeq.*

Quæritur, an prædictus numerus Cælorum admittatur ab omnibus, vel adhuc controuertatur? Reſpondetur, multos alios Doctores non admittere opinionem ſupra relatam, ſcilicet Cælos eſſe vndecim; quare aſſerunt eſſe tantum ſeptem, hoc eſt Empyreum, Criſtallinum, Sydereum, Igneum, Olympicum, Ethereum, & aëreum, vt *Rabanus*, & Alij relati *à Bart. Angl. de proprietatib. rer. lib. 8.* de quo vid. *Ariſt. in lib. de Cæl. et mund.* Alij verò dicunt eſſe decem, *vt Diu. Anton. 1. p. tit. 1. c. 7. §. 2. verſ. decem* de quo vidè *fusè Cæl. Rhodig. l. 1. antiquar. lection. c. 13.* Sunt, & alij, qui dicunt eſſe tres tantum Cælos, vt Aëreum, Firmamentum, & aliud Firmamento ſupereminens. De hoc tertio meminit *Diu. Paul. 2. ad Chorint.* 12. illis verbis: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio; Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium Cælum, &c.* Quod etiam aſſerit *Damaſcen. lib 2. c. 6.* tres ſupradictos tantum eſſe; ſed alij diuerſimodè collocant, & nominant, vt ſpirituale ſupremum; Firmamentum medium; & Aëreum infimum. Quidam Alij diſtinguunt illos, ſecundum tres Hierarchias Angelorum; & primum Cælum dicunt poſtremam Hierarchiam; ſecundum Cælum Hierarchiam mediam; tertium verò ſupremam. Ita *Commentator. Damaſcen. vbi ſup.* Tandem ſunt Alij, qui duodecim eſſe aſſerunt, admittunt enim omnes ſupradictos vndecim, ſed duodecimum ſuperaddunt, quod vocant Cælum Trinitatis. Dicunt autem eſſe ſecundum rem, & differre ratione, *vt Albert. & Alij relat. à Caſſan. in cat. p. 12. conſ. 1. propè fin. verſ. aliqui ideo.*

Quæ-

Digitized by Google

60 Quæritur ſecundo, an ſciri poſſit diſtantia inter Cælum, & Cælum? Reſpondetur, quod de Cælorum diſtantia, licet multa tetigimus *lib.* 1.*muſ.p.*3.*c.*4. & latè ponit. *Auctb.Marg. Phil.lib.*7.*tr.*1,*c.*36. tamen refert *Rab. Moyſ. Magnus Philoſophus relatus à Caſſan. in præc. loc. p.*12. *conſ.*3. *verſ. ſecundò verò,* quod inter Cælum, & Cælum eſt diſtantia viæ quingentorum annorum, ideſt tantum ſpatium, quantum quis ire poſſet de via plana in quingentis annis. Vnde ſubdit ipſe, quod à Centro Terræ (quæ ſecundum *Theodoſium*, & *Euriſtenem* eſt longa triginta, & vnum millia milliariorum, ſed tamen maior ipſa Terra in decuplo eſt Aqua;& ſimiliter vnum Cælum in decuplo eſt maius altero), vſque ad concauum Cæli Saturni eſt via ſeptem millium ſeptingentorum annorum ideſt ſpatium itineris, quantum de via plana aliquis iret in ſeptem millibus, & ſeptingentis annis, ſi tantum viueret. Et annus eſſet ex 365. diebus, & iter cuiuslibet diei eſſet 40. milliariorum,& quodlibet milliare eſſet duorum millium cubitorum. Quare ſi tanta eſt diſtantia inter Cælum Saturni,& inter Terram,quod eſt quintum,quan-
61 ta erit vſque ad Empyreum? Vnde concludunt multi Doctores, Empyreum eſſe indicibilis altitudinis, & magnitudinis. Ad cuius demonſtrationem aſſerunt, quod ſi maſſa plumbea deſcenderet à Cælo Empyreo, vix in quingentis annis, vſque ad Terram perueniret, vt refert *Caſſan. vbi ſup. verſ. ſecundò,* vbi etiam ſubdit, quod, an vera ſint hæc, nec ne, Deus ſcit.

62 Quæritur tertio. An Cæli in fine Mundi defecturi ſint? Reſpondetur negatiuè, quoad ſubſtantiam, ſed non quoad figuram. Tali enim modo eſt intelligendum illud *Matth.*24. & *Marc.*13. *Cælum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*; ſecundum Theologos, præſertim *Diu. Anton.* 4. *p.tit.* 14.*c.*11. §.3.*verſ.tertiò notandum*; non enim, inquit, Cælum aëreum, aut Terra peribit, quoad ſubſtantiam, ita vt omninò deficiat, & nihil ſit; ſed quantum ad ſpeciem, & formam exteriorem, quam nunc habent, quia pulcriores fient. *Vnde Diu.Paul.*1.*Corint.*7.ait: *prætorit.figura huius mundi*;ex quo nota, quod non dicit: *ſubſtantia, ſed figura*; & *David Pſalm.* cum dixiſſet, quod *Ipſi Cæli, & terra peribunt,* ſtatim quaſi ſe declarans ſubdit: *Mutabis eos, vt opertorium*. Quod probatur auctoritate Sacræ Scripturæ, *nam Eccleſ.c.*3. habetur: *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus perſeuerent in æternum, & ibid. c.*1. de Terra habetur. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat.*

63 Quæritur quarto, an liceat exercere aſtrologiam? Reſpondetur cum diſtinctione, nam duplex datur Aſtrologia: naturalis,ſeu phy-



Digitized by Google

ſica; & diuinatoria, ſeu politica. Naturalis, quæ deſeruit Agricolis, Nautis, Medicis, Paſtoribus, & ſimilibus, quæ, & Aſtronomia nuncupatur, eſt licita, quia nititur principiis vniuerſalibus, veris, & incommutabilibus; vnde licet coniectare Eclypſes, pluuias, grandines, ventos, & ſimiles, ex curſu, motuque Cælorum, & ex ſitu Aſtrorum, atque eorum diſtinctione. Et ſimiliter conſiderando Natiuitatis puncta ex aſtrorum aſpectu, coniectari poſſunt temperamenta, & inclinationes hominum, & non eſt prohibitum hoc facere. Secundum *Martin. del Rio lib. 4. magicar. c. 3. q. 1. Sanchez in ſum. lib. 2. c. 38. Caietan. 22. q. 95. art. 5. in fin. Suarez tom. 1. de religion. lib. 2. de ſuperſt. c. 11. n 8. cum plurib ſeqq. Abb. in cap. 2. n. 7. de Sortilegiis: & Sanct. Thom. 2. 2. q. 95. ar. 1.* vbi docet duplicem modum præcognoſcendi futura, vel in ſuis cauſis, vel in ſeipſis. In cauſis autem tribus modis; quædam enim cauſæ neceſſariò producunt ſuos effectus futuros, ex quibus futuris effectibus præcognoſci poſſunt Eclypſes; quædam aliæ cauſæ non neceſſariò, nec ſemper ſuos effectus producunt, ſed vt plurimum, & rarò deficiunt; vnde tales effectus futuri præcognoſci poſſunt, probabiliter tamen, non certò, vt fit ab Aſtrologis de pluuijs, & ſiccitatibus, & à Medicis de ſanitate, vel morte ægroti. Quædam verò aliæ cauſæ ſunt, quæ ſecundum ſe conſideratæ ad vtrumlibet ſe habent, vt potentiæ rationales, & eorum effectus, aut alij effectus, qui caſu accidunt, & iſti præſciri non poſſunt, cum non magis ad vnum, quam ad oppoſitum cauſa illa determinetur; & ideo ſolius Dei eſt, effectus hos futuros cognoſcere rerum contingentium, vt habetur in Sacra Scriptura *Eſaiæ* 41. ibi: *Annunciate nobis, quæ ventura ſunt, & dicemus quia Dij eſtis*. Sicuti ſolius Dei eſt cognoſcere res præſentes, ſed tamen occultas, vt ſunt cogitationes, & affectiones cordium, & facta occulta hominum, *vt conſtat ex 2. Paralip.* 6. ibi. *Tu ſolus noſti corda hominum; & David Pſal.* 138. ait: *Domine probaſti me, & cognouiſti me, &c.* deinde: *Intellexiſti cogitationes meas de longe, & Diu. Paul. ad Hæbr.* 4. inquit: *Pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus*. Ratio, quare naturaliter ab Aſtrologis hi effectus præcognoſci, & præſciri nequeunt, eſt, quia ſunt actus liberi à voluntate procedentes; ſolus autem Deus ſua infinita ſapientia illos cognoſcit, tamquam præſentes, licet futuros, vt habetur *Daniel.* 13. ibi: *Deus æterne, qui noſti omnia, antequam fiant*. Cum enim liberum arbitrium ſit facultas voluntatis, & rationis; & ratio, ac voluntas non ſint potentiæ affixæ organis corporeis, nec ſint corpus, non ſubdunt corporibus Cæleſtibus de neceſſitate, ità quod ſint cauſæ aliquorum effectuum,

ſed

Digitized by Google

ſed diſpoſitiuè influentiæ corporum cæleſtium poſſunt inclinare ad actus, quia res corporea non poteſt imprimere in rem incorpoream, vt *docet Sanct. Anton. 2.p.tit.11.c.1.§.6. Vide Diu.Thom.vbi ſup. & Alios DD.* Horum autem cognitio ſpectat ad iudiciariam ſuperſtitioſam, & damnatam, de qua num. ſeq., quia quæ à libero pendent hominis arbitrio, vel ex caſu fortuito, non poſſunt, niſi à Deo ſciri.

64 Quæritur quinto, an ſit licita Aſtrologia iudiciaria? Reſpondetur, quod eſt omninò prohibita, quia nihil aliud eſt, quam diuinatio, ſeù vſurpatio cognitionis futurorum euentuum indebito modo; ſeù indebita vſurpatio prænunciationis futurorum euentuum; ſecundum *Diu. Thom., & Caietan. cit. 2.2.q.95. art.1*; cum enim diuinatio hæc non fiat naturali modo, ſed indebito, aſſumendo auxilium Dæmonis, vel explicitè, vel implicitè, cum aliàs futuri euentus non procedentes ex naturalibus cauſis ſciri minimè poſſint, ideo maxima iniuria Deo irrogatur, & proinde maximum, & enormiſſimum peccatum committitur. Vnde hac de cauſa eſt damnata; & prohibita omni iure. Eſt enim damnata de iure diuino, vt *Deuter.* 18. ibi: *Non inueniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur; &c. Neque pythones conſulat; nec diuinos; Numer. 23. Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael; & Ecclef. 34. Diuinatio erroris, & auguria mendacia, &c. & Eſai. 8. Numquid Populus à Deo ſuo requiret viſionem, & ibid. 41. & 47. & leuit. 10. & Hierem. 10. cum pluribus alijs.* De Iure Canonico eſt prohibita per *cap. ſors, & cap. Illos Planetarios, 26.q.2. & cap. illud, & cap.ſed, & illud ead. cauſ. & q.cap. 1. & cap. Igitur, 26. q.3. & 4. cap. Non liceat 25.q.5. & ibi ferè per tot. & cap. ex Tuarum de Sortileg* De Iure Ciuili eſt damnata per *legem 2. 5. & 7.* præſertim *in l. Nemo C. de malefic. & mathematic. & l. mathematicos. C.de Epiſcopal. aud* Eſt etiam damnata per Ius Eccleſiaſticum poſitiuum, & Concilia Generalia, *vt Concil. Bracharens 1.c.9. & 10. & Toletan. c.1.* Nec non per Pontificias Conſtitutiones, *vt in Conſtit. 17 Sixti V. quæ incipit: Cæli, & Terræ creator, & Conſtit. 113. Vrbani VIII, quæ incipit Inſcrutabilis.* Contra Aſtrologiam prædictam iudiciariam edidit duodecim libros *Picus Mirandulanus; Perer. lib. 2. in Geneſ. & lib. 3. aduerſus fallaces artes. Diu. Auguſt. lib. 5. de Ciu. Dei per tot. præſertim c.6. & 7. Damaſcen. lib. 2. c.7. & Salas p.2 tr.5. diſp.2. Martin del Rio lib. 4.c.3. q.1. & Sanch. vbi ſup. in Sum. lib. 2. c.38.nu.30.* Ratio autem quare prohibeatur, eſt, quia tolleretur libertas hominis, ſi ex aſtris, & Cælorum influxibus dependerent actus liberi voluntatis, & ſic neceſſitate quadam operarentur, & omnia fato quodam contingerent; vnde ho-

mo

mo excuſare ſe poſſet apud Deum, & non peccaret malè operando, neque mereretur benè faciendo, vt dicemus *infr.nu.68. & Miſcel ſeq.nu.30. Ptolomæus lib. 3 de quadripar.* quod corpora cæleſtia cogant homines peccare, & benè facere, *& Quint. Curt. lib.5.* inquit: *equidem æterna conſtitutione crediderim, nexuque cauſarum latentium, & multo ante deſtinatorum, ſuum quemque ordinem immutabili lege percurrere;* Quod eſt contra veram Eccleſiæ Catholicæ determinationem per *Concil. Bracar. c.9. & Dau. Pſ. 30. ait: In manibus tuis ſortes meæ, & Pſ. 148. Confeſſio eius ſuper Cœlum, & terram.* cum ferè infinitis alijs Sacræ Scripturæ authoritatibus.

65 Quæritur ſexto, quæ ſint ea, quæ Dæmones ſcire poſſunt de futuris contingentibus? Reſpondetur, quod Dæmones, ſecundum *Diu. Thom. 1. p.qu.57. art.3. & 4. Sanct. Bonauent. 2.diſt.7.art.2. Sylueſt. verb. Diuinatio. Tolet.lib.4.c.15. Suar.tom.1.de relig.c.8.* & Alios per ipſos allegatos, ſciunt per coniecturas quaſdam ex longa experientia, quam ipſi habent, & ex acumine, & ſubtilitate ingenij, omnia ea, quæ naturam hominis excedunt, vt quæ ſunt occulta, vel abſentia, vel futura ſecundum rationem ſupernaturalem; & hæc quidem, nec certo ſciunt, ſed potius coniecturantur per inclinationes temperamenti hominis. Sciunt tamen res, quæ naturaliter euenturæ erunt, vel certò futuræ, & tunc videntur prænunciare contingentia illis, qui ipſos conſulunt, ſed reuera naturaliter euenturæ erant; vt ſi ſecretum morbum alicuius prænuncient; vel naturale tempus mortis, quod ipſi naturaliter cognoſcunt, & videtur contingens apud homines; vt docet *Diu. Thom. 1.p.q.57. art.3. & 4. & Toletus ibid. & Sanct. Aug.to.3.lib. de diuinatione Dæmonum c.5.ait;* quod aliquãdo hominum diſpoſitiones, non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cùm ſigna quædam in corpore exprimuntur ex animo, facillimè cognoſcunt. Cognoſcunt etiam futura contingentia aliquãdo ex permiſſione Dei ab Angelis bonis, qui ipſis quædam reuelant. Vnde prædicunt interdum ruinas domorum, etiam naturaliter, quia vident occultas cauſas ruinæ. Sæpè prædicunt ea, quæ ipſi facturi ſunt, vt conſulentes decipiant. Ex naturali autem ſcientia, quam habent, vt *ſup. dixim. Miſcel.1.n.75.* ſciunt, quæ ad Aſtrologiam naturalem pertinent, & illa aliquando prænunciant, vt pluuias, ſerenitates, tempeſtates, Eclypſes Solares, vel Lunares, peſtes, bella, & cætera huiuſmodi, de quibus naturalem habent notitiam; ſed quia vident homines talibus curioſitatibus deditos, paulatim ſe illis inſinuant, quædam prænunciando, vt tandem decipiant, & perdant, vt *ait Diu. Thom. vbi ſup. &*

ius

Digitized by Google

ius corporis ex naturali operatione productam, & ita ait *Sanct. Aug.* *2. 2. q. 95. art. 3. & latè Diu. August. in lib. de doctrin. Christ. c. 23.*

66 Quæritur ſeptimo. Quomodo futura prænuncient Dæmones? Reſpondetur cum *Diu. Thom. vbi ſup. art. 2. & 3. Diu. Aug. ibid. c. 22. Sanch. in ſum. lib. 2. c. 38. n. 3. Sayr. in Clau. Reg. lib. 4. c. 5. n. 6. Tolet. vbi ſup. & Suarez. tom. 1. de relig. c. 9.* Dæmones futura prænunciare dupliciter, vel per inuocationem expreſſam, ſeu explicitā, vel per inuocationem tacitam, ſeù implicitā. Explicita inuocatio eſt, quando expreſſis verbis inuocatur Dæmon, & cum eo pactum initur, vt futura reuelet, vel aliud faciat, & è contra paciſcens aliquid illi promittat. Tacita inuocatio eſt, quando quis cognitionem aliquorum futurorum Soli Deo reſeruatam medijs vanis, & indebitis procurat ſcire. Licet enim præter intentionem ſuccedat Dæmonem inuocare, tamen eo ipſo, quod vanis mediis vtitur, quibus libenter Dæmon ſe permiſcet, vt decipiat, conſequenter vult à Dæmone edoceri; vt docent *Caietan. in 2. 2. q. 95. art. 2. & 3. Suar. de rel. tom. 1. lib. 2. de ſuperſt. c. 9. n. 9. cum ſeqq.* Quæ quomodocumque fiat, eſt peccatum mortale grauiſſimum, & ſemper illicitum, vt habetur *in cap. Epiſcopi 26. q. 5* vbi dicitur. *A Diabolo captiui tenentur, qui relicto creatore, Diaboli auxilia quærunt.*

67 Quæritur octauo. Quibus medijs vtatur Dæmon in occultis prænunciandis? Reſpondetur cum *Pereira lib. 3. de magia c. 5. n. 35. Petr. Thyreo Soc. Ieſ. Sanch ibid. Martin. del Rio lib. 4. c. 2.* & Alijs, Dæmonem docere homines de futuris, vel præbendo ſe ſpectabilem in forma humana, & verbis manifeſtando; vel abſque vllo aſpectu formatis in aëre verbis, immiſſo aliquo ſcripto; vel in ſomnis, aut vigilia, commouendo phantaſiam, & effingendo phantaſmata idonea ad futura repræſentanda, & incitando diuinatores, vt prædicant ea, quæ per phantaſmata repreſentata fuerunt. Aliquando apparet fingendo ſe eſſe animam alicuius Defuncti, & bona conſulit, petendo ſuffragia fieri, vel aliquid aliud perpetrari, vt poſtea decipiat, vt docent *Diu. Chryſoſt. hom. 29 in Matth. Diu. Thom. 1. p. q. 117. ar. 4. ad 2. Diu. Aug. lib. 10. de Ciu. Dei c. 11. Martin. del Rio lib. 2. magicar. q. 26. ſect. 7. & Sayr. lib. 4. Clau. Reg. c. 5. n. 6.* Aliquando obijcit vera corpora ſenſibus hominis occultè, & celeriter aliundè aſportata, vel à ſe facta applicando actiua paſſiuis, vt reuera facti fuerunt ſerpentes per Magos Pharaonis. *Exod. 7.* vt docent *Diu. Auguſt. lib. 3. de Trin. c. 7. & 8. & Sanct. Thom. q. 7. de potent. ar. 5. ad 8.* Aliquando obijcit ſenſibus non verum aliquod corpus, ſed ſimilitudinem aliquam alicu-

ius

ius corporis ex naturali operatione productam, & ita ait *Sanct. Aug. lib.* 18. *de Ciuit. c.* 18. intelligi debere, quod de Socijs Vlyſſis in Beſtias conuerſis dicitur, & de Archadibus in Lupos conuerſis, dum ſtagnum tranſirent. Aliquando cauſat apparitiones, ſecundum ſenſus interiores, vt accidit his, qui per nimiam attentionem extrahuntur, & his, qui per alterationem corporum ſenſibus exterioribus ligantur, vt per vnctionem; ex herbarum ſuccis talem virtutem habentium accidit illis, qui ire ſe credunt ſingulis noctibus feriæ quintæ ad ludos Dianæ, & ad conuiuia diabolica, & ad carnales voluptates, de quibus plura exempla ponit *Caietan.* 2.2.*q.*95. *ar.*3. *Alexand. de Ales. p.*2.*q.*23.*mem* 3.*ar.*1. *Gabriel.* 2.*d.*8.*q.*2.*art.*3. *Martin. del Rio lib.*2.*q.*16.*& Sanct. Aug. lib. de Spiritu, & Anima c.* 28.*& lib.* 18. *de Ciuit. Dei c.* 18. cuius verba per extenſum ponuntur *in cap. Epiſcopi* 26.*q.*5. vide Auguſt. in lib. de natura Dæmonum, & *text. in cap. ſciendum* 26. *q.*4. *& ibi Gloſ.* vbi habetur quot modis Dæmones futura prænoſcant.

68 Quæritur nono, an ex Cælorum motibus, & conſtellationibus Aſtrorum futura proueniant fato quodam, & neceſſariò? Reſpondetur negatiuè, cum Doctoribus ſupra allegatis, numeris præcedentibus, cum aliàs homo peccaret neceſſitate, & fato compulſus, quod eſt hæreticum aſſertum; homo enim liberè operatur, & malum, & bonum, vt habetur *in Concil. Brachar.* 1.*c.*10. *Concil. Trid. ſeſſ.* 6.*c.*5.*& Zachar.* 1.*& Ioel.* 2.*cap. Conuertimini de penit. diſt.* 1. vbi dicitur *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, ex quibus verbis colligitur omnimoda libertas hominis, ergo non fato conuertitur, ſed voluntate libera; quod conſtat etiam *in cap. ſi enim de pænit. diſt.* 2. & in eodem *Conc. Trid. ibid. c.*6. habetur anathema, ſi quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; quod priùs decretum fuerat *in Concil. Arauſican. propè fin. & habetur Ioann.* 1. Hinc Patres omnes, qui interfuere prædicto *Concilio Bracharenſi*. 1. excommunicatos pronunciarunt *in c.* 10. aſſerentes, hominem habere ſupra ſe duodecim ſigna Mathematica, intitulata duodecim nominibus Patriarcharum, *& Eccleſiaſt.* 15. *ac Geneſ.* 1.*&* 4. habetur, quod Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu Conſilij ſui; adiecit præcepta, & mandata ſua, ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te; appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum; ante hominem vita, & mors eſt, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi, vt habetur *Eccl. ibid.* Ex quibus omnibus clarè patet hominem non Cælorum conſtellationibus, & fato neceſſariò agere, aut ſiuè bona, ſiuè mala ipſi eueniant, fato

quidem

Digitized by Google

quidem euenire; ſed liberè agere, & Dei prouidentia gubernari, non fato; vide *Diu Aug. ſuper Iob.6.Diu.Anton.1.p.tit.1.c.7.§.1.& tit. 4.c.2.per tot.Magiſt.ſent.2.diſt.25.de libertate, & Diu. Thom. 1. p. q. 83. art.1.& in cap.ſi enim §. cæterum de pœnit. diſt 2.* habetur, quod vbi eſt neceſſitas, ibi nec corona; ac per *Sanct. Aug. lib. 5.de Ciu. Dei, & in cap Igitur genus 26. q.3.* reprobatur error eorum, qui dicunt, actus humanos ex neceſſitate quidem procedere, & hoc vel ex conſtellationibus, ſub quibus homines naſcuntur, vel ex immutabilitate diuinæ præſcientiæ.

69 Quæritur decimò. Quid ſit fatum, fortuna, & conſtellatio ſeu Cælorum influentia, ex quibus omnia in Mundo euenire arbitrati ſunt quidam? Reſpondetur in cæca Gentilitate fuiſſe multos Philoſophos, & quidem ſapientiſſimos, qui fatum, & fortunam admittebant; Imò Romæ fortunam, vt Deam coluerunt, ipſique Aram dicauerunt, vt ait *Diu. Aug.lib.4.de Ciuit Dei c.18.& 19.* vbi hanc fallaciam reijcit. Vnde *Salomon in Eccleſiaſt.c.9.* Loquens in perſona eorum, qui caſum,& fortunam ponunt in omnibus rebus, ait: *Verti me ad aliam, vidique ſub Sole,nec velocium eſſe curſum,nec fortium bellum, nec ſapientum panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumque in omnibus.* Exiſtimant enim aliqui omnia neceſſariò tali, vel tali modo euentura eſſe, ita vt aliquando velociores in curſu impediantur à tardioribus; fortiores in bello vincantur à debilioribus; ſapientes in paupertate deprimantur, & ignorantes diuitiis, & honoribus affluant, & ſic de reliquis; contra quas Dominus Noſter Ieſus Chriſtus inſurgit *Matth.5.* inquiens: *ſi fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit floribus, quod nec Salomon in omni gloria ſua potuit habere veſtimentum, tam pulchri coloris, quantò magis vos modicæ fidei?* Quare impium, & fidei Catholicæ contrarium eſſet aliter dicere, & principijs Philoſophicis aduerſaretur, ſi alicui; præterquam Diuinæ prouidentiæ aſcriberet quis ea, quæ hominibus accidunt; Ipſe enim Deus iuſtis, & occultis ſuis iudicijs ſecunda, & aduerſa communicat hominibus, prout voluerit, vt demonſtrat *Diu. Aug. vbi ſup. & Diu. Thom. in 3. contra Gentiles, & 1.p.q.22. per totum, & Boet. lib.5. de conſolatu Philoſophico.* latè probat. Licet autem *ab Ariſt. in 2. Phyſic.* definiatur fortuna, quod ſit euentus inopinatus alicuius circa bona, vel mala exteriora proueniens non à ſe, ſed à cauſa Superiori. Vel quod ſit cauſa per accidens in his, quæ fiunt, ſecundum propoſitum, propter finem in minori parte; hoc tamen intelligi debet, reſpectu hominum; quibus, cum aliquid bonum accidit,præter eorum intentio-

nem, dicitur fortunium eueniſſe; & ſi magnum ſequatur bonum, dicitur Eufortunium, & illi dicuntur fortunati; quando verò accidit magnum malum, dicitur infortunium, & homines, quibus malum euenit, dicuntur malè fortunati; v. g. ſi quis vadens ad Eccleſiam, cadit lapis, & caput frangit; vel è contra cum quis fodit Terram, & inuenit Theſaurum, præter intentionem, vt docet *Sanct. Thom. in 3. c. 89. contra Gentiles*; tamen reſpectu Dei, qui omnia præordinat, & præuidet, non eſt caſus fortuitus quidquid accidit, vt inquit *Diu. Anton. p. 2. tit. 12. c. 9. propè fin.* vbi demonſtrat, vnde procedat, quod aliquando voluntas hominis inſtigetur ad aliquid operandum, vnde oritur aliquod bonum; & inquit, hoc euenire, vel à Deo, vel ab Angelo, vel à Cælo. *Vnde Diu. Aug. lib. 5. de Ciu. Dei c. 9.* clarè demonſtrat dicens: *Nos eas eſſe cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, vnde etiam fortuna nomen accepit, non dicimus nullas, ſed latentes, eaſque tribuimus, vel veri Dei, vel quorumlibet ſpirituum voluntati; ipſaſque naturales nequaquam ab illius voluntate ſeiungimus, qui eſt auctor omnis, conditorque naturæ.* Et ſimiliter *Idem Sanctus Aug. lib. 3. de Trinit.* ait: *Nihil fit viſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili, atque intelligibili aula Summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum, atque pænarum; gratiarum, & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam, immenſaque Republica.* Ex quibus omnibus colligi poteſt, quod omnia, quæ hominibus accidunt, ſiuè proſpera, ſiuè aduerſa, ex occulto Dei iudicio eueniunt, & non neceſſitate quadam fortunæ, vel fati, aut Cælorum conſtellatione. Licet enim quidam Aſtrologi rectè ſentientes, dixerunt, fatum, nihil aliud eſſe, quam Dei voluntatem, & poteſtatem, de quibus loquitur *Diu. Aug. lib. 5. de Ciu. Dei c. 1.* tamen quia homines ex vſitata loquendi conſuetudine poſuerunt fatum pro poſitione ſyderum, qualis eſt, quando quis naſcitur, vel concipitur; ideo monet præfatus Sanctus, vbi ſupra abſtinere nos à ſimili vocabulo, cum paulatim multos à veritate retraxerit, contra quos *Diu. Antoninus vbi ſupra affert verb. Gregor. in homel. Epiphan.* dicentis *Abſit à fidelium cordibus, vt fatum aliquid eſſe dicant, ideſt quod ſit verum, quod ſubdantur humani actus conſtellationibus, quas Gentiles fatum dicebant; hoc enim falſum eſt. Diuus autem Thom. in 1. p. q. 116.* benè diſtinguit, quod diſpoſitio ſecundarum cauſarum, quam fatum dicimus, poteſt dupliciter conſiderari: vel ſecundum ipſas cauſas ſecundas, quæ ſic diſponuntur, aut ordinantur: vel per relationem ad primum principium, ideſt Deum, à quo ordinantur; vnde vtroque modo, Deo tribui debere omnia, quæ accidunt, ſiuè effectus ſint neceſſarij, po-

ſitis

Digitized by Google

ſitis cauſis, ſiuè contingentes, vt idem *Diu. Thom. vbi ſup art.* 4. declarat fuſius. *& Diu Anton. vbi ſup. c.* 11. *in fin. vide Bart. Syb. in ſpec. peregrin quæſt.c.*9. *primæ decadis*, vbi latè per plures quæſtiunculas oſtendit, quid ſecundum veritatem Catholicam credendum ſit de influentijs,& conſtellationibus ſyderum,atque Cælorum,ac etiam de fato; & ſimiliter fuſè docet *Picus Mirandulan*. in ſuo Magno Libro contra Aſtrologos; & *Ioann.Viuald.in ſuo opere reguli in tract. de perſecut.Eccleſ. in* 3*. perſec. Vide Diu. Gregor.in homel.* 10*. in Euangel.* vbi loquens de ſtella, quæ Reges Magos duxit ad adorandum Chriſtum Deum natum in præſepio, ait, quod Priſcillianiſtæ hæretici, *naſci vnumquemque hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum putant, & hoc in adiutorium ſui erroris, aſſumunt; quod noua ſtella exijt, cum Dominus in carne apparuit, cuius fuiſſe fatum; eamdem, quæ apparuit, ſtellam putant. Sed ſi Euangelij verba penſamus* ſubdit ipſe Gregorius, *quibus de eadem ſtella dicitur vſque, dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer, dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit; ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit, puer fuit.* Concludens poſtea ait: *Sed à fidelium cordibus, abſit, vt aliquid eſſe fatum dicant. Vitam quippe hominum ſolus hic Conditor, qui creauit, adminiſtrat. Neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtella propter hominem factæ ſunt; & ſi ſtella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur. Certè cum Iacob de vtero egrediens priorem fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, niſi ſubſequens inchoaſſet, & tamen cum vno tempore, eodemque momento vtrumque mater fuderit, non vna vtriuſpue vitæ qualitas fuit.* Quod vtique experientia conſtat, nam Iacob Lenis, & delicatus fuit, Eſau verò hiſpidus, & ferus: Iacob ſimplex, & quietus: Eſaù venator, & agreſtis: Iacob bonus, Eſau malus; & pluribus exemplis probat *Diu. Anton.* 2*.p.tit.* 12*.c.*10*.§.* 2*. verſ confirmatur*, vbi concludit, quod ſi conſtellatio neceſsitaret hominem ad opera ſua, cum ſub vna conſtellatione nati fuerint,debuerunt eſſe omninò ſimilis conditionis,ſed quia non fuerunt ſimiles, ſed valde contrarij, ideo clarè oſtenditur, non ex conſtellationibus, ſed proprijs voluntatibus haberi vitia. Et per hæc pauca dicta ſit expeditus in preſentii ſte ſecundus tratatus miſcellaneus plura Deo dante alibi.



Digitized by Google

# TRACTATVS MISCELLANEVS TERTIVS

# DE PLANETIS.

PRæſens Tractatus Miſcellaneus de Planetis proponitur, occaſione accepta ex his, quæ diximus ſimiliter *in lib.* 1. *Muſ. p.* 3. *c.* 4. vbi loquendo de Planetarum muſica creatione, & compoſitione, quædam pauca attulimus ad muſicam harmoniam pertinentia. Verum quia non omnia ibi congerere fas erat; hoc ſecundo libro particularem tractatum facere viſum eſt, in quo quædam alia, quæ notatu, & ſcitu digniora exiſtimauimus, per breues concluſiones, ſecundum propoſitum inſtitutum, ad amicorum curioſitatem explendam afferre, atque congerere pleniùs poſſemus.

1 Præmittendum eſt igitur, quod Planetæ ſunt quædam ſtellæ principales erratiles, quæ ex aduerſo Cælo, in quo fixæ ſunt, ſuum motum peragunt. Sunt autem eorum nomina, quæ ſequuntur, *Saturnus,* ſcilicet, *Iuppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius. & Luna*; his tamen nominibus appellari ſtellas prædictas, Planetas vocatas, non naturæ conſtitutione inquit *Macobrius in Somn. Scipion. lib.* 1. *cap.* 19. Sed hominum perſuaſione, qui ſtellis numeros, & nomina dederunt, vt commodiùs diſtincta illarum narratione, quæ ipſi volebant, ſignificarent; vndè ſplendor illius ſtellæ, quæ *Saturnus* appellatur, & ſic *Iouis, & Martis,* & reliquarum, ſic denominari antiquitati placuit, vt per certa, & determinata nomina, clariùs exprimeretur earum natura. Quot verò ſtellis quædam ex ipſis componantur, diximus *ſup. ſuis locis in præced. Miſcell.* 2.

2 Et quia ſtellæ ſunt partes Cælorum, in quibus collocatæ ſunt, eiuſdem naturæ etiam ſunt, ſicuti, & Cæli, & ſimiliter eiuſdem motus, & figuræ, ſcilicet ex materia prima, & propria forma ſubſtantiali; differunt tamen ab ipſis Cælis ſtellæ, tàm fixæ, quæ in firmamento ſunt, quæ inter ſe ſemper ſeruant eamdem diſtantiam, ſitum, & figuram in eodem loco, & proptereà fixæ dicuntur: quàm erratiles, quæ Planetæ vocantur, quæ à fixis diſtinctæ, non eamdem



Digitized by Google

inter ſe ſeruant diſtantiam, ſitum, & figuram, & propterea erran-
tes dicuntur in ſeptem Orbibus collocatæ, denſitate inquam diffe-
runt tantum, & raritate, quia vt ait *Aut.Mar. Phyloſop. lib.7. tract.1.
c.* 19. Stella nihil aliud eſt, quàm denſior pars ſui Orbis, luminis
Solis receptiua, & retentiua, & propterea potentiæ viſiuæ obiecta;
Orbis verò in aliis partibus, quia rarior, lumen verſus ipſum pro-
iectum non incorporans, luminoſus, aut lucidus non fit, nec cui-
uis colori ſubijcitur, ideò viſibilis non eſt, reliqua ad ſtellas perti-
nentia, vide quæ ſup. dixi. *Miſcell. 2. in quarto Cælo verſic. In hoc Cælo
ſtellato nu.*24.

3 Sciendum eſt autem, quod Priſcis vocari placuit has ſtellas, Pla-
netas, & ſtellas erratiles, ex contrario motu Cælorum, & reliqua-
rum ſtellarum; cum Cælum, & reliquæ moueantur ab Oriente in
Occidentem; ipſæ verò ſolæ motum habent ab occaſu in Orien-
tem, vti videmus in Luna, quæ ſingulo quoque veſperi ad Orien-
tem remeat, vt *ait Ioan.Damaſcen.in lib.*1.*cap.*6. Et ſimiliter erratiuæ
dicuntur, quia ſeptem Planetæ quandoque ſibi ipſis, interdum ve-
rò ſtellis fixis coniunguntur, nam de ſtella ad ſtellam, quaſi erran-
tes, progredi cernuntur; quod motu proprio non contingit, ſed
ad motum ſuorum Orbium accidit; cum ſtella per ſe non moueа-
tur, quia ſi per ſe moueretur, natura defeciſſet, quod dici non po-
teſt, cum in neceſſariis non deficiat, nihil fruſtrà agat, & in ſuper-
fluis non abundet, vt *Ariſt.inquit, & Mar.Phyl.ſup.*

4 Inter hos ſeptem Planetas Sol in medio collocatur, tanquàm di-
gnior; medium autem tenet numero, non ſpatio, cum inter ternos
ſummos, & imos mediam regionem numero tenere videatur; ſed
totius ſpatij, quod ſeptem ſphæræ occupant, quæ Planetæ nuncu-
pantur, cum ſphæricæ figuræ ſint, dimenſio ipſa demonſtrat, ſolis
regionem in medio ſpatio locatam non inueniri, quia plus à Satur-
no ſummo diſtat, quàm à Luna ima; nam Saturni ſtella, quæ ſum-
ma eſt, peragrat Zodiacum triginta annis; Sol, qui medius eſt, vno
tantùm anno: Luna verò vltima, vno menſe non integro; ergò
neceſsè eſt concludere, tantum intereſſe inter Solem, & Saturnum,
quantum inter vnum, & triginta; & ſimiliter tantum inter Solem,
& Lunam, quantùm intereſt inter duodecim, & vnum. *Macrob.*

5 *ubi ſup.* Alij Planetæ peragrant Zodiacum diuerſimodè. nam *Iuppi-
ter* in annis quaſi duodecim illum percurrit; *Mercurius* verò, & *Ve-
nus*, quæ aliquando *Lucifer*, aliquando *Heſperus* nominatur, vno
anno, ſicut Sol Zodiacum perambulant, vt ait *Archidiacon. in cap.*1.
*de regul.iur.in 6.& latiùs ſupra Miſcellan. præced. ſuis proprijs locis*. Luna
verò

Digitized by Google

verò totum perambulat Zodiacum in viginti octo diebus, vt expe-
6 rientia docet, & habetur in *Mar. Phyl. ſup. c. 34.*

Sunt autem Planetæ diſſimiles in magnitudine, nam Saturnus (qui & *Phenon* dicitur) continet terram nonaginta vna vicibus, & vnam eius octauam, vt habetur in *Mar. ſup. c. 28.* Iuppiter (qui etiam *Phenon* aliquandò vocatur) nonaginta quinque vicibus terram continet *ibid. c. 29. Mars* (qui *Ares, & pyroin* aliquando dicitur) continet illam ſemel, & dimidiam, & eius partem vndecimam quaſi *ibid. c, 30. Sol* verò eſt maior omnibus Planetis, & continet terram centies ſexies, & ſexagies, & inſuper tres eius octauas *ibid. c. 31. Venus* (qui *phoſphoros*, ſeù *Lucifer* dicitur in manè cum Solem antecedit, & *Heſperus* in Veſpere, cum Solem Occidentem ſequitur) eſt vna pars terrę de triginta ſeptem eius partibus *ibid. c. 32. Mercurius* (qui & *Stilbon* dicitur) eſt minor terra, nam eſt vna de triginta duabus millibus illius partibus, quia terra continet Mercurij quantitatem 21952. vicibus *ibid. c. 33.* Luna tandem continet vnam de triginta nouem partibus Terrę, nam Terra eſt maior Luna triceſies nonies, & paulo plus *ibid. c. 34.* Omnes autem prędictos Planetas, ſiuè Orbes ſuis motibus ſymphonias cauſant dulciſſimas, qui tamen con-
7 centus à nobis fortaſsè non auditur, quia extra aerem noſtrum fit, *vt ibid. habetur*; vbi etiam dicitur, quod à Terra ad firmamentum ſeptem toni colliguntur, qui eſt vniuerſitatis numerus, nam inter firmamentum, & Saturnum tria ſemitonia conficiuntur; Inter Saturnum, & Iouem ſemitonium intercedit; Inter Iouem, & Martem ſimiliter ſemitonium inuenitur. Inter Martem, & Solem, Tonus; Inter Solem, & Venerem tria ſemitonia; Inter Venerem, & Mercurium ſemitonium; Inter Mercurium, & Lunam ſemitonium; & tandem à Luna ad Orbem Terrę tonus conſtituitur; vt *etiam attulimus in Muſ. p. 3. c. 4. verſic. non ſolum*. Diſtantias autem ſingulorum Planetarum habes ſimiliter in *Muſeo ibid. verſic. à ſuperficie Terra ex*
8 *Mar. vbi ſup. c 36.*

Sed quęritur; Cum Sol videtur à nobis maior in ortu, & in occaſu, pluſquam videtur in meridie, An hoc procedat ex diſtantia, vel alia cauſa? Reſpondetur, hoc non euenire ex diſtantia, ſed tantum, propter interpoſitionem vaporum groſſorum, nam in Horizonte illum videmus per aerem denſiorem, & humectiorem, qui eſt vicinior Terrę, & ideò apparet maior; quod contingit, cum in medio Cęli ipſum cernimus, nam aer eſt purior; & radius ab oculis ad ipſum emiſſus non reflectit, veluti in alio ſitu accidit; quod probatur in his, quę in aquis proiecta, videntur grandiora, & corpulentio-

ra,

Digitized by Google

ra, vt in denario pręſertim experitur, vt inquit *Mar. Phil. lib. 7. tract. 1. c.4.*

9 Quæritur ſecundò. Quid ſit *Eclipſis Solis, & Lunæ*? Reſpondetur breuiter, quod Eclipſis Solis nihil aliud eſt, quàm defectus luminis Solis, quò ad nos, ex interpoſitione corporis Lunę, inter oculos noſtros, & Solem, & fit ſub alterutro nodo Draconis, Sole, vel Luna exiſtentibus in altero punctorum, vel propè: quę non niſi in plenilunio contingere poteſt, & non ſemper; regulariter in fine Lunę fit *Mar. Phil. ibid. c.36.*

10 Eclipſis verò Lunę eſt, interpoſitio corporis Terrę inter Solem, & Lunam per diametrum in punctis Draconis, Sole in cauda, vel capite, & Luna in capite, vel cauda exiſtente. obſcuratur enim tunc Luna propter vmbram Terrę, quam ex diametro impedit, ne radij Solis ad eam perueniant.

11 Sciendum eſt tamen, quod *caput Draconis* eſt interſectio illa, quando Luna à meridie per Eclipticam mouetur in Septentrionem: *Cauda* verò eſt interſectio illa, qua à Septentrione mouetur in meridiem; nam eccentricus, & Ecliptica Solis, interſecatur à concentrico circulo ęquante Lunę verſus Orientem, & verſus Occidentem; puncta autem illa, & interſectiones vocantur etiam *nodi*; cum enim iſta puncta ſint ſibi oppoſita, hinc naſcitur Eclipſis. Accidit autem cum Luna in oppoſito Solis eſt, & tunc, nec ſemper, ex rationibus adductis à *Mar. Phyl. ibid. c. 36.* & *Plin. lib. 2 c. 10. & 13. qui cap. 14. ait*; Lunam eſſe omnium ſtellarum minimam, ſed quia eſt inferior omnibus, & nobis vicinior, videtur maior poſt
12 Solem. Lunę corpus ſua natura opacum eſt, ſed recipit lumen à Sole, vt inquit *Beda lib. de natura rer. c. 25.* Recipit autem figurationes diuerſas pro modo luminis Solis, vt inquit *D. Damaſcen. lib. 2. de Orthodox. fid. c.7.* Hinc augmentum, & decrementum Lunæ procedit ex acceſſu, & receſſu à Sole, & tunc videtur, vel non videtur à nobis, & paulatim. *Mar. ſup. c.35.* Quandò Luna creſcit, Solem motu ſequitur, cum decreſcit, eundem præcedit, & ſemper eſt auerſis cornibus à Sole; ſi creſcat ortum ſpectantibus; ſi decreſcat occaſum. *Plin. ſup. c.14.* Quando creſcit, videtur eius lumen, & ipſa huſque ad mediam noctem; quando decreſcit, manè tantum lucet, à media nocte incipiens; ſi plena ſit, lucet per totam noctem, cum ſit in oppoſitione Solis; quando noua fit, caret ſplendore, & dicitur eſſe in coniunctione Solis, & tunc per tres noctes, vt plurimum à nobis non videtur, ſcilicèt prima nocte defectus, ſecunda quæ eſt coniunctionis; & tertia, quæ eſt innouationis prima.

Digitized by Google

13 ma. *DD. cit.* Apparent in Luna quædam tanquàm maculæ, quæ nihil aliud ſunt, quàm partes obſcuriores ipſius; corpus enim lunare, cum ſit inæqualis denſitatis, & raritatis, radij ſolares inæqualiter in ipſo incorporantur; ideo partes denſiores fiunt lucidiores; partes verò rariores, fiunt magis obſcuræ, & à nobis videntur, tanquàm maculæ. *Mar. ibid. c.* 35.

14 Hoc autem loco, in quo de Planetis agitur, prætereundum non eſſe, duxi, quod dicit *Gloſ. in l. omnes Iudices. C. de ferijs in verb. die Solis*, ſcilicet ſeptem Hebdomadæ dies, à ſeptem ſupradictis Planetis, denominari, vt feria ſecunda à Luna; feria tertia à Marte; feria quarta à Mercurio; feria quinta à Ioue; feria ſexta à Venere; Sabbato à Saturno; Dominica à Sole. Sunt ipſi in firmamento deſcenſiuè affixi, & Sol in eorum medio collocatur, vt dignior; nam tres præcedunt, vt *Saturnus*, *Iuppiter*, *Mars*: & tres ſequuntur, vt *Venus*, *Mercurius*, & *Luna*; ipſe autem Sol in medio conſiſtit, tanquàm principalior, vt diximus.

15 Qui omnes Planetæ maximam in hominis generatione poteſtatem, & operationem habent, ſecundum Aſtrologos, Phyloſophos, & medicos, præſertim Galenum, & Alios, quod regulandum cenſeo cum *Diuo Auguſt. lib.* 3. *de Trin. c.* 4. vbi ait, *corpora inferiora per potentiora ordine quodam regi*; *& lib.* 5. *de Ciuit. Dei c.* 6. *inquit: afflatus quoſdam ſidereos valere aliquando ad ſolas corporum differentias*. Vnde tali modo, non alio intelligi debet propoſitio.

Cum igitur mulier concipit in primo menſe, Saturnus dominatur, & ſua ſiccitate, ac frigiditate coagulat, & condenſat ſemen in mulieris matrice receptum; *Vnde Iob.* 10. dicit: *ſicut caſeum me coagulaſti*, *& Auicenna, ac Marcus Aurelius Seuerinus* Calaber *Vir Doctiſſimus* referunt quędam mirabilia de harmonica hominis conceptione, & concordi interuallo temporis ad perfectum hominem reddendum; nam ſex primis diebus ſemen in vtero mulieris immutatur in quoddam ſpumoſum, ſimile butyro; poſt tres alios dies, apparent filamenta quędam rubra, & quaſi guttę ſanguinis; finitis 15. diebus à conceptu, coagulatum ſanguinem refert; poſt alios 12. dies, ſpectatur caro cum diſtinctione trium viſcerum principalium; deinde videtur initium ſpinalis medullę; tandem poſt alios dies nouem, diſtinguitur caput ab humeris, & extrema laterum, ac venter manifeſtè diſcernuntur; atque ità paſſim fętus ſpatio ſex menſium conglobatur, harmonico quidem interuallo, vt mox ſingillatim referam Fuſiùs. Poſt ſeptem menſes, vel vt plurimum nouem, fętus ſtimulat vterum acrimonia humoris effuſi diſruptis membra-

nis

Digitized by Google

nis crebra palpitatione manuum, & pedum; Vterus autem tum pondere grauatus, tum ſtimulatus vi expulſiua, partum eijcit, vt ex dictis DD. refert *Kircher in Muſurgia lib.* 10. *regiſtr.* 4. §. 2. *prop. fin.* vbi ponderat in ſupradictis numeris primis naturæ operationibus notatis dierum ſex, & trium, Diapaſon inueniri: in ſequentibus 15. & 12. Diſdiapaſon; in 9. Diateſſaron. Diapaſon.

16 Vltrà ſupra relata non erit fortaſſe ingratum curioſis afferre quæ dixit *Macrobius in Somnium Scipionis lib.* 1. *c.* 6. vbi loquens de Septenario numero, hæc formalia verba protulit: *Hic denique eſt numerus, qui hominem concipi, formari, edi, viuere, ali, ac per omnes ætatum gradus tradi ſenectæ, atque omninò conſtare facit. Nam, vt illud taceamus, quod vterum nulla vi ſeminis occupatum, hoc dierum numero natura conſtituit, velut decreto exonerandæ mulieris vectigali menſe redeunte purgari: hoc tamen prætereundum non eſt, quia ſemen, quod poſt iactum ſui, intra horas ſeptem non fuerit in effuſionem relapſum, hæſiſſe in vitam pronunciatur. Verum ſemine ſemel intra formandi hominis monetam locato, hoc primo artifex natura molitur, vt die ſeptimo folliculum genitiuum, ſeù geminum circundet humori ex membrana, tam tenui, qualis in ouo ab exteriore texta clauditur, & intra ſe claudit liquorem. Hoc cum à Phyſicis deprehenſum ſit, Hippocrates quoque ipſe, qui tam fallere, quam falli neſcit, experimenti certius aſſeruit: referens in libro qui de natura pueri inſcribitur, tale ſeminis receptaculum de vtero eius eiectum, quam ſeptimo poſt conceptum die grauidam intellexerat: Mulierem enim ſemine non effuſo, ne grauida maneret orantem, imperauerat ſaltibus concitari, atque ſeptimo die ſaltu eiectum cum tali folliculo qualem ſupra retulimus, ſuffeciſſe conceptui.* Hæc Hyppocrates. Straton verò Peripateticus, & Diocles Caryſtius *per ſeptenos dies concepti corporis fabricam hac obſeruatione diſpenſant: vt hebdomade ſecunda credant, guttas ſanguinis in ſuperficie folliculi, de quo diximus, apparere: tertia demergi eas introrſum ad ipſum conceptionis humorem: quarta humorem ipſum coagulari, vt quiddam velut inter carnem, & ſanguinem liquida adhuc ſoliditate conueniat: quinta verò interdum fingi in ipſa ſubſtantia humoris humanam figuram, magnitudine quidem apis, ſed vt in illa breuitate membra omnia, & deſignata totius corporis lineamenta conſiſtant. Ideo autem adiecimus, interdum, quia conſtat, quoties quinta hebdomade fingitur deſignatio iſta membrorum, menſe ſeptimo maturari partum. Cum autem nono menſe abſolutio futura eſt, ſiquidem fœmina fabricatur, ſexta hebdomade, iam membra diuidi, ſi maſculus, ſeptima. Poſt partum verò vtrum victurus ſit, quod effuſum eſt, an in vtero ſit præmortuum, vt tantummodo ſpirans naſcatur, ſeptima hora diſcernit. Vltra hunc enim horarum numerum, quæ præmortua naſcuntur, aeris halitum ferre non poſſunt: quem quiſque vltra ſeptem horas ſuſtinuerit, intelli-*

*telligitur ad vitam creatus, niſi alter fortè (qualis perfectum poteſt) caſus eripiat. Item poſt dies ſeptem iactat reliquias vmbilici; & poſt bis ſeptem incipit ad lumen viſus eius moueri; & poſt ſepties ſeptem liberè iam, & populas, & totam faciem conuertit ad motus ſingulos videndorum. Poſt ſeptem verò menſes dentes incipiunt mandibulis emergere. Et poſt bis ſeptem, ſedet ſine caſus timore. Poſt ter ſeptem, ſonus eius in verba prorumpit. Et poſt quater ſeptem non ſolum ſtat firmiter, ſed & incedit. Poſt quinquies ſeptem, incipit lac nutricis horreſcere, niſi fortè ad patientiam longioris vſus continuata conſuetudine protrahatur. Poſt annos ſeptem, dentes, qui primi emerſerant alijs aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedunt; eòdemque anno, ideſt ſeptimo plenè abſoluitur integritas loquendi. Poſt annos autem bis ſeptem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit, tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio fæminarum. Ideo & tutela pueris, quaſi virile iam robur, abſoluitur: de qua tamen fæminæ, propter votorum feſtinationem, maturius biennio legibus liberantur: Poſt ter ſeptenos annos genas flore veſtit iuuenta; Idemque annus finem in longum creſcendi facit. Et quarta annorum hebdomas impleta, in latum quoque creſcere vltra iam prohibet. Quinta omne virium, quantæ ineſſe vnicuique poſſunt, complet augmentum, nulloque modo iam poteſt quiſquam ſe fortior fieri. Inter pugiles denique hæc conſuetudo ſeruatur, vt quos iam coronauere victoriæ, nihil de ſe amplius in incremento virium ſperent: qui vero expertes huius gloriæ vſque illò manſerunt à profeſſione diſcedant. Sexies verò ſepteni anni, ſeruant vires ante collectas, nec diminutionem, niſi ex accidenti euenire patiuntur. Sed à ſexta vſque ad ſeptimam ſeptimanam, fit quidem diminutio, ſed occulta, & quæ detrimentum ſuum aperta defectione non prodat. Ideo nonnullarum Rerumpublicarum Is mos eſt, vt poſt ſextam ad militiam nemo cogatur: in pluribus detur remiſſio iuſta poſt ſeptimam. Notandum verò; quod cum numerus ſeptem ſe multiplicat, facit ætatem, quæ propriè perfecta, & habetur, & dicitur adeo vt illius ætatis homo, vtpotè qui iam perfectionem, & attigerit, necdum præterierit, & conſilio aptus ſit, nec ab exercitio virium alienus habeatur. Cum verò decas, qui & ipſe perfectiſſimus numerus eſt, perfecto numero ideſt ſeptem iungitur, vt aut decies ſeptem, aut ſepties deni computentur anni; hæc à Phyſicis creditur meta viuendi, & hoc vitæ humanæ perfectum ſpatium terminatur: quod quiſquis exceſſerit, ab omni officio vacuus, ſoli exercitio ſapientiæ vacat, & omnem vſum ſui, in ſuadendo habet, aliorum munerum vacatione reuerendus. A ſeptima enim vſque decimam ſeptimanam pro captu virium, quæ adhuc ſingulis perſeuerant, variantur officia. Idem numerus (, ideſt ſeptem) totius corporis membra diſponit. Septem enim ſunt intra hominem, quæ à Græcis nigra membra vocantur: lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo. Et ſeptem alia cum venis, & meatibus, quæ adiacent ſingulis, ad cibum, & ſpiri-*



Digitized by Google

*tum accipiendum, reddendumque ſunt deputata: guttur, ſtomachus, aluus, veſica, & inteſtina principalia tria; quorum vnum diſſipium, ſeù diſſeptum vocatur, quod ventrem, & cætera inteſtina ſecernit: alterum medium, quod Græci* Meſenterion dicunt: *tertium, quod veteres hyram vocauerunt; habeturque præcipuum inteſtinorum omnium, & cibi retrimenta deducit. De ſpiritu autem, & cibo, quibus accipiendis, vt relatum eſt, atque reddendis membra, quæ diximus cum meatibus ſibi adiacentibus obſequuntur, hoc obſeruatum eſt, quod ſine hauſtu ſpiritus vltra horas ſeptem; ſine cibo vltra totidem dies vita non durat. Septem quoque ſunt gradus in corpore, qui dimenſionem altitudinis ab imo in ſuperficiem complent: medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis. Hæc de interioribus. In aperto quoque ſeptem ſunt corporis partes: Caput, pectus, manus, pedes, & pudendum. Item quæ diuiduntur, nonniſi ſeptem compagibus iuncta ſunt, vt in manibus, eſt humerus. brachium, cubitus, vola, & digitorum terni nodi. In pedibus verò femur, genu, tibia, pes ipſe, ſub quo vola eſt, & digitorum nodi terni ſimiliter, & quia ſenſus, eorumque miniſteria, natura in capite, velut in arce, conſtituit, ſeptem foraminibus ſenſuum celebrantur officia, ideſt oris, ac deinde oculorum, narium, & aurium, binis. Vnde non immeritò hic numerus totius fabricæ diſpenſator, & dominus, ægris quoque corporibus periculum, ſanitatemue denunciat. Imo ideo, & ſeptem motibus omne corpus agitatur: aut enim acceſſio eſt, aut receſſio: aut in leuam, dextramue deflexio: aut ſurſum quis, ſeù deorſum mouetur, aut in Orbem rotatur.* Hactenus Macrobius. Sed reuertamur ad Planetarum influxus.

In ſecundo menſe Iuppiter in fœtu membra, & ſanguinem tri-
17 buit, vt dixi; & Embrioni anima rationalis à Deo infunditur; ſi ſit maſculus in quadrageſima die, computanda tamen à die conceptionis, vt notatur in *l. Diuus ff. de extraordin. crimin.* Si verò ſit fæmina die octuageſima, ſimiliter computanda à die Conceptionis, vt notatur per *Gloſ. fin. in c. 1. 5. diſtinct.* ſecundum quæ tempora mulier in lege veteri non poterat ingredi templum, quia erat tempus purgationis menſtrui; vt habetur *Leuitici c. 12. & 15.*

Vnde infero, quod ſi quis procurauerit abortum fieri ab aliqua
18 muliere, vltra peccatum mortale, ante Conſtitutionem *Greg. XIV.* incurrebat etiam pœnas inflictas à *Sixto V. ſal. rec. in Conſtit. 87. quæ incip. effrenatam.* Siuè fœtus erat animatus, ſiuè inanimatus. Pænæ autem erant, vt illum procurans incurreret excommunicationem, Papæ reſeruatam, à qua per quodcumque Iubilæum abſolui non poterat, necnon pænam mortis, & quod cauſæ abortum procurantis daretur præuentio Iudici Eccleſiaſtico, vel ſæculari. *Gregorius verò XIV. in Conſt. 8. quæ incip. ſedes,* reuocauit pœnam mortis, & reſer-



Digitized by Google

ſeruationem abſolutionis, conceſſa facultate confeſſarijs ordinarijs, vt ab illa abſoluere poſſint; pœnas verò reduxit ad terminos Iuris, vt disertè more ſuo refert *Doctiſſimus Pat. Lauræa in Epitom.Canon.verb.Abortus*. Abortum verò procurare, nihil aliud eſt,niſi ſtudiosè quęrere, ſiuè per ſe, ſiuè per alium, vt fœtus immaturè ex vtero matris eijciatur. Quibus autem modis fiat, vel procuretur tangitur obiter in *d.Conſtit.Sixti V.*

19 De Iure communi, homicidij pœnis non ſubiacet, ſi quis procurauerit abortum, ante animationem fœtus, ſecus ſi poſt. *c. Moyſes, cap.quod verò, & cap.ſicut ſemina 32.q.2. & cap.ſi aliquis de homicid. voluntar.* Et ſi ſit Clericus ille, qui abortum procurauit, efficitur Irregularis. *cap.ſicut ex litterarum,vbi Gloſ.de homicid.* Sed tamen quia adeo immane crimen eſt, ac barbarum delictum, abortum procurare, vt omninò eradicandum ſit; Imperatores ſtatuerunt,vt etiam quod fætus non ſit animatus, licet non puniatur illum procurans pęna ordinaria homicidij,puniatur tamen pœna extraordinaria.ita communiter. DD. tenent per textum *in l. Diuus 4. ff. de var. & extraordinar. criminib. in l.ſi mulierem. 8. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. in l. penult. C. eod. in l. ſi quis aliquid. 38.§. qui abortionis, & in l. Cicero 39.ff.de pœn. & Menoch. de arbitrar, iudic. lib.2. caſ.329.n.6. & caſ. 357. per tot. Gouarruu. lib.2. variar.c.20.n.9. & Nauar. in man.cap.27.n.222.* Matres verò, & Alij cooperantes damnantur, vt homicidę per *Concilium Vormatienſe 1. c. 35. & per Conc. Ancir. c.21.* erat antiquitus excommunicatio per decem annos; & per *Concil. Illerdenſ.c.2.* erat pænitentia publica per ſeptem annos: Hodie verò ſeruatur prædicta Conſtitutio octaua *Gregorij XIV.*

*Leſſius* autem *lib.2.c.9.dub.10.nu.65.* dicit, fætum animari ſimul, atque fuerit formatus, & non admittit diſcrepantiam inter marem, & fæminam. Attamen quia *Ariſtoteles lib.7.de animalib. c.3. & Plin. lib.7.c.6* affirmant, mares animari die 40. à conceptu; fœminas verò die 80. & aliquando 90. ego hanc ſequerer opinionem, tamquam magis communem, & pœnitentibus fauorabiliorem, quam ſequitur *Molin.de iuſtit.tom.3.tr.3.diſp.27.nu.1. & Pat.Dian. par.7.tr.5. reſ. 6.* Sēd Sermonem reuocemus ad Planetas.

In tertio menſe Mars ſubtiliat ſanguinem,& humores condenſat, ordinat, & componit.

In quarto menſe Sol tribuit Epati, & Cordi ſpiritum vitalem,& calorem.

In quinto menſe Venus diſponit, & perficit organa ſenſibilia,& membra officialia, vti aures, nares, & ſimilia.

In

Digitized by Google

In ſexto menſe Mercurius componit omnia foramina corporis. In ſeptimo menſe luna ſuis limitibus membra diuidit. In hoc ſeptimo menſe naſcitur aliquando partus. perfectus, vitalis, & ſalubris ſecundũ *tex. in l. ſeptimo menſe. ff. de ſtat. homin.* quia ex *Hipocrate,* ſeptem ſunt Planetæ, qui principaliter in conceptu operantur. Et ſufficit intraſſe per duos dies in ſeptimo menſe, vt ſit perfectus; textus eſt in *l. inteſtato* §. *fin. ff. de ſuis, & legit. hæred.* & notatur in dicta *l. ſeptimo menſe.* Quare Baldus in l. *Iura conſtitui oportet, cum l. ſeq. ff. de legib.* inquit, quod ſi naſcatur puer in ſeptimo menſe, poſt legitimas, & iuſtas nuptias, præſumitur legitimus, *vt etiam clarè probatur in fine dictæ legis ſeptimo menſe.* Si autem partus

20 naſcatur in octauo menſe, tunc moritur. Ratio eſt, quia Saturnus rediit ſuper eo, qui ſua frigiditate, & ſiccitate, partum mortificat, vt referunt Doctores, & Medici, præſertim *Cælius lib.* 11. *Antiquar. lect. c.* 1. vbi ponit alias rationes. Principalis autem ratio eſt, quia Anima in ſicco habitare non poteſt, nam ſpiritus eſt, id eſt in corpore rudi, & informi, vt dicit *Gloſ. in cap. Moyſes.* 32. *q.* 2. vbi etiam dicit, quod iſte textus valde facit pro Normandis, Anglicis; & Polonis, vt poſſint bibere fortiter, ne Anima habitet in ſicco, hoc dicit *Gloſ. ibi, verb. in ſicco.*

Quando verò partus naſcitur in nono menſe, non in octauo, eſt perfectus, & vitalis; quia Iuppiter, qui redit denuò, ſuo tem-

21 perato calore partum refouet, & cuſtodit. Quod ſi partus diſtulerit naſci in nono menſe, poterit in decimo naſci, & tunc erit robuſtus, quia in illo menſe redit Mars, qui ſuo calore, & ſiccitate reddit illum robuſtum. textus eſt in *l. Gallus in princ. ver. in decem menſibus proximis ff. de liber. & poſthum. & in l. fin. C. de poſthum. hæredib. inſtituend.* Chriſtus Dominus Saluator, & Redemptor noſter natus fuit in decimo menſe, poſt quinque dies; capiendo menſem pro triginta diebus, vt refert *Guillelmus de Benedict. in repetit. cap. Raynutius de teſtam. in ver. & ſobolem quam geſtauit in vtero nu.* 28.

22 Vltra decem menſes mulier conceptum non portat in ventre, vt probatur *in dicta l. inteſtato* §. *fin. ff. de ſuis, & legit. hæred.* ſaltem vltra duos dies in menſem vndecimum, *vt in Authent. de reſtitution. & ea quæ par. in vnd. men.* §. *vnum ſiquidem. ver. quamobrem, vbi Gloſ. in verb. perfectio collat.* 4. hoc dicit de muliere, quæ parit in vndecimo menſe, poſt mortẽ Viri. Et ſic præſumitur partus illegitimus, vltra decem menſes, & duos dies; & à fortiori, ſi naſcatur in decimo quarto, vel decimo quinto menſe, poſt mortem Viri cum

cer-

Digitized by Google

certum ſit, ex marito non eſſe, ſed ante annum conceptum fuiſſe. *Gloſa verò marginalis in dicta l. inteſtato, loquitur* hæc verba: *Videtur huic obſtare, quod eſt apud Plinium lib. 7. cap. 5. ſed tu vide Gellium libr. 3. cap. 16.*

Quidquid tamen ſit de veritate huius rei per dictas leges præ-
a3 ſcriptæ, quoad ſucceſſionem, non deſunt authoritates Medicorũ teſtantium; poſſe mulierem parere in vndecimo menſe completo, immo, & duodecimo. & decimo quarto, vt *ait Valleſius lib. 2. controuerſiar. cap. 10. de partu octimeſtri, allegans Auicen. lib. 3. fen. 21;* & latè. *Dan. Sennert tom. 4. lib. 4. p. 2. ſect. 6. cap. 6. de partu tardo*, refert multos caſus per hæc formalia verba: *Cardan. lib. 1. tract. 3. contrad. 8. patrem ſuum prædicaſſe ſcribit, ſe decimo tertio menſe natum eſſe.* Et *ex Plin. vbi ſupra lib. 7. c. 7.* Et *Auicenn. lib. 9. de animal;* conſtat, quaſdam mulieres, poſt decimum quartum menſem peperiſſe; *& Alex. Benedictus de curandis morbis lib. 25. c. 23.* dicit, ſe accepiſſe, quamdam 14. menſibus partum tuliſſe. *Maſſa, epiſt. 29. tom. 2.* ſcribit, nobiliſſimam quamdam matronam Venetijs ex coniuge ſeptuagenario concepiſſe, & tandem quintodecimo menſe peperiſſe puellam cęcam, manibus truncatam, & quinque menſibus vixit. *Paſchalis Gallus in ſua Bibliotheca medica* narrat, Rhenatum Thioneau med. D. edidiſſe miraculoſam hiſtoriam fœtus in vtero viginti tres menſes geſtati, apud Turonenſes. Et ex Alberto Cranzio referunt, quod ex Duce Baruch Vandale Vxor conceperit, & triennio prægnans fuerit, & peperit infantem gradientem, & loquentem. *Et Auentin, lib. 5. annal. Boior.* ſcribit fœminam biennio vterum ferentem, marem loquentem enixam eſſe. *Et Mercurial. conſ.* 85. ad Illuſtriſſimum, & Generoſiſſimum Chriſtophorum à VVolckenſtein, ſcribit: *nunquam viſum, aut auditum eſt, quantum ipſe recordor, mulierem vllam fœtum viuum quatuor annis ventre geſtaſſe quemadmodum hæc antepropoſita mihi mulier, quam ſcribunt anno 15. enixam marem; mox primo coniuge orbatam, cum ſecundo, ac tertio ſexdecim annis ſterilem manſiſſe, donec tandem quarto nupta, concepit fœtum, quem ipſa affirmat, ſe iam quarto anno exacto viuum geſtare, non modo abſque vlla inſigni moleſtia; verum etiam cum ſummo valetudinis lucro, vt quæ prius innumeris tentaretur malis, nunc penè libera ſit.* Quas omnes hiſtorias collegit Doctiſſimus Ioann. Schenckius *lib. 4. obſeruation. medicinal. ab obſeruat. 157. vſque ad obſeru. 160.* Adeſt etiam inſignis Illa hiſtoria de Principe Condè, tempore Henrici quarti Gallorum Regis; cum enim timeretur de morte prædicti Regis, ſine legitima prole, fuit factum Parlamentum, ſuper ſucceſſore ad Regnum, ſi caſus eueniret, vt mo-

moreretur Rex, abſque liberis, quiſnam deberet ſuccedere ex multis Principibus, tunc extantibus ex ſanguine Regio deſcendentibus, vt euitarentur bella ciuilia, poſt Regis obitum; Et Parlamentum, cum aſſiſtentia eiuſdem Regis, pronunciauit ad fauorem Principis Condè, ſed quia natus erat decimo quarto menſe; Dux de Sueſſons, qui erat alter ex proximioribus, oppoſuit hanc exceptionem, ex qua oriebatur ſuſpicio illegitimitatis, fuit cauſa iterum diſcuſſa aucthoritate plurimorum Doctiſſimorum Medicorum, & cum eorum conſilio fuit factum arreſtum ad fauorem eiuſdem de Condè, cui deciſioni non acquieſcens Dux de Sueſſons, inquit, ſe appellare ad ſuum enſem quando ſuccederet caſus. Sed Deus poſt ex ſua miſericordia conceſſit prolē dicto Regi, & ſic ceſſarunt iurgia, & ſeditiones, ac bella, quæ imminebant ex dicta cauſa; vt teſtantur Hiſtoriæ Gallicæ, de quo Toanus, & Alij Hiſtoriographi.

Sed quid aliena quærimus exempla? dum hohiè in Vrbe, quando hæc præ manibus habeo, caſus cuiuſdam mulieris extat, qui non modo Medicorum in Vrbe degentium, calamos excitauit, verum etiam præclariſſimorum virorum totius, ferè Italiæ, Galliæ, & Germaniæ fatigauit: vnde Illi, ad quos ſpectat illius mulieris incolumitati conſulentes Collegium Præclariſſimorum Medicorum, in Vrbe commorantium, congregari mandauerunt, & vnuſquiſque quid de tali muliere ſētiret, ac quomodo eius indemnitati optimè conſuli poſſit, in ſcriptis ſuum ferret iudicium iniunxerunt; inter quos non infimum locum obtinuit opinio celeberrimi viri Hyacinthi Abaltomare Cuſentini in Romno Archigymnaſio publici medecinæ theoricæ Profeſſoris, ac mei comprouincialis.

Caſus eſt iſte: Mulier quædam nomine Magdalena Ruſcini in trigeſimo quinto ſuæ ætatis Anno conſtituta, vxor cuiuſtam Fabri Lignarii, cui nomen Camillus Simonettus propè Templum Diui Caroli de Cathenariis inhabitans, licet anteà duo alia experta fuiſſet coniugia, ſemper tamen ſterilis fuit, deinde ad tertia vota tranſiens, certis ſignis ſe matrem futuram eſſe putabat; nam detentis menſtruis, venter in ampliorem molem paulatim creſcebat, mammæque turgentes, futuri certum, partus, indicium præbebant; Certioremque ſpem auxit perceptus in vtero, ſtatuto tempore, motus; quæ omnia, legitimam grauidationem teſtabantur. in ſeptimo geſtationis menſe, acerbis ſubortis doloribus (Parturentium more) in horas ſe fætum enixuram credebat;

Sed

Digitized by Google

Sed póſt triduum dolores pedetentim mitiores reddiri, omninò euanuerunt; In nono quoque menſe per octiduum, iterum ſimi-liter aggreſſa fuit doloribus, ac poſtmodum eodem modo quo in ſeptimo menſe euanuerunt; Ex tunc menſtrua denuò ſingulis menſibùs, conſueto periodo, cum aliquali tamen, quantitatis diminutione, fluere cæperunt; Benè comedit, bibit ac dormit, & virum quandoque admittit, eo modo tamen quo vterum non comprimat; Motuſque qui in ventre percipitur, adeò impetuoſus euadit, vt ex quolibet leni tactu per omnes vteri partes, tam violenter percurrat, vt non motum, ſed Arietationem dixeris; impræſentiarum, dum hæc Ianuarij menſe ſcribo, in trigeſimo geſtationis menſe reperitur; Venterque & motus magis, ac magis augeri deprehenduntur; Soluſque Deus huius geſtationis terminum, & finem cognoſcit; Curioſis interim exitus omnibus remanentibus.

Sed hæc rara, & penè miraculoſa ſunt, vt ait idem ſupradictus Sennert, acciduntque ob ſemen debile, vterique calorem lan-
24 guidum, quibus de cauſis, & fœtus tardiùs abſoluitur, & expultrix languet. Non eſt autem in Medici poteſtate talia corrigere; Sed naturæ omnia permittenda. Caſus prædicti ſunt omninò notabiles, & curioſi, quia ſingulares, & rari, cum infinitis aliis, quos referunt Alii ex neotericis medicis, Lex autem reſpicit, non ad illud quod rarò euenit, ſed quod ſæpè, & ferè ſemper, *vt in l. ex his. ff. leg. cum ſimilibus.* vnde benè ſancitum eſt prædictis iuribus ſupra allegatis, vt natus poſt decem menſes mortis viri, & duos dies vndecimi menſis non admittatur ad legitimam hæreditatem, vt dicta *l. inteſtato. ff. de de ſuis, & leg. hær.* & dicta *Auth. de reſt.* de quo videndus eſt *Iaſon in l. Gallus præcit. in princ, col. 12. in gloſ. verb. in decem menſibus ff. de liber. et poſthum. & Ariſtotel. in lib. de animali.* Ratio eſt, quia ſol redit in vndecimo menſe ſuper partum, qui vitalem calorem, & ſpiritum epati, & cordi refouet. Sed reuertamur ad materiam Planetarum, vnde aliquantulum curioſitatis gratia appoſitè digreſſi ſumus.

Super notandum eſt igitur, quod ſupra enumerati ſeptem Planetæ habent ſeptem Angelos conductores ipſorum, & inquiunt
25 Doctores relati à *Caſſan. in cat. Glor. Mun. p. 12. conſid. 8. verſ. aduertendum* qui vt Philoſophi Gentiles aſſeruerunt per nomina vocando, vt ſunt Gabriel, qui dicitur fortitudo Dei, & eſt conductor lunæ; Raphael, qui interprætatur Medicina Dei, & eſt conductor ſolis: Michael, qui dicitur Domus Dei, & eſt conductor Mer-

Mercurii; Annael Populus Dei, & eſt conductor Veneris: Samael interpretatus auxilium Dei, & eſt conductor mortis, Sali qui interpretatur iuſtitia Dei, & eſt conductor Iouis; Et Caphiel. qui interpretatur Virtus Dei, & eſt conductor Saturni. Sed catholici theologi non alia nomina Angelorum admittunt, niſi trium tantum, vt ſupra notauimus *Miſcel.* 1. *n.* 60.

Et inſuper notant Doctores Gentiles, & Alii relati vbi ſupra à Caſſaneo, quemlibet Planetam ducere mundum annos 354; Et quatuor menſes; Et talis ordo, vt Ipſi aiunt, initium habuit à Saturno, quia hora Saturni creati fuerunt à Deo ſol r & luna; Sed *Diu Anton.* 3. *p. tit.* 31. *c.* 2. §. 4. dicit fuiſſe creatos in Ariete; Poſt Saturnum duxit mundum Venus; Poſt Venerem Iupiter; Poſteà Mercurius; Inde Mars: Poſteà Luna; Et tandem Sol; Vnde ducatus omnium ſupradictorũ Planetarum aſſumit, & comprehendit annos 2480. & quatuor menſes. Quo tempore expleto, iterum incipit Saturnus, & ſequuntur alii eodem modo. Quod quidem innuere voluit *Virgilius* quando dixit.

26 *Iam redit, & Virgo, redeunt Saturnia Regna.*

Sed quæritur numquid omnes Planetæ æqualiter Zodiacum percurrant? Reſpondetur negatiuè, nam Saturnus in triginta annis perficit Zodiacum, Iupiter percurrit ipſum in annis ferè duodecim: Mars circiter duobus, Sol peragrat totum Zodiacum in diebus 365. & horis ſex, & omni anno ſuum curſum repetit; Venus ferè eodem modo; Mercurius ſimiliter; Luna verò percurrit totum Zodiacum in viginti octo diebus; vt tradit *Archidiac. in cap.* 1. *de regular. in ſexto Aut. Mar. lib.* 7. *tr.* 1. *à c.* 30. *cum ſeqq. & Nos retulim. in præced. miſcell.* vbi de Cælis Planetarum locutio fuit.

27 Quæritur ſecundo; An Planetæ, & cætera Aſtra influant in corpora inferiora? Reſpondetur cum *Diu. Ant.* 2. *p. tit.* 12. *c.* 10. *Diu. Aug. lib.* 5. *de ciu. Dei per tot. Diu. Bonauent. Alexand. de Ales. Scot.* & Aliis relat. ab Auth. Mar. *lib.* 7. *tract. ſecundo. cap.* 8. quod Aſtra influunt in inferiora, Deo ſic diſponente, qui cum ſit cauſa prima omnium, influit in cauſatum cauſæ ſecundæ, pluſquam ipſa cauſa ſecunda; ideo non neceſſariò, & directè agit ipſorum influentia: ſed ad Dei placitum aliquando tolli, vel mutari influxus omninò poteſt à cauſis ſecundis, vt ſunt aſtra. Vel in totum, vel in partem. Hinc eſt quod aliquando videmus non euenire pluuias, ſiccitates, ſerenitates, & huiuſmodi, quæ ſecundum influxus Aſtrorum, & eorum diſpoſitiones ſuccedere deberent; & aliquando è contra multa eueniunt, quæ ſecundum cæleſtium



Digitized by Google

corporum diſpoſitionem, non deberent euenire. *Propterea Hierem.* 10. habetur: *A ſignis Cæli nolite timere, ſicut Gentes timent, quoniam Dominus peſtem miſit in Iſrael.*

28 Quæritur tertio. An præcognoſci poſſint, etſic prædici effectus influxi ab Aſtris? Reſpondetur quod effectus naturales ex Aſtri-procedentes, ſicut poſſunt cognoſci, tamquam à cauſis naturalibus deſpendentes: ſic poſſunt prædici, ſed conditionatè, quatenus Deo ſic placuerit, non abſolutè, & neceſſariò, tamquam fato quodam ſic compellente, quia hoc dicere eſſet hæreticum. *Concil. Bracarenſ. c.* 9. quia cauſæ ſecundæ vt diximus, non agunt neceſſariò in creaturas, etiam innaturalibus; Licet enim Deus per Moyſen dixerit *Geneſ* 1. De ſyderibus loquendo: *Et ſint in ſigna, & tempora. & dies, & annos*: tamen quia multoties mala eueniunt propter iuſtum Dei iudicium, ad noſtram punitionem, propter peccata; quæ mala alias non euenirent; non poteſt dici, quod neceſſariò erant euentura ex Aſtrorum aſpectibus, vt ex infinitis ſacræ ſcripturæ locis colligitur; in quibus conſtat eueniſſe peſtilentias, ſiccitates, bella, pluuias, imò diluuium, & cęt. huiuſmodi; vt habetur. *Num.* 13. ibi: *Vſquequo detrahet omnis populus iſte?*. & ſequitur: *Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam & 1. Paralip.* ibi: *miſit Dominus peſtilentiam in Iſrael. & ceciderunt de Iſrael ſeptuaginta virorū*, & *Hierem.* 39. ibi. *Perſequar eos in gladio; & fame, & peſtilentia. & dabo eos in vexationem*; & *Ezechiel* 5. habetur. *Peſtilentia, fames, & ſanguis tranſibit per te, & gladium inducam ſuper te.* Et è contra multa mala euentura eſſent, ſed tamen Dominus, cuius eſt miſereri ſemper, & parcere, propter pænitentiam hominum, auertit illa, vt habetur 2 *Paralip.* 7. ibi *ſi clauſero Cælum, & pluuia non fluxerit, mandauero, & præcepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum; Conuerſus autem populus meus, ſuper quem inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſiuerit faciem meam, & egerit pænitentiam à vijs ſuis peſſimis, exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.* Ex quibus locis, cum multis aliis, quæ allegari poſſent, clarè colligitur, conſtellationes non neceſſario euenire, ſed vt dicit Diuus *Auguſtinus lib.* 3. *de trinit. c.* 4. negari non poteſt, quod corpora cæleſtia influant in inferiora, inquit enim ipſe: *Corpora craſſiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora ordine quodam regi.*

29 Quæritur quartò, An ſit licitum obſeruare dies naturales, ſecundum rationem philoſophiæ naturalis? Reſpondetur quod obſeruare dies, ſecundum naturalem rationem medicinæ, vel philoſophiæ

Digitized by Google

loſophiæ naturalis, non eſt prohibitum, vt ſcilicet non dare medicinam infirmo, vel ſanguinem mittere in reuolutione lunæ; Vel plantare, aut incidere arbores plus vno, quam alio tempore; Vel ſeminare quædam legumina certis anni temporibus, & cętera huiuſmodi, vt ait *Diu. Ant. 2. p. tit. 12. c. 10. in fin.* & *Galen. in lib. de prognoſtic.* ſi verò quis obſeruabit, non ſecundum cauſam naturalem, ſed alia cauſa; tunc non licet, vt puta ſi credat, aliquos dies eſſe fauſtos, alios verò infauſtos; Vel ſi colligantur herbæ in die Aſcenſionis, vel in nocte Natiuitatis Sancti Ioannnis Baptiſtæ, & cæt. quia hæc ſuperſtitionem implicant, & pactum illicitum cum Dæmone, vt habetur in *cap. Non obseruetis 26. q. 7.* & *cap. ſort. §. his itaque 26. q. 2.* & Diu. Paul. *ad Galath. 4.* ait. *Dies obſeruatis, & menſes, & annos, vnde timeo, ne fortè, ſine cauſa laborauerim in vobis. Vid. Thom. 2. 2. q. 95. ar. 1. Sayr. in Clau. Reg. lib. 4. c. 5. n. 2. & Sanch. in ſum. lib. 2. c. 38. n. 28.*

30 Quæritur quinto, An ex aſpectu Planetarum poſſint præcognoſci inclinationes hominum? Reſpondetur cum Suarez *tom. 1. de religion. lib. 2. de ſuperſt. c. 11. n. 8. Abb. in c. 2. n. 7. de ſortileg. Sanch. vbi ſup. D. Anton. 2. p. tit. 12. c. 10 §. 2.* & Aliis per ipſos allatis, quod poſſunt obſeruari, & præcognoſci, nec eſt prohibitum hæc obſeruare. Neque hæc cognitio comprehenditur in motu proprio *Sixti V. conſtit. 17. quæ incip. Cæli, & terræ creator*, quæ contra Aſtrologos iudiciarios edita fuit, nam ſecundum *Damaſcenum*, & *Diu. Anton.*; *vbi ſupra* Planetæ complexiones, & diſpoſitiones diuerſas conſtituunt; quia ſecundum qualitatem complexionum excitantur in potentiis ſenſitiuis, quæ ſunt affixæ organis corporum diuerſi motus paſſionum, & inclinationes ad diuerſa vitia; & hoc modo dici poteſt, quod ex conſtellationibus habet quis inclinationes ad diuerſa vitia. Attamen inclinationes prædictæ ſemper manent liberæ in ratione, & voluntate, ita vt poſſit quis ex ſe, vel conſentire, vel diſſentire peccato, alias peccaret ex neceſſitate conſtellationis, quod eſſet impium aſſerere, tolleret enim liberum arbitrium, quo Deus hominem dotauit, vt habetur. *Eccleſ. 15. Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui* Quod docuit etiam *Ptolom. in centiloquiò*, cum inquit *Sapiens dominabitur Aſtris.* Et *Geneſ. 4.* habetur de Cayn, qui fratri ſuo Abel inuidebat. *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et legitur de Platone, & Socrate quod inclinationes habuerũt ad quædam vitia, ſed virtute, & ſapientia ſe continuere; vnde *Diu. Aug. in lib. 5. de Ciuit. Dei. c. 7. & ſeqq.* ait: *Non vſquequaque abſurdè dici poteſt, ad differentias tantum*



Digitized by Google

*corporum afflatus quoſdam valere ſydereos ; non autem voluntates animi ſyderum poſitionibus ſubdi.* Et *Diu. Hieron.in lib. contra Iouinianum* ait : *Liberi arbitrii nos condidit Deus. Nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate, trahimur ; alioquin vbi neceſſitas eſt, nec damnatio eſt, nec corona. Quod habetur in can. ſi enim de pænit. diſt.* 2. Et *Diu. Ambroſ. in lib. de beata vita,* quod *eſt cap. Non eſt* 15. *q.* 1, *inquit. Non eſt, quod cuiquam noſtram aſcribamus ærumnam, niſi noſtræ voluntati ; Nemo noſtrum tenetur ad culpam, niſi voluntate propria ſe deflexerit.*

Quia ſi ex conſtellationibus homo cogeretur ad aliquod malũ, non poſſet illud euitare, & ſic iniuſta eſſent præcepta legis Dei, quia præciperent non fieri ea, quæ neceſſariò actura eſſent ; quod dici non poteſt cum Dominus dixerit: *Iugum enim meum ſuaue, eſt & onus meum leue. Matth.* 11. cum lex, quæ iniuſta eſt, non obliget ad peccatum. *vt in can. erit autem lex diſt.* 4. vnde ſi ex neceſſitate conſtellationum homo peccaret, nõ imputaretur ei ad peccatum & ſic non teneretur ad obſeruantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ; Quod eſt falſum; Vnde concludere neceſſe eſt, peccare ſua voluntate, non Aſtrorum neceſſitate.

Licet autem obſeruari, & coniecturari poſſint hominum inclinationes ex Aſtrorum aſpectibus: tamen *Caietan.* 2. 2. *q.* 95. *ar.* 8. *in fin.* & *Suarez. vbi ſup. num.* 9. aſſerunt hanc coniectationem eſſe nimis incertam, cum à multis alijs cauſis dependeant effectus iſti, à quibus impediri poſſunt; Ideo ab illa abſtinendum vt habetur *in cap. ſorſ. §. his itaque* 26. *quæſt.* 2.

Et hæc pro nunc ſatis.

TRA-

Digitized by Google

# TRACTATVS MISCELLANEVS QVARTVS DE ANIMA.

1 PRæſens tractatus, in quo de Anima agitur, occaſione eorum, quæ in primo libro Muſei diximus, quod ſcilicet Anima ſit à Deo muſicè creata, eſt curioſiſſimus, & præſtantior cæteris, quia Anima in Paradiſi gloria collocabitur, poſt corporis ſeperationem, ſi in gratia decedet; propter illam enim locus ille perfecta fælicitate plenus, deputatus eſt, vt teſtatur. *Gloſ. & Ioan. de Turrecrem. in c. temlus* 13. *q.* 3. quod probat Raymund. *Lull. in ſuo introductorio artis generalis in arbore Apoſtolicali*; tali medio; nam Deus creauit Mundum cum plenitudine bonitatis, propter hominem, ratione gloriæ, quam bonis tribuet: *Et Daaid Proph. innuit pſalm.* 44. *num.* 10. cum dixit. *Aſtitit Regina à Dextris tuis in veſtitu deaurato,* quem locum exponunt Sacri Doctores dicentes, Reginam, Animam debere intelligi *Diu. Anton. in præm.* 3. *p.* Eſt Anima omnium aliorum en-
2 tium creatorum nobiliſſima, quia ad ſimilitudinem Dei facta eſt; vt habetur in ſacra ſcriprura. *Geneſ. c.*1. *nu.* 26. *Faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram;& cap.* 5. *nu.* 1. ibi: *Indie qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, & c.*9. *nu.*6. ibi: *ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. cap. Hæc imago* 33. *q.* 5. *& cap. Illa anima de pænit. diſt.*2. *Diu. Antonin. in ſum. p.*1. *tit.*1. *c.* 1. §. 1. Ideo Magiſter ſententiarum in ſecundo aſſerit, quod Anima rationalis facta eſt, *vt Deum ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur.* Quare Animæ, quæ ex hoc Mundo in fide, ſpe, & charitate tranſibunt. in Beatitudinis gloriam, & æternæ fælicitatis locum ab Angelis cuſtodibus deducentur, vt
3 habetut *Luc.c.*16. quò adductæ tribus dotibus gaudebunt ipſis virtutibus correſpondentibus, viſione ſcilicet, dilectione, & fruitione, qui ſunt actus gloriæ, inquibus tota animarum fælicitas conſiſtit. In Deo ènim videbunt infinita arcana, quæ modo latent, vti Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis Verbi, prædeſtinationis,

Digitized by Google

ſenſitiua, vt quodammodo ſint omnia ſenſibilia, non autem omnia abſolutè, & per operationes ſentiendi operantur, vt recipiant eſſe omnium ſenſibilium, receptum quidem in organis corporeis, ſed non cum omnibus conditionibus materialibus. Eſſe tandem omninò immateriale, & ſpirituale, eſt per quod res non ſolum eſt id, quod eſt, ſed eſt etiam quodammodo alia, & operatur ad hunc finem, vt habeat eſſe etiam aliarum rerum, ſeparatum à materia, & à conditionibus materialibus, ac non receptum in organo materiali. Tale eſſe tribuit anima intellectiua homini. Quia homo ita eſt homo, vt omnia intelligens, ſit quodammodo cætera entia: intelligens, Leonem, ſit quodammodo Leo; intelligens equum, ſit equus, & ſic de reliquis; ac per operationes intellectiuas operatur ad hunc finem, vt fiat alia, & accipiat eſſe aliarum rerum. Veluti intelligendo Leonem, operatur, vt accipiat eſſe, ſeù ſpeciem Leonis, non quidem receptam in materia, vt *Idem Doct. ibid.* aſſerit, vel in organo materiali, ſed omninò ſeparatam à materia, & à conditionibus materialibus.

8 Gradus animatorum ſunt quatuor *ex Diu. Thom. vbi ſup.* quia corpora viuentium animata, habent vnam, vel plures ex quinque potentijs vitalibus mox explicandis. Primus, & infimus gradus eſt Plantarum, quæ habent potentiam vegetatiuam. Secundus eſt animalium imperfectorum, vt oſtrea, ſpongiæ, Hurticæ, & alia multa ſaxis, & ſcopulis defixa, quæ ab Aliquibus *Zoophita*, ſeu plantæ animalia appellantur, quæ vltra potentiam vegetatiuam, habent etiam ſenſitiuam, & appetitiuam, ſed non motiuam, ſecundum locum. Quædam tamen ex his connumerantur inter plantas ab Aliquibus. Tertius gradus eſt Brutorum perfectòrum, quæ habent etiam potentiam locomotiuam. Quartus, & vltimus gradus eſt in homine, qui habet ſimul omnia quinque genera potentiarum.

9 Genera potentiarum ſunt quinque vt ſupradictum eſt vniuerſaliter accipiendo; Vegetatiuum ſcilicet, ſenſitiuum, intellectiuum, appetitiuum, & loco motiuum, de quibus agunt latè *Doctores ſup. cit.* & nos breuiter quędam tantum prælibabimus. Sed ne confuſio cauſetur ex mixtis narrationibus, opus eſt adhibere diuiſionem. Cum igitur tres ſint modi, ſeu gradus viuendi, & eſſendi, quibus omnia viuẽtia animantur, & viuunt, vt dix. vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua: Ideo prius agemus de virtute, ſeu anima vegetatiua.

De

## *De Anima Vegetatiua.*

10 ANima Vegetatiua nihil aliud eſt, quam Vis quædam in viuentibus conuertens alimentum in ſubſtantiam aliti, vt ipſum in eſſe conſeruet, ad quantitatem debitam prouehat,& ſimile in ſpecie generare tribuat. In hac deſcriptione exprimuntur tres potentiæ Vegetatiuæ, quæ ſunt nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua, quæ inter ſe differunt; quia nutritiua habet tres actus, vti ſunt: apponere, vnire, & aſſimilare. Qui actus deinde quatuor alias habent potentias; Attractiuam nimirũ, Retentiuam, Digeſtiuam, & Expulſiuam, quorum officia ſunt humores diſgregare in animalibus poſtea,vt choleram,malenchoniam, phlegmam, & ſanguinem, qui per calidum, & ſiccum, frigidum, & humidum congregantur; & per ipſam vltimam tres digeſtiones fiunt, quarum poſtrema habet ſtatum, & diminutionem,

Augmentatiua potentia principalis habet etiam alias potentias minores, ac minus principales, Incorporatiuam ſcilicet,Aſſimilatiuam, & Vnitiuam.

Generatiua tandem potẽtia principalis habet quoque tres alios actus; ſeminatiuum, Immutatiuum, & Plaſmatiuum, ſeù Informatiuum; per quos ſingulæ partes ſuis figuris, & formis diſcriminantur in Animalibus, & in Plantis; nam per calidum,& ſiccum, ſicut fiunt compoſitiora, vt ſunt Cor in animalibus: ſic radices in plantis; per frigidum, & humidum fiunt exteriora, vt Pili in animalibus: ſic folia in plantis; per frigidum, & ſiccum fiunt ſolidiora, vt oſſa in animalibus: ſic cortices in plantis; per calidum, & humidum fiunt mollia,vt Caro, adeps,& medullæ in animalibus: ſic in plantis quædam ex ipſis,vt medullæ,quia,vt inquit *Diu.Aug. lib. 3. de trin. cap.* 8. omnes res corporales, & viſibiles ab elementis virtute Diuina latentia ſemina recipiunt. Ideo Planta Terræ infixa, tamquam matri, virtute cæleſtis caloris ſolis, tamquam Patris; attrahit humorem ſibi conuenientem, qui in ſubſtantiam ipſius conuertitur. Vnde in Plantis radices, in quibus nutrimentum accipiunt, ſunt loco oris in animalibus: Medullæ in Plantis ſtant loco Cordis, ſtomachi, & epatis in animalibus, in quibus acceptum nutrimentum digeritur, & poſtea per venulas ſubtiles ſingulis corporis partibus transmittitur;ſtipes in plantis ſtat loco cor-

N poris

poris animalium; cortex in illis pro cute in iſtis, folia, quæ fructus defendunt, & nodi plantarum ſtant, loco neruorum animalium membra colligantium. Sicque plantæ quatuor elemẽtis ſibi mix-
11 tis conſtant, vt animalia. *Diu. Ambroſ. in Hexamer. lib.* 1. *c.*6. Terreum namque, quod plus eſt, tranſit in ſubſtantiam ſtipitis, & durarum partium: Aquoſum humidum, quod parum eſt, tranſit in folia, & corticem: Aëreum ſubtile, quod eſt minus, tranſit in florem: quod verò eſt viſcoſum, conuertitur in fructus: Igneum autem quod eſt minimum, in ſementis virtutem deliteſcit. Vnde per Terram Planta cohæret: Per Aquam ſe diffundit: Per Aërem, & Ignem conſurgit. *Ant. Mar. libr.* 9. *cap.* 27. *&* 10. *tract.* 1. *cap. vlt.*

12 Hæc autem vis vegetatiua conuenit præcisè Plantis, herbis, & arboribus, quæ à Deo in principio creationis talem virtutem obtinuerunt, cum dixit. *Geneſ.* 1. *nu.* 11. *Germinet Terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum, iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Quod fæcunditatis beneficium etiam animalibus contulit *ex eod. cap.* 1. *Sacr. Geneſ. nu.* 22. *&* 28. cum dixit. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, vt Diu. Aug. ait lib. præf.* 3. *c.*8. *Omnium quippe rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quædã ſemina in iſtis corporeis Mundi huius elementis latent: Alia ſunt enim iam conſpicua oculis noſtris ex fruticibus, & animantibus: Alia vero illa occulta iſtorum ſeminum ſemina.* Hinc fit, quod quædam plantæ, & herbæ aliquando ſpontè naſcuntur in terra, ſine vllo ſemine, & quidem ſpeciei diuerſæ, quia fortaſſe inſunt ſemina occulta, vt notatur à *Theophraſt. lib.* 1. *de cauſ. plantar. c.*1. *&* 8. *& lib.*3. *c.*2.

13 *Planta* nomen eſt genericum, quod comprehendit Arbores, frutices, herbas, & olera. *Arbor* dicitur planta ramoſa, ſurculoſa, cum caudice ſimplici, quæ altius è terra ſurgit, vt malus, pyrus; ceraſus, & cæt. *Frutex* eſt planta ramoſa aſſurgens caudice multiplici à radice, quales arundo, hædera, & cæt. *Herba* eſt planta, quę foliata, ſine caudice quidem, ſed cum caule creſcit, ſemen caule ferens, aut Surculis, vt plantago, Vrtica, & cæt. *Olus* inter herbas quoque annumeratur, & eſt quod eſui quotidiano hominum deſeruit, vt braxica, lactuca, & cæt. *Theophraſt. lib.* 1. *de hiſtor. plantar. c.*5. *& Amat. Luſitan. in prim. librum Dioſcoridis in princ.* vbi aliter diuidit.

14 Sed quæret quis, an Plantæ ſentiant, moueantur, doleant, iã quod viuunt? Reſpondetur, eas non ſentire, nec animatas eſſe, eo quod

vi-

viuunt. *Theophr. vbi ſupra c.* 1. *& Galen. tom.* 1. *in fragm. de ſubſtantia naturalium facultatum.*

15 Dicet ſecundò, vtrum plantæ ſexum habeant ? Reſpondetur; quod licet dicatur de nonnullis eiuſdem ſpeciei, vt quædam ſint maſculæ, & quædam fæminæ, vt de Dactylo, & alijs; hoc tamen dicitur, propter quaſdam differentias, inter ipſas, quia aliæ ſunt denſiores, & durioris naturæ, & aliæ molles; vnde denſiores habent folia plus ſpiſſa, & aſperiora cæteris, & fructus citiùs etiam matureſcunt; quę verò molles, habent folia minora, & rariora, & fructus tardius fiunt, quod prouenire ſolet ex maiori copia humoris, vel virtute terræ, aut aeris, & ideo prius pullulat mas, quam fæmina; non quod realiter differentiam ſexus habeant, vt notat *Ariſt. in lib.* 1. *de plant. circ. fin. & lib.* 3. *de generat. animal. cap.* 11.

16 Dicet tertiò an omnes plantæ ſemen habeant, cum contrarium, videatur in aliquibus, vt eſt arundo, gramen, mentha, dictamum, & cætera? Reſpondetur quod licet ſemen quædam habere non videantur, vim tamen ſeminum in radicibus, & in ipſa propagine obtinent. *Diu. Baſil. lib. hexameron. homil.* 5. *& Ruell. lib.* 1. *de natur. ſtirp. c.* 11. vbi latè.

Ex hac virtute ſeminali fit, vt non omnes plantæ naſcantur ex ſemine, ſed quædam aliæ ex auulſione, & transplantatione; aliæ ex propagatione, vt tripliciter fit in vite. *Ruel. vbi ſupra cap.* 12. *& Columel. lib. de arbor. cap.* 7. vel ex inſitione, quæ quinque modis fit: ſub cortice: in trunco: emplaſtro: perforatione, cum rami immiſſione, & ſalicis poſitione, de quibus *Columel. vbi ſupra cap.* 36. *& lib.* 5. *de re ruſtic. c.* 10. *Theophr. ibid. c.* 6. *& Ruell. ibid. c.* 19.

Sed hæc de vegetatiua ſufficiant; nunc de ſenſitiua, in qua vegetatiua continetur intrinſecè, ſicut ambæ vegetatiua, & ſenſitiua in Intellectiua comprehenduntur, vt latius infra patebit.

## *De Anima Senſitiua.*

17 AD intelligentiam eorum, quæ de Anima ſenſitiua dicenda ſunt, ne confuſio, propter breuitatem, qua vtimur, generetur, neceſſe eſt præmittere in communi, quòd ex compoſitione animata procedunt duæ facultates vitales,



Digitized by Google

ſenſus, ſcilicet, & motus. *Senſus* eſt exterior: & interior ex *Ariſt. lib.2. de Anima cap.* 12. Prima facultas eſt potentia receptiua ſpecierum obiectarum, ſine materia, ideſt in intentione; & ſic definitur Senſus *à D. Damaſceno lib. 2. de Orthodoxa fide cap.* 18. quod ſit vis Animæ materialium rerum appræhenſiua; ideſt cognoſcitiua, *& Galen. in fin.med. ait,* quod eſt affectus Animæ per corpus, nuncius rei, quæ mouere idonea eſt. Hinc ſenſoria, ideſt organa ſenſuum oculus, auris, & cæt. quia recipiunt ſenſibilia, quæ omnia duplicem habent ſedem, dextram, & ſiniſtram, vt duæ ſunt partes animalium, dextra, & ſiniſtra. *Idem Ariſt. lib.2. de par. anim. cap.*10. *Galen. lib.*16. *de vſu part. c.*3. *Aut. verò Mar. Ph. lib.* 10. *tr.*2. *c.* 5. alio modo diſponit, quod tamen ad idem tendit, quod potentiæ (inquit) Animæ ſenſitiuæ ſunt, duplicis generis, appræhenſiuæ, ſcilicet, & motiuæ ſecundum locum. Appræhenſiua, eſt vis, per quam animal appræhendit obiectum per ſpeciem. Quæ duplex eſt: quædam enim in exterioribus corporis partibus ſituatur, & non appræhendit ſenſibile, niſi actu præſens, quæ exterior etiam appellatur. Alia verò in cerebro locatur, quæ etiam abſentia cognoſcit, & interior dicitur. Rurſus prima exterior diſtinguitur in quinque potentias particulares, quæ dicuntur ſenſus exteriores, vt ſunt, *Viſus, Auditus, Guſtus, Odoratus, & Tactus.* Qui ſunt eiuſdem eſſentiæ cum Anima, ſeddiuerſificantur organis, obiectis, medijs, & modo appræhendendi. De quibus omnibus breuiter (ſecundum morem) pauca examinanda venient: poſteà de ſenſibus interioribus, qui ſunt ſimiliter quinque, nimirum, *Senſus comunis, Imaginatiua, Aeſtimatiua, Phantaſia, & memoratiua.* Motus verò, quæ eſt ſecunda pars animalis, declarabitur infra, vbi de ſenſibus interiobus ſermo erit.

18 *Anima igitur ſenſitiua* eſt, illa, quæ foris, & intus rerum corporalium formas corporeas præſentium, & abſentium percipit, *vt ex Ariſt. in lib. de Anima* colligitur. In qua deſcriptione obiectum, & potentiæ ipſius compræhenduntur, nam obiectum res eſt corporalis per ſpeciem ſenſibilem: Senſibile verò dicitur, quod natum eſt ſenſu percipi, quod eſt duplex, perſe, ſeù proprium, & per accidens. Proprium ſentitur, quod per propriam ſpeciem, ſenſum immutat, vt color viſum, ſonus auditum, & cæt. per accidens ſenſibile, eſt, quod non ſentitur per propriam, ſed per alienam ſpeciem, vt campana per ſpeciem ſoni auditur, & lapis in ſpecie coloris oculo cernitur, de quibus latè *Idem Auct. Mar. loc. cit.* Senſatio autem cauſatur ab obiecto, & à ſenſu. partialiter, non totaliter



Digitized by Google

ter; nam à viſibili, & vidente gignitur viſio effectiuè, vt *Diu. Aug. ait lib.* 11. *de Trinit. cap.* 2. inſtrumentaliter enim videmus oculo, & formaliter viſione, & ſic eſt in alijs ſenſibus, in quibus reſidet potētia actiua, & paſſiua: actiua, quia cū obiecto ſenſationē efficit: & paſſiua, quia in potentia eſt ad actum primum, qui eſt, eſſe, & in eum à generante reducitur; vel quia in actu primo eſt, & in potentia ad actum ſecundum, quia eſt ſentire, in quem per obiectum reducitur, vt docet. *Ariſt. in* 2. *de Anim.* Sentire namque dicitur, quia ſenſationem recipit. Licet autem differant nomine, ſunt tamen idem actiuus, & paſſiuus ſenſus.

19 Notandum verò, quod ſpecies ſenſibilis eſt Imago, ſeù Idolum eius, quod ſentitur, non quia in ipſam ſenſus, vt in obiectum tēndat, ſed quia eſt id, per quod ſenſus formaliter in obiectum tendit, cuius ipſa eſt propria Imago, ſiuè ſimilitudo. Vndè ſenſibile, quod propter ſui materialitatem, in ſenſu per eſſentiam recipi non poteſt, ſui imaginem à ſenſu receptibilem producit, per quam diſcerni poſſit. Ad ſenſationem itaque neceſſarium eſt medium, vt per ipſum ſpecies multiplicetur; nam cum ſpecies ſenſibilis, accidens ſit, non poteſt naturaliter ſtare ſinè ſubiecto, & debita diſtantia, inter obiectum, & ſenſum, per quam diſtantiam poſſit virtus obiecti multiplicare ſpeciem; quæ multiplicatio ſit in inſtanti, ſecundum. *Ariſt. in* 2. *de Anim. contra Empedoclem. Auct. ſup. cit. lib.* 10. *tr.* 2. *c.* 2.

## *De Senſibus Exterioribus.*

20 DIximus ſupra quinque eſſe ſenſus exteriores, & de ſingulis pauca velle prælibare, primus igitur qui ſe offert, eſt *Viſus*, qui eſt potentia Animæ ſenſitiuæ appræhenſiua viſibilis in oculo mediante diaphano *ex Ariſt.* 1. *Meth. à tex.* 66. *& ſeq. & in lib.* 2. *de ſenſu, & ſenſato, & Auicen. in* 6. *natural.* in qua definitione habetur obiectum Viſus, quod eſt viſibile: organum, quod eſt oculus: & medium, quod eſt Diaphanum. Viſibile diuiditur in lucem, in lumen, & in colorem. *Lux* eſt qualitas in corpore lucido, nata moueri ad motum eius, in quo eſt, in ſuo eſſe, non dependens ab aliquo extrinſeco. *Lumen* eſt lucis Imago, & primaria eius deriuatio. *Diaphanum* eſt corpus tranſparens, & perſpicuum, quod ſi interponatur, inter potentiam viſiuam, & obiectum viſibile, non terminat viſum, neque impedit



Digitized by Google

viſionem viſibilis, ſed per illud viſibile videtur, vt eſt aër, vitrum beryllus, & cæt. huiuſmodi. Huic contrarium eſt *opacum*. quod, terminat viſum, & ſi interponatur inter potentiam viſiuã, & obiectũ viſibile, impedit, nè videatur tale obiectũ, vt ferrũ, lignum & cæt. Diaphana verò, & opaca, ex luce, quæ perſpicua eſt, redduntur colorata. *Color* autem eſt qualitas in extremitate corporis opaci, quæ perſpicuum tangit. Quomodo tandem diuerſimodè cauſetur color, conſule DD. prædictos, *& Auth. Mar. cap.* 8. vbi habes ex Ariſt. & aliis, quod ſeptem ſunt colorum ſpecies principales; *Color ſc. albus, Flauus, Croceus, Rubeus, Purpureus, Viridis, & Niger*, ad quos cæteri reducuntur, ſecundũ naturæ participationem.

*Auditus* eſt potentia ſenſitiuæ apprehenſiua ſoni in aure mediante aëre, vel aqua. In hac quoque deſcriptione eſt obiectum, 21
quod eſt ſonus; organum, quod eſt duplex auris, & medium auditus, quod eſt aër in omnibus animalibus, vel aqua in Piſcibus *Ariſt. lib. 2. de gener. anim. c* 4. *& lib. de animal.* 2. *c.* 8. *Diu. Damaſcen. lib.* 2. *orthodox. fid. c.* 18. *Galen. lib.* 8. *de vſu part. &* 11. *c.* 12. *& lib.* 7. *de decr.* penes quos habes quomodo fiat sẽſatio auditus, quã nos deſcribere conſultò omittimus, ad euitandam prolixitatem, ſufficit tamen dicere, quod fiat per perceptionem ſoni in auribus, per ſpiritum infuſum. *Sonus* autem eſt ſpiritus ab ore animalis exiens, mediantibus inſtrumentis, aërem percutiens, de quo *lib.* 1. *ſup. p.* 1. *c.* 2. quem omnia entia habent, vel actu, vel potentia, præter lanam, ſpongiam, & ſimilia *Ariſt. lib.* 2. *de anim. c.* 8. Ad ſonum edendum duo corpora requiruntur, ideſt & quod impellat aërem, & aër impulſus, ſolum ſonum non facit, nam redditur ſonus ob aërem reſiſtentem, & percuſſum, qui reſilit, & cedit corpori, & ſi citius impellatur, acutiùs ſonat; quia citò nequit aër cedere, ſed propellitur. Hinc eſt, quod aliquando fiat *Echo* in auribus noſtris, qui eſt ſonus quidam, qui in occurſu obſtaculi reflectitur, & ad locum, vndè profectus fuerat, quaſi ad centrum in ſpherulæ modum reuertitur; quæ reflexio; ſi ſit fortis, ad aures perueniens auditur, modo tamen debiliore, quia virtutes reflexæ ſemper ſunt debiliores directis. Nam Aer cum impellitur contra locum concauum vel præruptum, qui illum diſſolui prohibuit, reſultat, & alio retorquetur, & refrangitur, *vt ait Ariſtot.* 2. *de animal. c.* 8. *Plin. lib.* 2. *c.* 46. *Columell. lib.* 8. *de re ruſtic. Themiſt. lib.* 2. *de anim. c,* 27. De fabula Echo tradit *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. c.* 22. *& Ouid.* 3. *methamor.* Inter Stoicos; & Peripateticos Philoſop. controuertitur, an Echo ſit corporea vox, vel figura aëri inhęrens, de quo *vide Plutarch.*

Digitized by Google

*tarch. lib. 4. de placit. philoſ. c. 20. & Gell. lib. 5. nott. atticar. c. 15.* Hinc *Lucret. lib. 4. de reb. natur.* ait, quod Spiritus voce emiſſus ſit corporeus, vt quidam ex ſtoicis tenent, & aliquando in aquam reſoluitur, vt videtur in ſpeculo, in quo vox recipitur, & aliquando in hyeme condenſatur; cui adſtipulatur *Balthaſar in lib. 2. qui inſcribitur del Corteggiano*, qui narrat, quoſdem mercatores tempore hyemis in finibus Moſcouiæ, & Sarmatarum ſeù Poloniæ in vtraque parte fluminis Boriſthenis conueniſſe, ibique inuicem collocutos fuiſſe, neque mutuò ſe intellexiſſe, quia ob frigoris rigorem verba congelata fuiſſent, vndè ad aliam partem fluminis pertranſire non potuerant: poſtea verò cum glacies ſolueretur, verborum ſonitum omnes audierunt, ex quo liberè ad aliam partem progreſſus fuit. Quę narratio, an vera ſit, ipſe videat.

22 *Guſtus* eſt potentia ſenſitiuæ apprehenſiua ſaporis in lingua, vel palato, medio humido Saliuali *Ariſtot. lib. 3. Ethic. cap.* 10. in qua deſcriptione ſimiliter inuenitur obiectum, quod eſt ſapor *ex eod 2. de Anim. c.* 10: organum, quod eſt lingua, in qua eſt quidam neruus deſcendens à cerebro in lingua ramificatus, & per eam expanſus, ad inſtar retiſ. *Diu. Damaſcenus lib. 2. de orthodox. fid c.* 18. & medium, quod eſt humidum ſaliuale, quo caro linguæ poroſa delibatur.

*Sapor* verò eſt paſſio, ſeù qualitas humidi digeſti in ſicco terreſtri, alteratiua guſtus de potentia in actum. Sicque ſapor generatur ex digeſtione humidi in ſicco, ex calore Solis, vel ignis; ideò fructus immaturi, & acerbi dulciores fiunt, ſi coquantur igne, Vndè ex abundanti concurſu humidi in ſicco, cum calore, diuerſi ſapores generantur, quorum principaliores ſunt duodecim: nimirum, *inſipidus, ſalſus, dulcis, amarus, acutus, acetoſus, ponticus, ſtipticus, vnctuoſus, inſuauis, aſper, & durus.* Alii verò ad iſtos reduducuntur. Sapores habent quamdam connexionem, ita vt ſeparatim difficile inueniantur. DD cit.

23 *Odoratus*, ſeù olfactus, eſt potentia ſenſitiuæ appræhenſiua odoris per nares, mediante aëre, vel aqua. In qua deſcriptione inuenitur quoque obiectum, quod eſt odor: organum, quod eſt naſus, in quo eſt vehiculum ad cerebrum: & medium, quod eſt aër, & aqua. *Ariſt. de ſen. & ſenſib. & 2. de Anim. c. 9. Odor* verò eſt paſſio ſicci digeſti in humido, alteratiua olfactus de potentia in actum: Vndè cum ſiccitas coniuncta terreſtreitati, ui caloris in humido digeritur, generatur qualitas iſta, quæ odor dicitur, vt in pomis patet, in quibus ſiccitas terreſtris in humido, calore

So-

Digitized by Google

Solis digeritur, & tunc fiunt odorifera. Quia verò ſiccitas in humiditate, & calor ignis agens, quæ ſunt principia odorum, in harmonia, & proportione variantur, & non ſemper eodem motu concurrunt; ideò naſcuntur diuerſæ ſpecies odorum, quæ ſunt etiam duodecim, videlicet: *Odor aromaticus, fœticus, acutus, ſalſus. inſipidus. acetoſus, ſtipticus, ponticus, vnctuoſus, dulcis, amarus & medius*. Ad quos reducuntur alii; ſi inueniantur; & ſunt tot, quot ſapores *Ariſt. vbi ſupra*. Tria elementa, vt aqua, aër, & ignis, ſunt ſine odore, impreſſiones tamen odorum recipiunt *Plinius lib.* 15. *c.*27. odor non nutrit, niſi *Plinio* credere velimus, *qui lib.* 7. *nat. hiſt.* ait quod in India adſunt quidam populi *Aſtomi* dicti, ſine ore, halitu tantũ viuentes, quem naribus trahunt ex quibuſdam pomis, floribus, & herbarum radicibus, qui ſi deficiunt, moriuntur, ideo ſemper ſecum deferunt. Quod refert *Text etiam in ſua Offic. tit. Populor' diuerſi mores, & rit.*

24 *Tactus*, tandem vltimus ex ſenſibus exterioribus, eſt potentia Animæ ſenſitiuæ, appræhenſiua qualitatis tangibilis, in neruo expanſo per totum corpus, mediante carne, ad inſtar retis, In hac etiam deſcriptione, habetur obiectum, quod eſt qualitas tangibilis, quæ duplex eſt; aliæ enim dicuntur qualitates primæ, vti *frigidum, humidum, calidum, & ſiccum*; aliæ verò dicuntur qualitates ſecundæ, vti *aſperum, leue, lubricum, molle, durum, glabrum, graue, lene, denſum, rarum*; inuenitur organum, quod eſt neruus quidam, ſeù pellicula neruoſa intexta, & diſperſa, ſicut rete quoddam ſub extrema cute per totum corpus, ex cerebro, tanquam à radice orta; & medium tactus, quod eſt caro, vel cutis neruum prædictum cooperiens: *Hæc ex Ariſt. lib.* 2. *de Anim. c.* 11. *Galen. lib.* 3. *de vſu pulſuum, & lib.* 1. *de natur facult. c.* 6. *Aut. Mar. lib.* 10. *tr.* 2. *c.* 20. *& Aliis*. Omnia animalia habent iſtum ſenſum tactus, & guſtus, quia ſunt neceſſarii ad conſeruationem, niſi ſint imperfecta *Ariſt. lib.* 3. *de Anim. c.* 13. *& lib. de ſomn. & vigil.* Nam in tactu fiunt omnes voluptates in animalibus, etiam uenerea; maior vis tactus in manibus hominis experitur, quia ſunt inſtrumenta actionum. *DD. ſupra cit.*

Supradicti ſenſus exteriores habent quædam omnibus communia, vti origo ex cerebro, ex quo ſenſoria, quæ referunt ſenſum ad cerebrum. *Galen. lib.* 1. *de ſymptom. cauſ. c.* 8. *& Cic.* 2. *de nat. Deor*; *Ab Ariſt.* verò ſenſus ad cor referantur *lib. de iuuent. & ſenect.* licèt autem cerebrum ſenſu careat, tamen ſenſus gubernat, eoq; laborante, laborant, vt docet *Macrob. lib.* 7. *Saturnal. cap.* 7. ſic

etiam

Digitized by Google

etiam eſt commune omnibus, percipere res ſenſibiles, ſine materia, deindè ſenſibile pati à ſuo obiecto. *Ariſt. 2. de anim. c.* 12. ſimiliter eſt commune in homine tantum, vt omnis ſenſus à mente oriatur, tanquam à fonte, *Cic. 4. Academic.*

Quomodo tandem ſenſationes in vnoquoque ex ſenſibus cauſentur, videndi ſunt *DD. præcit.* in genere tamen ſufficit dicere, qnod ſenſibilia per ſpecies, & idola propria ſentiuntur, nam hæc à ſenſibus exterioribus recepta, per neruos organorum ad cerebrum vſque conſcendunt, vbi cum ſenſibus interioribus, etiam remotis ſenſibilibus, ſenſationes cauſant, *DD. cit.*

## *De ſenſibus interioribus.*

25 EXplicatis omnibus; quæ neceſſaria duxi pro completa notitia præſentis materiæ de Anima, ſuccedit ſecundum propoſitum ordinem, breuiter videre de ſenſibus interioribus, qui ſecundum commmunem ſententiam Philoſophorum, ſunt quinque, nimirum, *Senſus communis*; *Imaginatiua*, *Aeſtimatiua*, *Phantaſia*, (quæ etiam Imaginatiua ſolet appellari ab his, qùi quatuor eſſe dicunt) *& Memoratiua*? vnt ait *Aut. Mar. vbi ſupra lib.* 10. *tr.* 2. *c.* 21. *Sed Ariſt. in* 2. *de Anim. & Plat. in timæo*, duos tantum eſſe aſſerunt, ſcilicet ſenſum communem, quem Phantaſiam dicunt, & Memoriam. Alij addentes Aeſtimatiuam, dicunt eſſe tres. *Pet. Greg. in ſynctax. art. mirab. lib.* 1. *c* 2. ſeptem eſſe aſſerit, prout ſunt Senſus cõmunis, Phantaſia, Aeſtimatio, Cogitatio, Ratio; Intellectus, & Memoria. Nos autem ſequentes magis communem, aſſerentium eſſe quinque, illorum ſententiam ſequimur.

Potentia igitur ſenſitina interior, eſt, per quam ſenbilia ſpiritualiter in eorum abſentiam appræhunduntur. Organa autem prædictorum ſenſuum in cerebri ſubſtantia ſubtiliſſimis ſecernuntur pelliculis, quæ primum totum cerebrum, tribus diſtinguunt ventriculis, quorum anterior, & medius, qui ſunt maiores, rurſus bipartiuntur: Prima portio ventriculi anterioris organum eſt ſenſus communis, quia plus hàbet humiditatis, vt facilius poſſit ſpecies concipere: Secunda, organum eſt imaginatiuæ. *Auicen. lib.* 6. *natur. c. de ſenſibus inter.* Prima verò pars ventriculi medii attribuitur Eſtimatiuæ; ſecunda Phantaſiæ, Poſterior verò ventriculus, totùs memoratiuæ depùtatur, ſecundum *DD. præcit.* & hæc in communi, nunc verò in particulari.



Digitized by Google

26 Dico ergo, quod *ſenſus communis*, eſt potentia ſenſitiua, appręhendens obiecta omnium ſenſuum particularium; ideò communis dicitur, cuius tres ſunt operationes. Primò Imagines præſentes, & abſentes exteriores compræhendit, cognoſcit enim ſenſationes, & ſenſibilia omnium ſenſuum exteriorum, etiam abſque obiectis. Secundò diiudicat obiecta, diſcernendo differentias, & conuenientias inter ipſa, & ſenſum. Tertiò diſcernit ſenſuum abſentias, & obiectorum priuationes, facta etenim ſenſatione, ſpecies transmittit Imaginatiuæ per neruorum meatus.

27 *Imaginatiua*, eſt potentia illa interior, ex cuius organi centro protenduntur nerui ad organa exteriorum, per quos neruos recipit ſpecies omnium viſibilium. Species autem rerum, vocantur imagines ipſarum; nam eſt potentia reſeruatiua ſpecierum à ſenſu communi receptarum, & in medio cerebri à parte anteriori ponitur. Vocatur aliquando cogitatiua, aliquando verò formatiua ſecundum operationes diuerſas.

28 *Aeſtimatiua*, potentia interior, eſt vis ordinata in ſummo concauitatis mediæ cerebri, appræhendens intentiones ſenſibilium, non ſenſatas, vt putà, cum lepus canem fugit naturali inſtinctu. Intentiones autem ſunt ſpecies ſenſationum, ideò ſimpliciores ſpeciebus ſenſibilium ſunt, & imperceptibiles à ſenſibus exterioribus, propter organorum imperfectionem. In homine autem ratione decorato, iſta potentia, dicitur cogitatiua, non æſtimatiua, vt in cæteris animalibus. *Auincen. & alij ſupra.*

29 *Phantaſia*, eſt potentia in ſecunda parte mediæ cellulæ cerebri, tamquam centrum inter Imaginatiuam, & Memoraliuam poſita; & ſe conuertit ſupra imagines reſeruatas in vtraque earum, componens, & diuidens eas à ſenſu communi perceptas, formando monſtra & chimeras, dum ad ipſam deſcendunt. Quod eſt commune hominibus, & Brutis, vt ait *Diu. Io: Damaſcen. lib. 2. de orthodox. fid. cap.* 17. vbi etiam explicat quid ſit Phantaſma, & Phantaſton. Et enim *Phantaſma* affectio vana in partibus irrationalis animæ, à nullo viſibili, imaginabili, vel phantaſto tracta; *Phantaſton* verò eſt, quod Phantaſiæ obiicitur, cum hac tamen differentiâ, quod homines per rationem fingunt ſibi monſtra, quæ nunquam viderunt, & hoc ex compoſitione ſpecierum intẽtionum diuerſarum. Bruta verò naturæ inſtinctu habent operationes Phantaſiæ, ſemper eadem. *Ant. Mar. ibib. cap.* 23.

30 *Memoratiua* (quæ & memoria diditur,) eſt potentia reſeruatiua ſpecierum, ſiue intentionum, non ſolum à ſenſu communi recepta-

ptarum, verum etiam ab aliis ſupradictis potentiis; vndè memoratiua ſe habet ad æſtimatiuam, ſicut imaginatiua ad ſenſum communem. Cùm autem ſpecies retinet, dicitur *Memoria*; ſi deperdit, & poſteà recordatur, dicitur *Reminiſcentia*, quæ *ab Ariſt.* definitur, quod ſit reſumptio memoriæ alicuius, non totaliter obliti, quas ſpecies memoria, aliquando in totum deperdit, ita vt amplius de illis recordari non poſſit, vt inquit *Diu. Aug. lib.* 14. *de trinit. c.* 12. Organum memòriæ, eſt, parua pars cerebri, vermiculo ſimilis, per quam ingrediuntur, & exeunt ſpiritus, in quibus deferuntur ſpecies; quæ aperitur, vel clauditur, ſecundum neceſſitatem, vt ingrediantur, vel exeant ſpiritus prædicti. Hinc eſt, quod qui aliquando non recordantur alicuius rei, ad hoc, vt reminiſcantur, inclinant, vel eleuant caput. *Aut. Mar. ibid. c.* 29. *Auicen. vbi ſupra. & Cal. Rodig. lib.* 6. *antiq. lect. c.* 15. *& c.* 21. Memoria non eſt omnibus æqualis, ex diuerſitate qualitatum frigidi, & humidi, calidi, & ſicci; vndè calidi, & humidi, facilè recipiunt, ſed difficilè retinent; ſicci verò, & frigidi, difficilè recipiunt, ſed firmiùs retinent; quod videtur in iuuenibus, & ſenibus, qui ſunt malæ memoriæ, propter nimium motum augmenti, & decrementi in illis, quia memoria requirit animum quietum *DD. ſupra cit.*

Qui malam habent memoriam, poſſunt illam acquirere aliquantulum, & iuuari quinque modis. Primò, vt fiat diuiſio materię, quam quis recitare voluerit in partes; Secundò, vt ad diuiſionem factam, ordinatè procedat; Tertiò, vt adhibeat intentionem, & affectum ad ea, quæ vult recordari, & animum ad alia non diuertat; Quartò, vt ſæpè legat, quæ voluerit memoriæ imprimere. Vltimò vt faciat in mente, vel charta aliquas ſimilitudines conuenientes materiæ, de qua recordari voluerit, quæ omnia affert *Alberic. Roſat. in ſuo Dictionario in verbo memoria, & Aucth. Marg. Phil. lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 23. ait, quod memorari volens, neceſſè eſt habere locos, Imagines, ordinem, diſpoſitionem, & collocationē rerum, de quibus recordari deſiderat; quæ per litteras alphebeti notari poſſunt, & memoriæ imprimi, primò per litteras ſecundū ordinem, & poſteà per vocales, vt Abbas, Barbara, Cardinalis, & cæt. deindè Aper, Beniamin, Cæſar, & cæt. *de quibus vide ibi.*

Explicata vſque modo natura potentiæ appræhenſiuæ ſenſitiuæ, reſtat videre de alia parte facultatis animalis, quæ in motu conſiſtit, vt præmiſi ſupra vbi de potentiis animæ ſenſitiuæ in communi ſermo fuit.



Digitized by Google

31 *Motus* igitur dicitur actus ipſius mobilis, ratione cuius mobile eſt, vt *Ariſt. ait* 8. *phyſic. c.*1. cuius ſpecies ſunt duæ: externa, quæ eſt motus ex loco, ideſt vis progrediendi ab vno in alium locum, totiusque corporis membra mouendi; alia eſt interna, quæ eſt motus in ſpiritu, & pulſu, quæ eſt facultas vocis edendæ, & reſpirandi. *Nemeſ. lib. de natur. homin. cap.* 16. Hinc vis motiua, eſt quædam ſubſtantia à corde originata accipiens formam in membris diuerſis ad diſtincta opera; ad operationem enim nutrimenti, in epate; vitæ, in corde: ſenſus, & motus in cerebro formam accipit.

Potentia rurſus motiua interior, diuiditur in appetitiuam, & proſequutiuam: *Appetitiua,* eſt potentia, qua animal inclinatur ad perquirendum, vel fugiendum id, quod cognoſcit; quæ ſenſualitas, ſiuè appetitus animalis dicitur; quæ iterum ſubdiuiditur in Concupiſcibili, & Iraſcibili, qui alias dicuntur *pars inferior*, & rationi parere debent, quæ *pars Superior* dicitur. *Concupiſcibilis*, eſt potentia, quæ tendit in bonum, verum, vel apparens, maximè delectabile, cuius concupiſcibilis; ſeù cupiditatis inſtrumentum eſt Iecur. *Iraſcibilis*, eſt, quæ contra malum inſurgit, cuius inſtrumentum eſt Cor. Alij dicunt fel, ex illis verſibus Gloſ.

*Cor ſapit, at Pulmo loquitur, Fel commouet Iram*
*Splen ridere facit, cogit amare Iecur.*

Ex vtraque prodeunt quædam animi affectiones principales, ideſt in concupiſcibili, & in Iraſcibili. In cōcupiſcibili ſunt: Amor, odium, deſiderium, fuga deſiderij, delectatio, & triſtitia, ſecundum. *Diu. Thom.* 1.2. *p. q.* 23. *ar.*4. Eſt autem proſequutio, & fuga in appetitu, idem, quod affirmatio, & negatio in mente. *Ariſt.* 6. *in Ethicor. cap.* 2. Ex quibus poſtea affectionibus ſupranumeratis oriuntur cæteræ minus principales, ſecundum quid, vt complacentia, diſplicentia, rancor, Dolor, faſtidium, Inuidia, accidia, gaudium, lætitia & cæt. de quibus. *Diu. Anton. in* 1. *p. titul.*5. *cap.*2. *per tot & Auct. Mar. lib* 12. *c.*4. In Iraſcibili verò ſunt ſpes, deſperatio, Superbia, audacia, Ira, contemptus, impatientia, timor, magnanimitas, dominatio, ſubiectio, humilitas, pænitentia, ſegnities, verecundia, ſtupor, admiratio, Agonia, paupertas ſpiritus, erubeſcentia, *de quibus DD. cit. & Sanct. Aug. lib.* 14. *de Ciuit. c.* 5. ait, quaſdam ex ipſis eſſe communes hominibus, & Brutis; *vbi cap* 3. docet non omnia vitia animæ, ex carnis corruptæ ſocietate prouenire; Sed aliunde aliquando; organa autem concupiſcibilis, & iraſcibilis ſunt circa Cor, ſecundum quoſdam; Alij dicunt, quod

Digitized by Google

quod ſint ipſummet cor,mouentur ea ratione,quia cor in eorum actibus, & dilatatur, & conſtringitur, & ſanguis ab exterioribus confugit ad cor; vndè timidi pallent: Vel à corde àd exteriora diffunditur, vndè irati excandeſcunt. *Macrob. lib. 7. Saturnal. c.* 11. Motiua tandem proſequutiua, ſeù progreſſiua eſt facultas, quæ proſequitur, quod appetitur; & fugitur, quod deſpicitur; quia omne animal perfectum, quod per appræhenſiuam agnoſcit; per appetitiuam, vt conueniens appetit; aut vt contrarium reſpuit; & per progreſſiuam proſequitur, quod appetebat, & fugit, quod reſpuebat. *Aut. Mar. vbi ſupra c.* 30.

Rurſus motiua potentia diuiditur innaturalem, vitalem,& animalem. *Naturalis motus* operatur in Epate;ſanguinem ex nutrimēto, & per venas ad membra diſtribuit, vt nutriantur. Vitalis operatur in Corde, cuius feruorem motibus dilationis,& conſtrictionis per aeris inſpirationem, & expirationem temperat; quæ potentia ſolùm neceſſaria eſt animatis pulmonem habentibus, quia pulmo, qui eſt caro ſpongioſa, vt follis aera recipiens, ipſum cordi miniſtrat per arterias cordi proximas. Plantæ verò ipſa non indigent, cum vis naturalis omnes motus ipſis cauſet, & operetur, & ſimiliter animalibus imperfectis, vt ſunt conchæ, & oſtreæ, ſed imperfectiori modo. Animalis tandem potentia motiua, eſt in cerebro, à quo influit vigorem ſenſibus, & motum reliquis membris per neruos inde exeuntes. *Nerui* ſunt duplices, ſenſitiui, qui oriuntur à parte anteriori cerebri; & motiui, qui à poſteriori. Intrinſecùs autem ſpiritus vitalis neruos impellit,iſti poſtea mouent muſchulos, & chordas, & ſic cordæ mouent membra. *Spiritus vitalis*,eſt corporeus fumus valdè ſubtilis ex cordè ortus ab humore, & vapore ſubtili. *Muſculus*, eſt caro compoſità, & mixta neruo, chorda, & carne pura.

*Chordæ* ſunt nerui duriores, quaſi oſſei à collo, vſque ad calcaneum extenſi per membra. *Arteriæ* ſunt,venę pulſantes cordi proximæ. *Pulſus*, eſt motus in quibuſdam venis, de quibus latè. *Galen. in lib. de vſu pulſuum, & de pulſibus. Ariſt. in lib. de ſpiritu. Nemeſ. lib. de natura homin. & Alij ſupra cit.* Ex quibus operationibus intrinſecis poſteà, oritur motus extrinſecus de loco ad locum,& iſta facultas motiua diuerſa ſortitur nomina, pro diuerſitate operationis,nàm quæ per dilatationē, aut conſtrictionem, vt inuermibus, cōchis,oſtreis & cęt.dicitur *cōtractiua*: Quę mouet de loco ad locū, dicitur *progreſſiua*. In hominibus, & alijs animalibus perfectis, pedibus gradientibus, dicitur *greſſibilis* In auibus, quæ alis feruntùr, dici-

Digitized by Google

dicitur *volatilis.* In ſerpentibus, & reptilibus, *reptilis*; Quæ in manibus, vel roſtris auium, aut aliis membris ad aliquod opus operatur, dicitur *operatiua*; quæ tandem pulmonem, & vocalem arteriam mouet, cum lingua. dicitur *vocatiua*, quæ, & affectionum indicatiua.

Hæc igitur ſubſtantia motiua, ſeu ſpiritus, animatur anima ſenſitiua in animalibus, iuncta corpori cum ſanguine, quia Spiritus in ſicco habitare non poteſt, vt colligitur *ex tex: c. Moyſes 32. q.2. qui eſt Diui Aug. lib. quæſtionum veteris, & noui teſtam.* corporis tandem eſt motiua organica, ſpiritus, non organica; quia non mouet partem poſt partem, ſed totum ſimul, & eſt eiuſdem eſſentiæ cum intellectu, qua potentia motiua non organica; propter ſubtilitatem, & agilitatem ſpiritus, mouebuntur corpora glorioſa vt aſſerit. *Subtiliſſimus Doctor Scotus, & Alij in lib. 4. ſentent.*

32 Sed quæritur, an anima ſenſitiua Brutorum continuè creetur à Deo ex nihilo? Reſpondetur cum *Diu. Auguſt. libr. 3. de trin. cap.* 8. & 9. quod non creatur de nihilo à Deo in dies, ſed fit à Natura ex vi ſeminali à Deo naturæ Authore ipſi indita; ex iuſſu quod à principio creationis Deus fecit, quando dixit, *Geneſ. 1. nu 20, Producant Aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Et rurſus: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas* Deinde: *Creſcite, & multiplicamini & replete Terram, & cæt.* Quod confirmat. *Idem Aug. lib. de eccleſ. dogm.* cum ait: *Animalium verò animæ, cum carne ipſa, carnis viuacitate naſcuntur, & cum carnis morte finiuntur.* Quod ſecus eſt de anima rationali hominis, quæ immortalis eſt, vt *Idem Aug. docet vbi ſupra c.*15. & 16. Et ideo ad omnia naturæ incitamenta ducuntur Bruta, cum ratione non regantur, cui ſubeſſe debet portio inferior ſenſus.

Tandem nota, quod ſicut vegetatiua eſt in ſenſitiua: ſic ſenſitiua, & vegetatiua, eſt in Intellectiua, vt latiùs infrà patebit.

## *De Anima Intellectiua.*

33 EXaminauimus ſupra, quam breuius potuimus, potentias & quidditates Animarum vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; nunc percurrere neceſſe eſt quædam de Anima Intellectiua hominis, rationalis enim intellectiua habet, & complicat

in

in ſe omnes perfectiones, & proprietates prædictarum, vegetatiuæ, ſcilicet animæ, & ſenſitiuæ. Quia vegetatiua viuificando vegetat Plantas: Senſitiua verò viuificando, & vegetat, & ſentire dat animalibus, cui vt plurimum, ſecundum locum mouere cõiungitur; ſed intellectiua, cum inſe omnes iſtarum viuendi gradus contineat, atque vitales operationes comprehendat, eſt omnibus perfectior: nam ipſa corpus, quod informat, viuificando vegetat, ſenſibile reddit, localiter mouet, & intelligere facit, vt colligitur *ex Diu. Aug. lib.* 10. *de Trinit. c.* 7. *& abundantius c.* 10. Vevegetatiua igitur, & ſenſitiua continentur in Intellectiua, ſicut Trigonus in Tetragono, qui certè differunt inter ſe; Trigonus enim inferior eſt Tetragono, & in eo comprehenditur, tamquam contentum in continente, quia ſicut *Trigonus,* ( qui eſt inſtrumentùm trium laterum, & *Tetragonum,* quatuor, *vt Cenſo rin. ait in opuſc. de die nat. tit. de fig.* ) eſt conſtitutiuus Tetragoni. ſic à pari Vegetatiua, Senſitiua, & ſecundum locum motiua, Trigoni figuram faciunt, quam Animam Brutorum dicimus, & ſub ſentiuæ ſpecie conſiſtunt, quibus, ſi Intellectus addatur, fit Tetragonus, in quo Trigonus continetur, & ipſius forma ſubſiſtit, non Trigoni, quæ humana Anima, ſiuè Intellectus, vel Mens appellâtur; vt colligitur communiter *per DD. cit. & Aut. Mar. lib.* 11. *cap.* 15. quod *& Ariſt. innuit in* 2. *de Anima tex.* 31. per illa verba: *Semper in eo, quod eſt conſequenter, eſt potentia, quod eſt prius, & infiguris, & in Animatis; vt in quadrato, quidem triangulus eſt, in ſenſitiuo autem vegetatiuum.* Vndè ſicut in quadrato non ſunt duæ figuræ, contradiſtinctæ, ſed eſt vnica figura habens quatuor latera, quæ continet perfectionem trianguli habentis tria tantum latera: ſic in homine datur vnica Anima, quæ cum ſit rationalis, continet in ſe vegetatiuam, & ſenſitiuam. *Maur. lib.* 4. *de vnit. anim. q.* 25. quia materia, quæ primò viuebat anima vegetatiua, accipiendo ſenſitiuam, non retinet purè, vegetatiuam; & cum acquirit rationalem, non retinet purè ſenſitiuam, ſed loco illius accipit rationalem, quæ cum ſit intellectiua ſimul, & ſenſitiua, & vegetatiua, continet in ſe vegetatiuam, & ſenſitiuam *de quo infrà nu.* 46.

34 Cum autem ex præcepto *Ariſt. in lib. poſterior.* poſt quid nominis cognitionem, & rei, de qua agitur diſtinctionem, deueniendum ſit ad definitionem, ex qua cognoſcitur quidquid ſit illud, de quo tractatur, vt *Cic. ait lib.* 1. *de officic.* affero igitur generalem definitionem Animæ, quam tradidit Idem *Ariſt. in lib. de anim.* quod ſcilicet *Anima* ſit actus primus ſubſtantialis corporis phiſici organici,

nici, vitam habentis in potentia. In qua definitione habentur omnia eſſentialia ipſius. *Actus* enim inquit, ideſt forma, quia actuat, & informat corpus. *Primus,* ideſt à quo omnes alij ſecundarij immediatè prodeunt, vt ſunt operationes vitales: ſentire, videre, & ſimiles. *Subſtantialis.* ideſt perſe ſubſiſtens incorpore, cui coniungitur non accidentalis, vt ſcientia, albedo, & cæt. *corporis*, non ſtatuæ. *Phiſici*, ideſt naturalis, non artificialis. *organici*, ideſt organis formati à natura. *Vitam habentis in potentia*, ideſt quod vitam, hoc eſt animam recipiat.

Alio modo definitur Anima rationalis *à Diuo Auguſt. lib. de ſpirit. & anim. c.8.* vbi ait: *Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis, rationalis, Intellectualis, à Deo facta, non ex* Dei *natura, ſed potius creatura, ex nihilo facta, in bonum, malumque conuertibilis.* Vnde qui diceret, quod anima hominis eſt ſubſtantia Dei, eſſet hæreticus, vt definitur *in concil. Bracarenſ. 1. c.5. & 6.* Anima igitur eſt ille ſpiritus, & homo interior, qui gubernat corpus, vt Deus Mundum, vnde dicitur Paruus mundus. *Macrob. lib. 2. in ſomn. ſcip. c. 12.*

Neque antequam vniatur corpori, eſt creata extra, ſed creatur ſimul cum corpore Concil. *Bracaren. 1. c.6.* Quod eſt contra quoſdam Gentiles, qui errando aſſerebant, quod omnes animæ hominũ fuerunt ſimul creatę in principio Mundi; quorũ opinio reprobatur *in cap. pen. 24. q. 3.* Vel ab æterno ſimul creatæ, & alibi cuſtoditæ, vt in corpora ad tempus immittantur, vt aſſerebat *Plato lib. 10. de legib.* & *in Epimonide,* & *Macrob; & origen;* contra quos inſurgit *Diu. Thom. 2. contra gentil. c.83. & 84. & Diu. Aug. de eccleſ. dogm. c.14* & multas pænas decreuit *Concilium Conſtantinopolitan. general. 6. act. 11. & Concil. lateran. 4. de Trinit. cap. 1.* Vnde neceſſe eſt concludere, animas non eſſe creatas ante corpus, ſed ſimul cum corpore creari, & ipſi infundi, vt probat. *Leo Primus Sum. Pontifex. tom. 2. Concilior. epiſt. 71; et 91. et Gregor. Nazianz. orat. 30. ac Gregor. Nicen. lib. de creat. homin. c.29.*

17 Neque eſt de materia corporali, aut de quoddam ſpirituali, ſed creatur à Deo de nihilo, quia ſubſtantiæ ſpirituales, ſicut ſunt incorporales: ita ſunt immateriales. *Magiſt; ſententiar. lib. 2. diſt. 17. Suarius lib. 1. de anima c.9. & Diu. Dionyſ. lib. de diuinis nominibus.* Igitur anima rationalis, ſpiritus eſt incorporalis, qui nec corpus habet, nec ex corporibus conſtat, vt *Euſeb. inquit lib. 6. de præparat. Euangel. c.5. Claudian. Mamert. lib. 1. de ſtat anim. c. 4.* & *Diu. Auguſt. lib. 1. de origin. anim. ad Hieronym. c. 3.* Hinc eſt, quod quidam ex Philoſophis antiquis in errorem lapſi ſunt; Alij enim dixerunt, ipſam

ſam animam eſſe eſſentiam ſe mouentem, *vt Plato, & ſequaces*; Alij harmoniam, *vt Pythagoras, & Philolaus;* Alij ex igne factam duxerunt, ſiuè ex luce, *vt Heraclitus Ponticus*; vel ex ſcintilla ſtellaris eſſentiæ, *vt Heraclitus*; *Democritus* ſpiritum credidit inſertum atomis; Alij ex aqua, *vt Hippon, & Tales*: Alij ex ſanguine, vt *Empedocles, & Critias*: Alij ex quinta eſſentia, *vt Critolaus, & Alij Peripatetici*; Alij aerem, *vt Anaximenes*: Alij ex Terra, & igne, vt *Parmenides*; Alij ex terra, & aqua, vt *Xenophanes*: Alij ex aere, & igne, vt *Boëthus*. Alij tandem aſſeruerunt eſſe ſpeciem ex igne, & aere, ac ſpiritu mixtam; de quibus *Macrob. lib. 2. in ſomn. ſcip. cap.* 14. Alij verò quatuor elementorum harmoniam eſſe crediderunt, vt *Clearchus*, & Alij alia diuerſa quædam eſſe dixerunt, quos recenſet quoque *Theodor. lib. 5. contr. infid.* & Greg. *Nicen. lib. 2. de philoſo. de anim. c.* 1.

35 Eſt Anima tantæ, ac talis eximiæ dignitatis, ac nobilitatis, vt Deus ab ortu cuiuslibet hominis det illi ſuum Angelum cuſtodẽ, vt habetur. *Matth. cap.* 18. *nu.* 10. ibi: *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis; Dico enim Vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt; & Dau. pſalm.* 90. *nu.* 11. ibi: *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*: & *Idem. Reg. Proph. Dauid. pſalm.* 33. *num.* 8. in illis verb. *Immittet Angelus Domini in circuitu timẽtium eum, & eripiet eos, ac S. Hyeronim. lib. 3. Comm. in cap.* 18. *Matt.* ſuper prædictis verbis, *videte ne contemnatis & cæt.* inquit: *Magna dignitas Animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis ſuæ in Cuſtodem ſui, Angelum Delegatum.* Apoſtolus Paulus quoque præcipit velari capita, in Eccleſijs, fæminarum, propter Angelos inquiens: *Prima Corint. c:* 11. *nu.* 10. *ideo debet mulier poteſtatem, ideſt velamen habere ſupra caput, propter Angelos*, vt fuſiùs dictum eſt ſupra *eodem libr.* 2. *Miſc.* 1.

36 Sed quæritur primò, An Anima ſit ſuſceptiua habituum bonorum, & malorum; virtutum ſcilicet, & vitiorum? Reſpondetur affirmatiuè ex *Diu. Aug. vbi ſupra lib. de ſpirit. & anim. cap.* 8. *Diu. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 51. & *Ariſt.* 1. *Ethic. cap. vlt. & ibidem libr.* 6. *cap.* 7.

37 Quæritur 2. An ſit vera ſententia eorum, qui dicunt in quolibet homine eſſe plures animas? Reſpondetur negatiuè, quia non eſt, niſi vna tantum anima cuique homini propria, & particularis indiuidualiter, & non plures numero, imò ſi quis contrarium aſſereret, eſſet excomunicatus, vt definitum inuenitur contra Manichæos *in Concil. conſtantienſ.* 4. *gener.* 8. *c.* 11. *Diu. Thom. lib.* 2. *contra*



Digitized by Google

*gentes cap.73. Albert. Magn. lib. de vnitat. intellect. Diu. Aug. lib, de Eccleſ. dogm. c.15. & lib. 10. ſup. Geneſ. ad litter. c.* 14. qui omnes locis citatis refellunt etiam errorem illorum, qui aſſerebant, vnam tantum animam numero vnico eſſe omnibus hominibus communis. In hunc errorem lapſi ſunt, ex eo, quia conſiderabant in homine Vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectualem ſeù rationalem, obliti fortaſſe, quod anima rationalis facultates omnes ſupradictarum corpori diſtribuit, tamquam viuendi gradus.

38 Quæritur 3. an anima rationalis aſſiſtat corpori, & non informet materiam? Reſpondetur negatiuè, nam anima rationalis verè, eſſentialiter, ac perſe eſt forma humani corporis informans materiam, & ſecundum ſuam propriam ſubſtantiam, ac per realem informationem exiſtit, non per aſſociationem, & qui contrarium aſſereret, eſſet hæreticus, vti Auerroes, qui talia ſomniauit, *vt habetur in Concil. Viennenſ. gener. 15. ſub Innocentio V.* ex quo deſumpta fuit. *Clementin. 1. §. porro de Sum. Trin.& fid. cath. vbi Gloſ. in verb. intellectiuè plura cumulat. & Diu. Thom. in ſum. p. 1. quæſt. 76. in princ.*

39 Quæritur 4. in qua parte corporis ſit ſedes animæ? Reſpondetur quod anima ineſt corpori tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, licet alicubi maiores operetur effectus: tum propter maiorem, vel minorem organorum corporeorum perfectionem, quæ ſunt plus vel minus accommodata actionibus quibuſdam: tum propter voluntatem, quæ eò robur immittit, *Diu. Aug. in lib. de cognit. ver. vit. c. 33.* Nos Chriſtiani principatum animæ ponimus in corde, ex quo prodeunt bonæ, & malæ cogitationes; licet multi Philoſophi Gentiles diuerſimodè collocent illam, nam Plato ponit in capite; Hippocrates in cerebro: ſic etiam *Macrob. lib. 7. Saturn. c. 9.* Xenocrates in vertice, & ſic de alijs alia opinantibus, de quibus *Petr. Greg. in ſyntax. art. mir. lib. 23. c.8.*

At verò quamuis ſit tota in qualibet parte corporis, tamen ſi brachium, vel pes abſcindatur, non abſcinditur animæ ſubſtantia, cum ſit indiuiſibilis, ſed ſolum deſinit viuificare membrum illud. Neque eadem officia in omnibus membris exercet, licet ſit in omnibus, nam in oculis, dicitur viſiua, quia videt; in auribus auditiua quia audit, & ſic de alijs. *Diu. Aug. lib.14. de ciuit. c.24. & Aut. Mar. lib.11. c.17.*

40 Quæritur 5: an ſint animæ vtriuſque, vel alterutrius ſexus? Reſpondetur quod non eſt aliqua animarum diſtinctio per ſexum, quia ſpiritus ſunt; & ideo neque Angeli hoc modo diſtinguuntur, vt

vt habetur. *Matthæi c. 22. nu. 30.* ibi: *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Membra enim corporis hanc diſtinctionem ſexus maſculi, & fæminæ faciunt, non ſpiritus, qui eſt immaterialis. *Diu. Aug. lib. 1. de orig. anim. c. 18. & Cyrill. Hieroſolimitan. cathech. 2.*

41 Quæritur 6. An Animæ ſint eiuſdem ſpeciei, vt Pythagoras aſſerebat? Reſpondetur negatiuè cum *Ariſt. lib. 1. de anim. tex. 53.* nam vt diximus, tot ſunt animæ ſpecie diuerſæ, quot ſunt genera animarum. *ex Diu. Thom. in 1. p. q. 78. art. 1.* Alia eſt propterea Anima rationalis hominis: alia ſenſitiua animalis: alia verò vegetatiua Plantarum. licet autem vnus homo videatur habere mores ferinos, alter non; ex quo Pythagoras credebat, primum ſortitum fuiſſe animam Bruti, alter non; quia transmigare animas aſſerebat de corpore ad corpus; ſed hæc diuerſitas morum prouenit ratione organorum, & temperamenti; vt mox dicemus.

42 Quæritur ſeptimo, An Animæ rationales ſint æquales, ſecundum eſſentiam, & ſint eiuſdem ſpeciei, vel differant in aliquo?

Reſpondetur, Animas eſſe æquales, ſecundum eſſentiam, & eiuſdem ſpeciei, ſed videntur aliquo modo differre in naturalibus, in quibus vna eſt præſtantior altera naturali perfectione; Ratio eſt, quia animæ ſortiuntur humana corpora inæqualiter: Quædam enim informant corpora melius organizata; aliæ verò minus organizata; Et ex hoc prouenit differentia, quod homines ſint adeò differentes inter ipſos, & inæqualiter operentur; videmus enim quoſdam homines eſſe optimi ingenij, & bonæ indolis; perfectam habere memoriam, virtutibus ornatos, & moribus amabiles exiſtere; quoſdam verò alios è contra nullius eſſe ingenij, minoris memoriæ, malæ indolis; vitiis deditos, ac prauos mores habere. Vnde autem proueniat, quod vna anima ſortiatur corpus benè organizatum, & bonum temperementum: Alia verò non; quidam Philoſophi aſſerunt, hoc procedere à cauſis inferioribus, & defectuoſis habentibus plura contraria, à quibus impediri poſſunt, ne cōſequantur perfectionem operationum, de quibus. *Maur. lib. 4. q. 23. ad 1.* quod multò prius dixerat. *Cæl. Rodigin. lib. 10. c. 17. Diuus verò Auguſt. lib. 12. de Ciuit. Dei.* Tribuit inæqualitatem, non ſolum perfectioni maiori, vel minori organorum corporis: verum etiam Voluntati Dei, cui placuit dare alicui plus, alicui minus. Hinc eſt, quod Paruuli ex imbecillitate organorum non poſſunt exercere operationes ipſius animæ ità perfectè, ſicuti quando ſunt maioris ætatis, quia organa ſucceſſiuè perficiuntur, vt inquit. *Tolet. lib. 2.*



Digitized by Google

*de anim. cap.4. q.7. ex Ariſt.* nam quando organa non ſunt perfecta, eadem anima priùs exercet operationes infantis, deinde operationes pueri, poſtea iuuenis, paulo poſt viri perfecti, & tandem ſenis, ſecundum minorem, mediocrem, vel maiorem perfectionem organorum, quam ſucceſſiuè recipit. Vnde ſtultis, & fatuis, quibus certè anima rationalis ineſt, ob corporis organorum indiſpoſitionem opera minus præualent. Licet enim anima intellectiua non ſit organica, indiget tamen organis coniuncta corpori, vt recipiat ſpecies corporalium per ſenſus, *Diu. Bonauent. Aut. Mar. vbi ſup. c. 16. Simphorian. Campeg. in lib. de vita cælitus comparanda lib. 9. & Diu. Auguſt. lib.* 12. *de Ciu. Dei.* Quod, & deciſum fuit *in Concil. vniuerſ. Pariſienſi.*

43 Quæritur 8. Vtrum Anima rationalis ſit mortalis? Reſpondetur negatiuè multis auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & Doctorum, tum ſacrorum, tum prophanorum; Ideo corrupto corpore non corrumpitur ipſa anima, nam cum ſit ſpiritualis ſubſtantia, & à corpore independens, neceſſariò ſequitur, quod ſit immortalis. Probatur hæc veritas, quæ eſt de fide. *Ex illo ſapient.* 3. ibi: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace*; & *Ioann.* 5. ibi: *Ibunt boni in vitam æternam, & mali in ignem æternum*; *& Marc.* 12. *& Matth.* 22. *&* 25. *Luc.*20. *& Actor.* 23. *&* 24. & *cap. pen.*24. *q.*3. Et qui contrarium affirmaret, eſſet hæreticus, vt habetur *in Concil. Arabic. Sub Fabiano Papa*; *& Fæl. Pap.*1. *epiſt.*2. Quod ſimiliter de fide definitur per Leon. *X. conſtitut. quæ incipit: Apoſtolici*; & *in Concil. Lateran. ſub eodem Leon. Pap. ſeſſ.* 8. illis verbis: *Damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectiuam, mortalem eſſe: aut vnam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes.* Sanctus Dionyſius ſimiliter *lib. de diuin. nom. c.4. ait,* Animas humanas eſſe intellectuales, & habere ſubſtantialem vitam in conſumptibilem. Quæ veritas corroboratur ex eo, quod Anima habet potentiam, & vim operatricem illimitatam, quæ ferri poteſt in omnes res exiſtentes, & poſſibiles, tanquam in obiecta ſibi propria, quod quidem formis materialibus non conuenit. Inſuper alia ratio illius immortalitatis adducitur, quod ſcilicet, habeat naturalem quendam appetitum beatitudinis, ipſi Animæ inditum, & nullis bonis creatis in hac vita expleri poteſt, vti experientia manifeſtum eſt; omnes enim homines, vt inquit. *Diuus Aug. lib. 3. de Trinit. cap.* 3. *& Ariſt.* 1. *Ethic.* naturali quodam deſiderio beatitudinem appetunt; & quò ad ſecundam partem, inſatiabilitatis bonorum creatorum probat. *Dauid pſal.* 16. *nu.*15. illis verbis: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; quæ tamen ſatietas

Digitized by Google

tas non faſtidiet, cum ſcriptum ſit *Eccleſ.* 28. *qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Præterea colligitur ex quibuſdam operationibus ipſius Animæ, omninò independentibus à corpore, velutl ſunt cogitationes quædam rerum vniuerſalium, aut rerum purè ſpiritualium, Tandem adeſt conuincentiſſima ratio probandi immortalitatem, qua vſus eſt *Diu. Io. Chryſoſtom. ſerm.* 4. *de prouid.* ex quo ſumptum fuit *c. quid ergo turbamur de pænit. diſt.* 3. inquiens: *Si nihil eſt, poſt hanc vitam; ne Deus quidem eſt: ſi Deus eſt, iuſtus eſt; quod ſi iuſtus ſit, pro dignitate vnicuique retribuet.* Cum enim iuſti multa faciant bona opera, de quibus nulla eis à Deo datur retributio; & è contra mala plurima committant homines mali, de quibus nullam ſimiliter pænam in præſenti vita ſubſtinent: certè neceſſariò concludendum eſt, quod alia ſit vita, in qua à Deo ſummè iuſto, & bonis debitum præmium detur, & malis quoque ſupplicium, quod mærentur, tribuatur. Sed quia ob vnicum peccatum mortale, pæna æterna decreta eſt, vt *Matth.* 8. habetur illis verbis: *mali eijcientur in tenebras exteriores, & eiuſd. Matth. c.* 25. ibi: *Ite maledicti in ignem æternum,* ac definitum habetur. *in Concil. Lateran. ſub Innocen.* 3. *ex quo deſumptum eſt cap. firmiter, quod eſt vnic. de Sum. Trinit. & fid. Cath.* ergò Anima eſt immortalis: vel ad fælicitatem Paradiſi per omnia ſæcula perfruendam: vel ad pænas in Inferno perpetuò ſubſtinendas, deſtinata. De quibus *Reginaldet. in lib. qui inſcribitur, ſpeculum finalis retribution. Ariſtot. quoque lib.* 3. *de anim. text.* 1. docet, & demonſtrat, immortalitatem animæ intellectiuæ, & magis expreſsè *lib* 10. *Eth. cap.* 7. & 8. Quod & fuſius eſt. *Macrob. in ſomn. ſcip. lib.* 1. *c.* 1. & *c.* 10. & 13. ac apertè quoque *Gicer. in præd. ſomn. ſcip.* Ideoque quidam ex Antiquis Philoſophis intellecta animæ immortalitate, propter futuram ipſius fælicitatem conſequendam mortem ſibi conſciuerunt, vt zeno, Chryſippus, Empedocles, Cato, & Alij quos refert. *Lactant. lib.* 3. *inſtitution. c.* 18. *Diu. Hieron. ſup. Dan. c.* 1. & *Diu. Aug. lib.* 1. *de Ciu. Dei c.* 22

44 Quæritur 9. quot ſint potentiæ animæ intellectiuę rationalis? Reſpondetur, tres illam habere potentias: Intellectum ſcilicet, memoriam, & voluntatem, quibus omnia intelligit, & operatur, ac ex quibus nobiliſſima redditur, & à Beluis nos homines differimus, & ſummi Dei Creatoris Imagini conformamur, vt *Diuus Auguſt.* ait *lib.* 10. *de Trin. c.* 7. & 10. & *lib.* 14. *c.* 10. & *Ariſt. lib.* 2. *de anim. text.* 31.

*Intellectus* autem eſt potentia, qua anima omnia intelligit, quæ per ſcholaſticos diſtribuitur in agentem, & poſſibilem, quos adeat,

qui

Digitized by Google

qui voluerit rem ſubtilius inueſtigare *Memoria* dicitur potentia, qua recipiuntur, & conſeruantur ſpecies intelligibiles cauſatæ ab agente, & Phantaſmate, quæ dicitur Intelligentia, dum accipit actualem intellectionem productam ab agente, & ſpecie intelligibili; ad memoriam enim pertinet exprimere actualem intellectionē. *Voluntas* verò eſt motus animi, nullo cogente ad aliquid, vel non admittendum, vel ad adipiſcendum. *Diu. Auguſt. lib. de duab. animab.* quæ, & potentia appetitiua appellatur, & aliquando etiam deliberatiua dicitur, quia ex deliberatione vnum appetit, aliud reſpuit. *Mar. lib.* 11. *c.* 12. Diuiditur autem in naturalem, & rationalem. Prima eſt facultas, qua volumus ea, quæ non poſſumus non appetere; vt viuere, eſſe, ſcire, & cæt. Secunda eſt, qua volumus non naturalia, quæ & appetere, & renuere poſſumus.

Subſunt Voluntati Iraſcibilis, & concupiſcibilis vis, quæ vocatur pars inferior. Facultas vero rationem, & voluntatem complectens, dicitur *liberum arbitrium*, quod *Diu. Aug. in lib. de libero arbitr.* deſcribit, quod ſit facultas rationis, & voluntatis, qua bonum elicitur, gratia Diuina aſſiſtente, & malum eadem deſiſtente.

In voluntate continetur. *Syndereſis*, & *conſcientia*. Prima *ſecundum Diu. Aug. in lib. de baptiſmo paruulor.* eſt lumen innatum, & animæ concreatum, quo dirigimur, & monemur ad faciendum ea, quæ pertinent ad vitationem culpæ, & pænæ, & adeptionem Gloriæ. *Conſcientia* verò eſt electio deliberatiua, ac motus ſtimulans ad opus particulare, ſecundum dictamen rectæ rationis. *Ratio* autem dicitur *Intellectus*, cuius portio ſuperior appellatur *intelligentia*, Inferior verò *Ratiocinatio*.

Per iſtas potentias Anima ſemper ſibi ipſi cognita eſt, & ideo nunquam deſiſtit ſe intelligere, numquam ſe amare, quia immaterialis eſt, vt *ait Diu. Aug. lib.* 14. *de trin. c.* 10. Nec ſui meminiſſe poteſt; Attamen quia per ſenſus corporis recipit in ſe ſpecies aliarum terrenarum rerum, non ſemper ſe cogitat. *DD. cit.*

Habet Anima notionem omnium rerum, quas cognoſcit, vt *Aug. inquit lib.* 9. *de trin. c.* 12. ex intellectu, & obiecto, quod intelligit; ſed tamen intuitiuè, vel abſtractiuè non poteſt perfectè cognoſcere vnde fit vt nullum ens creatum poſſit intellectum eius ſatiare; ratio eſt, quia non apprehendit Deum, qui infinitæ virtutis eſt, & comprehendit in ſe omnes perfectiones. Ideo nullum ens creatum ſatisfacere illi poteſt, vel eius intellectum ſatiare, aut quietum reddere. *Intuitiuè* autem cognoſcere, eſt apprehendere obiectum præſens, vt præſens eſt; *Abſtractiuè* verò eſt, ſi obiectum alio

modo

Digitized by Google

modo intelligatur, vel ſentiatur, vt abſens imaginando illud. Hinc eſt, quod Beati in Paradiſo intuitiuè contemplantur Deum, & omnia creata. *Diu. Aug. vbi ſup. & Auct. Mar. ibid. c.4.*

45 Queritur 10. An ſupradictæ animæ rationalis Potentiæ ſint realiter diſtiuctæ à ſubſtantia animæ? Reſpondetur, quod in hoc ſunt plures ſententiæ Doctorum. Quidam enim dicunt, quod ſunt realiter diuerſæ à ſubſtantia animæ; & illas eſſe accidentia ſecundæ ſpeciei qualitatis, inſeparabilia tamen. Alij verò aſſerunt, quod ſint animæ partes, inter ſe quidem realiter diſtinctæ; non autem ab eſſentia animæ, licet non omnino eedem ſint ipſi animæ. Alij eandem aſſerunt, ipſas Animæ potentias eaſdem eſſe ſubſtantialiter cum eſſentia animæ; differre tamen realitatibus relatiuis, *de quibus Auct. Mar. ibid. c.14.* At verò *Diu. Auguſt. lib.* 10. *de Trinit. cap.* 11. ait, ipſas eſſe eſſentiæ animæ realiter identificatas, formaliter autē diſtinctas. Quo in loco hæc formalia verba profert: *Hæc igitur tria. Memoria, Intelligentia, & Voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed vna vita; nec tres mentes, ſed vna mens; conſequenter vtique non tres ſubſtantiæ ſunt, ſed vna ſubſtantia.* Et Paulo poſt: *Quo circa hæc tria eò ſunt vnum, quò vna vita: vna mens: vna eſſentia; ea verò tria, quoad ſe inuicem referuntur.* Et in fine: *Aequalia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis, & hæc tria vnum: vna vita: vna mens: vna eſſentia.* In quo repreſentat Imaginem Santiſſimæ Trinitatis. Licet autem anima, ſecundum ſua opera variis nuncupetur nominibus; dicitur enim anima, dum vegetat; ſenſus, dum ſentit: animus, dum ſapit: mens, dum intelligit: ratio, dum diſcernit: memoria, dum recordatur: voluntas dum vult: Et ſpiritus, dum contemplatur; tamen non differunt in ſubſtantia, nam omnia habent vnam, eamdemq; eſſentiam rationalem, ſed proprietates in officijs diuerſas, vnde, & nomina diuerſa ita *Hugo de Sancto Victore lib. de ſpirit. & anim.*

Nec repugnat, quod ſecundum ſupradictas tres potentias, in anima reperiatur Imago Sanctiſſimæ Trinitatis, in qua tres perſonæ interſe realiter differunt, licet in eſſentia conueniant. Nam reſpondetur, quod Sanctiſſimæ Trinitatis imago non conſiſtit præcisè in tribus animæ potentijs, quia, & ſi in his ſit conſubſtantialitas, non tamen diſtinctio realis; Nec conſiſtit in actibus potentiarum: nam in illis, & ſi ſit diſtinctio realis; non tamen realitas, diuerſitas, & ordo originationis; nam ſicut à Patre Filius, & ab vtroque Spiritus Sanctus: ſic quodammodo à memoria fœcunda notitia gignitur, & in Intellectu recipitur, ab vtroque autem velle originatur. Vnde patet, quod in Anima reperitur Imago Sanctiſſimæ Trinitatis,

tis,

Digitized by Google

tis, ex quo dicitur, quod ſit facta ad Dei ſimilitudinem, *vt Geneſ. cap.* 1. 2. *&* 3. & ideo dicit. *Gloſ. in cap.* 1. *verb. ſimplex.de Sum.Trin. & fid. Cathol.* Quod licet ſimplex ſit ſubſtantia Animæ humanæ, ſicut ſubſtantia Dei: tamen tria quoque in ipſa reperiuntur, ſcilicet Intellectus, qui præconcipit: Ratio, quæ diſcernit, & memoria, quæ conſeruat: Intellectus præconcipiens Patri primò operanti comparatur: Ratio diſcernens comparatur Filio, qui eſt ſapientia Patris diſponens omnia in Cælo, & in terra: Memoria conſeruans comparatur Spiritui Sancto, qui omnia bona corroborat, & confirmat. Et ſicut in Sanctiſſima Trinitate tres Perſonæ. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus idem ſunt in ſubſtantia: ſic iſta tria, hoc eſt memoria, Intellectus, & voluntas idem ſunt in ſubſtantia cum anima.

46 Quæritur 11. An in generatione hominis producantur ſucceſſiuè tres animæ? Reſpondetur negatiuè; nam licet Aliqui Doctores aſſerant, fœtum, ante animationem rationalem, viuere primò cum anima, ſeù vita vegetatiua, vt Plantæ, quia paulatim ſemen coaleſcit, & embrionem format; qui poſtea creſcit, & membra diſponit, & tunc mouetur, & ſic viuit vita ſenſitiua, vt animalia Bruta; poſt verò 40. dies, ſi ſit maſculus, & 80. ſi ſit fœmina, quibus, ſecundum communem, infunditur anima rationalis, *vt ſup. dix. miſcel.* 3. viuit vita hominis, ideſt intellectuali, ſeù rationali; vt probat *Diu. Thom.* 1. *p. q.* 76. *ar.* 3. *ad* 3. quem ſequuntur Conimbricenſ. ibid. ex *Ariſtot. lib.* 2. *de generat.animal. cap.* 3. Tamen reſpondendum videtur cum *Tolet. lib.* 2. *de anim. c.* 4. *q.* 7. & Aliis recentioribus, quod embrioni ſtatim introducatur anima rationalis, quæ ab initio vegetet corpus, poſtea ſentire facit, perfectis organis, & tandem diſcurſum præbet. Et ſecundum. Alios reſpondetur, quod embrio non viuit anima propria, ſed anima matris, cui colligatus eſt; vnde & vegetat, & ſentit, vt videtur in puſtulis creſcentibus in corpore; nam anima intellectiua non infunditur à Deo ante formationem, & organizationem corporis, vt probatur ex *Diu. Aug. in lib. quæſtion. veter. & nou. teſtam, & cap. Moyſes* 32. *q.* 2. vbi clare habetur, embrionem ante animæ infuſionem, non viuere. Quod probatur etiam ex ſacra ſcriptura *Geneſ. cap.* 2. *nu.* 7. vbi Deus poſt formationem corporis Adæ, inſpirauit ſpiraculum vitæ, ideſt animam. *Et Exod.* 21. *nu.* 22. ibi: *Si percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, ſi formatum fuerit, det animam pro anima, ſi autem informatum, mulctetur pecunia*, Ex quibus colligitur ante formationem corporis, non eſſe animam. Vnde concludere

dere neceſſe eſt , embrionem , non habere animam propriam ; ſed tantum viuere anima matris ; & ideò non datur ſucceſſio animarum , itaut prius animetur anima purè vegetatiua , deinde ſenſitiua, ac demum circa diem 40. vel 60. infundatur illi anima rationalis ; ſi enim hoc eſſet , homo vtique eſſet prius planta , poſtea Beſtia , & tandem homo . Quod eſt abſurdum , *Doctores præcit.*

47 Quæritur 12. An ſit ſubſtentabilis opinio aſſerentium , animam rationalem creari ex traduce, hoc eſt ex præcedenti, materia, anima ſcilicet generantis ? Reſpondetur negatiuè, cum hæc ſententia damnata ſit, tamquam hæretica in Concilio *Lateranenſ.* 4. *ſub Innoc. III.* ex quo deſumitur *cap.* 1. *de Sum. Trin. & fid. cath.* Iu quo definitum fuit, animas rationales à Deo creari , & non ex traduce fieri, cum ſemine ex anima generantis , ſicut creatur corpus ex corpore, vt falſo quidam hæretici aſſeruerunt , inter quos eſt etiam *Daniel Sennert* , qui omnes fundant ſuum errorem in illo Sacræ Scripturæ. *Geneſ.* 1. *nu.* 28. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quod intelligi debet, non de anima , ſed quod homo generet hominem corporaliter. Ad quod adducitur illud. *Geneſ. cap.* 2. *nu.* 7. nam poſt formationem corporis Adæ , inſpirauit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ. Quod & *Ariſt.* in 3. *de anim.* innuit , cum dixit , quod intellectus ſit ſeparatus, quia non eſt virtus alicuius organi particularis. vt ait etiam *Gloſ. in Clement.* 1. §. *porrò verb. intellectiuæ de Summ. Trin. & fid, cath.* Ad quod facit *textus in cap. Moyſeſ.* 32. *q.* 2. vbi habetur , quod in conceptu corporis non naſcitur anima cum ſemine , nam ſi cum ſemine anima ex anima exiſteret , multæ animæ quotidie perirent. quod eſſet inconuenientiſſimum. Proponitur ibidem exemplum Adæ , qui poſtquam Corpus formatum habuit, recepit animam. Et quidem poterat Deus animam limo terræ admiſcere, & ſic formare vtrumque ſimul. ſupradictam opinionem , quod anima , & caro per Adamum naſcitur , tenuerunt multi, etiam ex Sanctis Patribus , inter quos fuit aliquando. *Gregor.* 1. *lib.* 7. *ex regeſt. cap.* 53. *relat. à Doctiſſimo P. Lauræa in Epitom. ſacr. canon. in Verb. Anima* §. 4. qui aſſeruit eſſe rem inſolubilem in hac vita, Attamen Concilium prædictum omnem prorſus abſtulit ambiguitatem. Quod & *Gloſ. in cap. Quod verò* 32. *q.* 2. probat dicens, quod quotidie Deus nouas creat. animas , & infundit nouis corporibus, & infundendo creat, & creando infundit; Accedit *Diu. Hieron. lib.* 2. *ſentent. diſt.* 23. *& lib.* 2. *contra Ruſinum, & in epiſtola ad eundem, & Diu. Aug. in lib. de eccleſ. dogm. c.* 13. quibus in locis



Digitized by Google

examinando, & confutando errorem prædictum, aſſerunt, ſingulas animas ſingulis naſcentibus quotidie à Deo fieri, & non traduci cum ſemine per coitum, niſi corpus, ex virtute ſeminali formari, quo formato, anima creatur à Deo ex nihilo, & ipſi infunditur, vt habetur etiam in concilio. *Bracarenſ.* 1. *c.*6. quod *&* *Reg. Proph. Dau. pſalm.* 32. *nu.* 15. innuit cum dixit: *Qui finxit ſingillatim corda eorum*, & *Eſai. c.* 57. *nu.*16. ibi: *Spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego fa ciam*, ideſt animas. vt communiter Doctores exponunt. Ad quod etiam *Ariſtotel.* accedere videtur *in lib.* 16. *de animal*; vbi ait, ſolum Intellectum ab extrinſeco aduenire.

48 Quæritur 13. Vnde animæ eueniat ſomnus? Reſpondetur quod ſomnus dupliciter ſumitur, vel ex parte animæ, vel ex parte corporis: *Somnus corporalis*, eſt fixa ſuſpenſio virtutum animalium, ideſt ſenſitiuorum ab actibus ſuis, quod naturali curſu accidit, quia diffuſio ſpirituum, vel alterius influentiæ ad ſenſationes neceſſariæ, impeditur à corde, vel à cerebro, & quandiù hic influxus impeditur, tandiù ceſſant, & quieſcunt vires ſenſitiuæ ab actibus ſuis. ita *Albert. Magn. & Henric. de Aſſia ſuper* Geneſim. Vnde deſcribitur ſomnus, quod ſit ligamentum ſenſuum, & impotentia ſentiendi, ac mouendi; & è contrario *Vigilia* ſit ſolutio ſenſuum, & potentia ſentiendi, ac mouendi; quæ ſuſpenſio ſenſitiuorum accidit, quia ex nutrimento, quod digeritur, prodeunt quædam euaporationes groſſæ, quæ cerebrum petunt, à cuius frigore in aquam reſoluuntur, quæ ob grauitatem deſcendunt, & opilant meatus ſpirituum ad ſenſus exteriores; ob reuerberationem cum frigiditate cæterorum vaporum, vnde fit, vt egredi non poſſint in occurſum ſpecierum ſenſibilium; vt videtur in dormientibus, in quorum aures, & ſi ſonorum ſpecies perueniant, audire tamen non poſſunt, quia ſpiritus audibilis egredi non poteſt per neruos opilatos. Completa autem digeſtione, ſeparatur ſanguis, & groſſior interiora, purior ſuperiora nutrit; ac calor congregatus circa digeſtiuam virtutem, & collectus ab exterioribus ad interiora iterum diffunditur, & ſic penetrat meatus ſpirituum, vnde conſumens reſiduum vaporum, aperit viam ſpiritibus, & fit vigilia denuò. Hinc fit, quod abſentia caloris, & ſpirituum in organis ſenſuum eſt cauſa effectiua ſomni; quæ prouenit ex euaporatione nutrimenti, ex labore, ægritudine, infantia, ſtudij attentione, cura, & pauore. Et cum omne animal indigeat, vt nutriatur, dum viuit, omnia ſomnum habent. *Aut. Mar. lib.* 10. *tr.* 2. *c.*24. *in fin.*

Somnus autem, qui eſt ex parte animæ, cauſatur propter curſum calo-

caloris, & ſpirituum ad locum alicuius læſionis interiùs vehementer torquentis. Aliquando ex defectu caloris, & ſpirituum in radice, in qua dum ſpiritus deficiunt, neceſſe eſt vt ſenſus ſuis actibus ceſſent, vt in amentibus; Aliquando verò accidit per retractionem ſpirituum ad interiora, ratione, alicuius paſſionis interioris, vt in Apoſtolis, iuxta illud. *Lucæ 22. Et Matth. 26. Erant enim oculi eorum grauati, & dormierunt præ triſtitia*: Vel alterius accidentis, vt in Syncopi. Aliquãdo ex vehementi fatigatione, vel attenuatione, vel aſſidua contẽplatione; ex quo vires interiores requirunt adiuuari, vt in extaſi, vel raptu: Aliquando ex dulcedine alicuius melodiæ. Aliquando ex vehementia ſubiti terroris: Aliquando ex læſione capitis, vel alterius membri extrinſecus illata, vt cum homo percutitur in capite, vel extrahitur ſanguis. *DD. præcit. vbi ſupra.*

Eſt autem ſomnus triplicis generis: Vel cum exteriores, & interiores ſenſus ſopiuntur, vi tamen intellectiua vigilante: Vel cum ligantur quidem interiores ſenſus, ſolutis à ſomno ſenſibus exterioribus, vt accidit ijs, qui in nocte dormiendo ſurgunt, ambulant ſine offendiculo, loquuntur, canunt, ſonant, aſcendunt arbores, & loca periculoſa petunt, homines occidũt, & multa alia penè miraculoſa operantur, inſtar vigilantium, imo quæ vigilãtes facere nequibunt. Poſtquæ reuertuntur ad lectos ſuos, & non recordantur eorum, quæ dormiendo geſſerunt. vt inquit *Albert. Magn. in commentar. ſuper lib. de ſomn. & vigil.* A medicis, qui talia patiuntur, *ſomnambuli*, ſiuè *noctiuagi* appellantur, de quibus habentur quædam hiſtoriæ curioſæ penes. *Daniel. Sennert. in Paralipomen. ad lib. 1. pract. med. parilip. 9. ad p. 2. c.* 10. Cauſam eorum dicit. *Idem Albert. Magn.* Quod ſit fortis impreſſio phantaſmatis, & ſolutio ſenſus à calore accidentali, qui eleuatus cum ſanguine colerico ad caput, per organa virtutis animalis deſcendens, ſoluit quoſdam ſenſus, maximè remotos, & ſimiliter excitat virtutem motiuam ad motum progreſſiuum. Non recordantur autem eorum, quæ geſſerunt, quia recordatio fit in memoria, vt diximus, per ſpecies eorum, quæ ſenſimus reſeruatas, cum verò actus eorum fiant à ſenſibus accidentaliter ſolutis, non patet liber introitus ſpeciebus ad memoriam *DD. ſupra memorat.*

Vel 3. vigilatur ab aliquibus, ſecundum exteriorem ſenſitiuam; & dormitur, ſecundum interiorem; & tunc realiter ſentiunt hi, quibus hoc accidit. Et tales aliquando vigilant, & ſecundum ſen-

ſum, & ſecundum vim intellectiuam, quæ aliquando actuari poteſt ad exteriores ſenſus, interioribus ſenſibus ab omni actu ſuſpenſis. *DD. cit.*

Somnus ſub Luna perniciosus eſt, ſi diù quis dormiat, ideo ægrè excitatur, & proximus fit inſano, vt ait *Macrob. lib. 7. Saturn. c. vlt. propè fin.*

Somnus aliquando accidit per miraculum, vt ſeptem Dormientibus, de quibus *Surius & Paul. Diacon. relat. à Delrio lib. 2. magicar. q.21. litt. C.* aliquando verò medicamentis, & aliquando ope Dæmonum, *vt idem Delrio ibid. ait.*

49 Quæritur 14. vnde Animæ eueniat ſomnium? Reſpondetur: quod diuerſimodè accidit, tum ex parte animæ, quia in Phantaſia fiunt, tum etiam corporis. Sed priùs videndum eſt, quid ipſum ſit. Vnde *Somnium* definitur *ab Ariſt. in lib. 2. de ſomno, & vigil.* quod ſit phantaſma factum à motu ſimulacrorum à ſimilitudine ſenſibili in dormiente, ſecundum quod dormit. Alii dicunt ſomnium eſſe apprehenſionem, vel apparitionem phantaſmatum in dormiendo factam. Alij, quod ſit paſſio tempore ſomni cauſata in imaginatione à phantaſmatibus excitatis. *Phantaſmata* autem ſunt imagines, & rerum ſimulacra; quæ potentia phantaſtica ex ſpeciebus diuerſis fabricat; hæc enim in ſpiritu lucido reſplendent, quaſi in ſpeculo; turbatis autem ſpiritibus indiſtincta ſomnia fiunt, vt ait *Aut. Mar. lib. 10. tr. 2. c. 25.* Cauſa ſomnij duplex eſt, interior vna, exterior altera: Interior eſt etiam duplex, nam vel eſt mentalis, & ſpiritualis cogitatio, vel affectio, in quantum phantaſiæ hominis occurrunt in dormiendo ea, circa quæ eius cogitatio, vel affectio fuit immorata in vigilando: vel eſt corporalis diſpoſitio, nam ex diſpoſitione interiori corporis formatur aliquis motus in phantaſia conueniens tali diſpoſitioni, vt accidit his, in quibus frigidi humores abundant, quibus videtur eſſe in Aquis, vel in Niue. Ideo Medici dicunt, & ſomnijs poſſe cognoſci diſpoſitiones interiores corporis de quibus. *Galen. lib. de præſag. qua ex ſomn. ducunt.* Exterior cauſa ſomniorum eſt etiam duplex: ſpiritualis, & corporalis: ſpiritualis eſt, aliquando à Deo, qui miniſterio Angelorum aliqua in ſomnijs reuelat, & aliquando opera Dæmonum, qui dormientibus aliquo modo apparent, reuelando aliqua futura his, qui cum illis habent pacta illicita; de quibus Martin. *Delrio lib. 4. magicar. cap. 3. q. 6. litt. D. verſic. Diabolica ſomnia.* Corporalis verò cauſa exterior, eſt immutatio imaginationis, vel phantaſiæ, in quantum

ima-

Digitized by Google

Imaginatio, vel phantaſia dormientis immutatur, vel ab Aëre continente, vel ex impreſſione cæleſtis corporis, ſecundum Aſtronomos, & Medicos aſſerentes, quod ſi In homine abundat cholera, ſomniat de rebus calidis, & rubeis: ſi flegma, de rebus frigidis, & aquoſis, & ſic de reliquis, veluti effectus naturales cauſati à cauſa naturali; Quod tamen negat, *Sanct. Auguſtin. ſup. Geneſ. ad litter. DD. cit.*

*Diuus verò Gregor. lib. 8. moralium*, ſex cauſas ſomniorum aſſignat: aliquando enim ſomnia cauſat ventris plenitudo; aliquando capitis inanitas; aliquando illuſio Dæmonis aliquando cogitatio hominis, & illuſio Dæmonis ſimul; aliquando Dei reuelatio; aliquando cogitatio, & reuelatio ſimul, *vbi cap. 13. & lib. 4. Dial. c. 48.* tres auctores aſſignat; Deum, naturam, Dæmones.

Somniorum genera quinque eſſe. *Macrobius ait lib. 1. in ſomn. ſcip cap. 3.* ſcilicet ſomnium, inſomnium, viſio, ſpectrum, & oraculum, quæ omnia ipſe declarat. *Artemidorus autem in lib. de diuinat. ſomnior.*
24 ea quinque ad duo reuocauit, nimirum ad ſomnium, & ad inſomnium.

Illicitum eſt ſomnia obſeruare, vt eſt *textus in cap. non obſeruetis, 26. q. 7. vbi Turrecremat. & Alij, & Concil. Anciran. c. 23.* Sunt autem aliquando ſomnia quædam, quæ obſeruare licet, de quibus *Diu. Tho. 2. 2. q. 95. art. 6. & Diu. Antonin. in 2. p. tit. 12. c. 67.* Deus enim aliquando per ſomnia loquitur nobis intrinſecùs, vt probatur. *Numer. cap 12. nu. 6.* ibi: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum*; Et aliquando per Angelos, vt habetur. *Matth. c. 2. nu. 3.* ibi: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.* Aliquando autem Angeli mali, Deo permittente, per ſomnia homines illudunt, vt habetur *in tex. cap. Epiſcopi 26. q. 5.* De mulieribus illuſis, quæ credunt per noctem æquitare, & ire ad conuiuia, & ludos Dianæ.

Somnia frequentius accidunt in fine ſomni, quia ſub finem diſſipatis ex parte vaporibus, ſoluitur Phantaſia. ſi fiant in primo ſomno, vix, aut raro eorum recordamur, quia aſcendit groſſa fumoſitas ex prima digeſtione cibi; ſecus ſi in fine. Bruta animalia ſomniant quoque, vt videtur in canibus, qui ſæpe dormientes latrant. Actiones, quæ vigilando eſſent peccaminoſæ, in ſomno factæ, per ipſas neque meremur, neque demeremur, quia potentiæ non ſunt expeditæ ad operandum voluntariè. *Diu. Antonin. p. 1. tit. 2. c. 7. §. 3.*

Licet autem aliquando ſomnia ſint ſigna euentuum, ſi à Deo,

vel

Digitized by Google

vel Angelis immittantur, vel quæ ex complexione eueniunt: tamē quia vt plurimum ſunt caſualia, non licet obſeruare. Quod innuere voluit. *Ariſt. præc. lib. 2. de ſomn. & vig.* vbi ait: *Nec eſt contemnere idoneum, nec omninò ſuadere.* Quia verò non ſumus certi de ſomnijs an à Deo, vel Angelis bonis ſint immiſſi tēpore, quo accidunt, ideo ad periculum peccati euitandum, melius eſt non obſeruare *Eccleſiaſt. enim c. 5. nu. 6.* habetur: *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri; Et Eccleſiaſtic. ca. 34. nu. 1. Somnia extollunt imprudentes, quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum, & infra nu. 6. Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis Cor tuum multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Et Leuit. c. 19. nu. 6. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia; Et Deuteron. c. 13. nu. 5. Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur; & ibid. c. 18. nu. 10. Nec inueniatur in te, qui Ariolos ſuſcitetur, aut obſeruet ſomnia. vide Diu. Antonin. vbi ſupra.*

50 Quæritur 15. Quomodo animæ accidat extaſis, ſiue raptus? Reſpondetur, quod poteſt dupliciter euenire: vel naturaliter, vel ope Dęmonis: Extaſis, ſiuè raptus naturalis, qui nihil aliud eſt, quam exceſſus mentis à ſeipſo, vt inquit. *Diu. Thom. 2. 2. q. 175. art. 2. litt. H.* Cauſatur in anima, quia ſopiuntur vires inferiores, & ſic ſuſpenditur adminiſtratio corporis; nam cum in homine ſint tres virtutes inter ſe connexæ, vt dixim; naturalis ſcilicet, animalis ſeu ſenſitiua, & intellectualis; & virtus naturalis ſeruiat animali, ac animalis intellectuali: virtus naturalis in ſuis operatiōnibus indiget ſpiritibus à corde originaliter procedentibus, qui per organa ſenſuum diffunduntur; quæ organa cum magis laborant interiùs, vel exterius, pluribus ſpiritibus indigent, ideo natura plus illis de illis diſtribuit; ex quo procedit, quod illa organa in exceſſu actuationis virtutis ſenſitiuæ diſtrahuntur, vnde fit extaſis, quæ ſi fiat cum quadam violentia, & ſubitò dicitur. *Raptus*; nam cum ſpiritus naturales, quibus indiget virtus digeſtiua, deficiunt, deficit etiā animalis vis, propter multitudinem generationis ſpirituum ſenſitiuorum; vnde fixa, & vehemens actuatio virtutis ſenſitiuę interioris ſopit ſenſus exteriores debilitando vires naturales, propter illarum virium connexionem. Quare omnis vehemens intellectualis ſpirituum contemplatio, in qua Phantaſia, vel ſenſitiua interior exceſſiuè laborat, eneruat vires naturales, & ſoporat ſenſus exteriores, vnde inducitur extaſis; vt docet. *Diu. Thom. vbi ſup. & Hēric. de Aſſia ſuper Geneſim. & ſibil. in ſpec. dec. 1. c. 8. q. 1. q. 2.*

Extaſis verò ſiuè raptus cauſari poteſt à Diabolo, ligando, vel ſol-

ſoluendo ſenſus exteriores duobus modis. Primo quando opilat meatus illos, quibus à cerebro Spiritus ſenſitiui ſe ad exteriores ſenſus penetrant, vt accidit ſomniantibus: Secundò quod eoſdem ſpiritus ſenſitiuos ab exterioribus ſenſibus ad interni ſenſus organa attrahit, ibique retinet, ne ad externorum ſenſuum organa deſcendere poſſint, vt accidit ſagis, & lamijs qui remanent in aliquo loco corporaliter, & decepti credunt regiones longinquas peragraſſe, de quibus. *Olaus in libr. 3. cap. 18 ſeptent. reg. deſcr. & Martin. Del Rio lib. 2. magicar. diſp. q. 25. & in cap. Epiſcppi 26. q. 5.*

Subiectum igitur Raptus, ſeu extaſis, eſt anima humana, non totus homo, ſecundum ſe, & ipſa non ratione intellectus agentis, ſed ratione intellectus poſſibilis. Cauſa formalis, eſt actio ipſa, qua quis eleuatur, & cæleſtibus illis rebus, quaſi vnitur: finalis eſt coniunctio animæ cum Deo: Cauſa efficiens duplex eſſe poteſt, inſtrumentalis, & principalis: Inſtrumentalis erit Intellectus agens: principalis erit Deus, quia licet Deus per ſe ſolus ſit cauſa ſufficiens; ſolet tamen adhibere cauſas ſecundas, vt inſtrumenta. *Del Rio, & Aiij vbi ſup.*

51 Quæritur 16. An Anima rationalis ſit diuiſibilis? Reſpondetur negatiuè; cum *Diuo Gregor. Nyſſen. lib. 2. de anim. & Sixto Senenſ. lib. 1. Bibliothecæ Sanctæ annotat. 8.* qui reprobant, & refellunt errorem Cleanthis, Chryſippi, Ianduni Pomponatij, & Aliorum aſſerentium, omnes animas, etiam rationalem, eſſe diuiſibiles, & compoſitas, ex partibus correſpondentibus partibus materiæ. Quo probare contendunt tali medio: Si in homine, vel Bruto reciditur aliquod membrum, ſiue caput, per aliquod temporis ſpatium ſe mouet, & corpus, & membrum abſciſſum, vt legitur de S. Dyonyſio in eius feſto, quod celebratur die 9. Octobris; *de quo illud memoria proditum eſt, abſciſſum ſuum caput ſuſtuliſſe, & progreſſum ad duo millia paſſuum in manibus geſtaſſe*: Et ſimile factum legitur de Sancto Paulo: non poſſet autem ſe mouere, & corpus, & pars reciſa, niſi vtraque materia eſſet viuens, & animata; forma verò indiuiſibilis non poteſt informare partes ſeparatas materiæ naturaliter, ergo diuerſa pars animæ rationalis informat vtramque partem. Corroborant argumentũ auchoritate: *Ariſtotelis, qui in l. 3. de partib. animal. c. 7.* docet, poſſe animal truncato capite aliquantulum moueri, ex quo inferunt, præſertim *Pomponat. lib. 10. de nutriente, & nutrito,* quod omnis anima eſt diuiſibilis: Quod argumentum reſoluitur facillimè; quia ſi aliquando contigat, quod animal moueatur, & etiam pars abſciſſa ab eius corpore, motus ille prouenit ex magno

dolo-

dolore, quem paſſus fuit, tempore abſciſſionis membri, ſiue partis, cum quodam violento impetu impreſſo neruis, & vtrique parti, qui impetus aliquantulum perſeuerans cauſare poteſt motum illum partium per aliquod tempus breue; non autem per longum tempus, vt accidit Sanctis Dioniſio, & Paulo, qui miraculosè moti fuerunt, Deo ſic diſponente, pro confuſione Tyranni, vel ab Angelis, vel ab ipſamet anima iam ſeparata. Hanc quæſtionem examinant pluribus argumentis *Diu. Auguſtin. in lib. de quantitate animæ per tot. Diu. Thom. 1. p. q. 76. art. 8. Albert. Magn. lib. 1. de anim. c. vlt. & lib. 2. cap. 7. Diu. Bonauent. in 1. diſt. 8. Marſil. Ficin. lib. 1. de theologia Platonis c. 3. & lib. 8. c. 1. & Maur. lib. 4. de indiuiſibil. anim. q. 27. ac Suar. lib. 1. de anim. c. 13.* Qui omnes reſpondent ad alia argumenta in contrarium adducta pro diuiſibilitate animæ.

52 Quæritur 17. An anima vnita corpori aliquando futura præuideat? Reſp. cum *Diu. Antonin. part. 1. tit. 3. c. 11. §. 17.* quod futura dupliciter cognoſci poſſunt: vno modo in ſeipſis: alio modo in ſuis cauſis. Primo modo non poſſunt cognoſci ab homine, niſi à Deo, cui omnia futura ſunt præſentia. Secundo modo poſſunt ab homine præuideri, per certitudinem ſcientiæ, vt eclipſis, vel pluuia ab Aſtrologis. Aliquando autem cognoſcit homo futura per coniecturas, ſi ſint effectus ex cauſis: Aliquando verò cognoſcit futura per quamdam vim, & iſtinctum naturalem intrinſecum, vt quando quis præſagit aliquod ſibi futurum malum; & mæſtus efficitur; vel ſi euenturum ſit aliquod bonum, & lætatur antecedenter, tunc dicendum eſt, hoc euenire poſſe, non naturaliter, ſed potius per impreſſionem aliquarum cauſarum ſuperiorum; Vel virtute Dei, miniſterio Angelorum, ſicut in Prophetis accidit; Vel virtute Dæmonum, Deo permittente; Vel inſuper ex impreſſione corporum cæleſtium aliquando immutatur Phantaſia, vt fiant aliqua ſigna imaginatiua futurorum euentum, ad quæ ſe extendit virtus corporum cæleſtium. Vel tandem cognoſcit per ipſum lumen intellectuale, quod eſt in nobis, quod non eſt aliud, niſi quædam participata ſimilitudo hominis increati, in quo continentur rationes æternæ. Vnde *Dauid pſal. 4. n. 7.* ait *ſignatum eſt ſuper nos lumen Vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo. Idem ſanct. Anton. vbi ſup. tit. 3. c. 11. §. 5. in fin. Quantum autem lux iſta in mente noſtra efficiat, quæ ad imaginem Dei creata eſt, vid. Diu. Aug. in lib. de vera relig. & lib. 9. de trin. c. 6. & lib. 14. c. 15.*

53 Quæritur decimo octauò, Vtrùm anima neceſſariò ſeparanda ſit a corpore? Reſpondetur affirmatiuè, ex ineuitabili Dei decreto,

vt

vt ait *Diu. Paul. ad Hebr. c.* 9. *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*, & eccleſ. *c.* 9. habetur *Nemo eſt, qui ſemper viuat, aut qui huius rei habeat fiduciam*, & Dauid *pſalm.* 88. inquit: *quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem*? Vnde benè ait *Idem Diu. Paul. ad Roman. c.* 8. *qui proprio filio ſuo non peperit*, ad demonſtrandum, quod omnes neceſſitate mori debent, licet Dei filius ex voluntate mortuus fuit. Quia vt habetur *ad Roman. c.* 5. *n.* 12. *Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors* eſt etiam textus *in c. in Eccleſiaſtico* 13. *q.* 2. vbi expreſsè perhibetur hæc veritas. Quod ſi Adam non peccaſſet, vtique mors in Mundum non intraſſet, vt habetur *in Concil. Meleuitano c.* 1. & in *Concil. African c.* 76. & *Concil. Dioſpolit. c.* 1. in quibus dicitur, quod ſi Adam non peccaſſet, non fuiſſet mortuus; & in *cap. placuit vt quicumque de conſecr. diſt.* 4. quia peccando læſit, & ſeipſum, & totum genus humanum *vt in Concil. Arauſic.* 2. *c.* 2. & *dict. Concil. meleuit. c.* 2. *Dioſpol. c.* 2. & *Afric. c.* 77. Mors enim, ideſt ſeparatio animæ à corpore, eſt pœna peccati, vt *Geneſ.* 2. *n.* 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, & *cap.* 3. *num.* 19.

54 Quæritur decimo nono, Vtrum poſſit Homo abbreuiare, vel prorogare mortem, licet non poſſit euadere? Reſpondetur, quod regulariter homo neutrum ex his poteſt, vt habetur *in Iob. c.* 14. ibi: *Poſuiſti terminos eius*, ſcilicet vitæ, *qui præteriri non poterunt*; ideſt nec prolongari, nec breuiari, & *Dau. pſal.* 103. ait: *Aſcendunt montes*, ideſt homines, *& deſcendunt campi*, ideſt peccatores *in locum, quem fundaſti eis, terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur & cæt.* Attamen contrarium legitur *in ſac. ſcript. Eſai. c.* 38. de Ezechia Rege, cui ex parte Domini dixerat Eſaias; *morieris tu, & nõ viues*, & tamen vixit quindecim annos plus. Sed hoc euenit, quia pænitentiam egit. Adeoque probi Viri merentur prolongari in mundo; *vnde Eccleſ. c.* 3. habetur *Qui honorat patrem ſuum, viuet vita longiore*. E contra peccatores malè vtentes vita præſenti, merentur citiùs mori, iuxta illud *Luc.* 13. de ficulnea infructuoſa, cum Dominus dixit cultori *ſuccide eam, vt quid etiam terram occupat*? Vnde *Iob. ait. c.* 17. *Dies mei breuiabuntur*; & *Geneſ. c.* 6. Dominus dixit *Eruntque dies eius centum viginti annorum*, ſed quia homines abuſi fuerunt per peccata, abſtulit ab eis viginti annos, & ſic poſt centeſimum annum inundauit diluuium, quia pænitentiam agere noluerunt, vt habetur *in cap. prædixerat de pænit diſt.* 1. & *Hierem. c.* 28. habetur de Anania falſo propheta, quod mortuus fuerit ante tempus ibi: *Quia confidere feciſti iſtum Populum in mendacio, idcirco hoc anno morieris*



Digitized by Google

*rieris*. & ſic mortuus eſt, cum infinitis ferè alijs locis ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum, de quibus *Diu. Ioann. Chriſoſt. in matthæum homel.* 28. *Diu. Antonin. p.* 1. *tit.* 5. *c.* 1. §. 8. *& Nos dixim. lib.* 1. *p. vlt. c. vlt. verſic. ego autem conſulerem*.

55 Quæritur vigeſimo, An ſaltem poſſit ſcire homo tempus mortis? Reſpondetur negatiuè, vt habetur *Matthæi c.* 24. *n.* 42. cum Dominus dixit: *Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus Veſter venturus ſit & c.* 25. *n.* 13. ait: *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam*, Idem habetur *lucæ c.* 12. *n.* 40. *eſtote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet*, & Eccleſiaſt. *c.* 9. *nu.* 12. habetur *Neſcit homo finem ſuum, & cæt.* Noluit autem Deus mortis tempus clarè dare, ſed incertum eſſe. Primò, vt homo purius viueret, propter incertitudinem, quia vt inquit *tex. in cap. Numquid de pænit. diſt.* 1. qualem te inuenit Dominus, cum vocat; talem pariter, & iudicat ſecundò, vt operetur vtilius, & communius, quia ſi quis ſciret, ſe breui moriturum, à multis bonis deſiſteret, quæ alijs vtilia ſunt, vt ſibi ſoli vacaret, vt dixit *Diu. Thom. in ſum.* tertio vt conſeruetur humanius; ſi enim quis ſciret, ſe diù victurum, ſumeret vindictam iniuriarum; & Alij, ſi ſcirent, triſtitiam reciperent, vt *ait Diu. Antonin. p.* 1. *tit.* 5. *c.* 1. §. 9.

56 Quæritur vigeſimo primo, An omnes animæ Intellectuales poſt ſeparationem à corporibus, eodem in loco æqualiter collocandæ ſint? Reſpondetur negatiuè, cum ſacra ſcriptura *Ioan. c.* 5. *n.* 28. ibi: *Qui bona fecerunt, ibunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij, & 2. Chorint. c.* 5. *n.* 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*, & ad *Philippenſ.* 1. *n.* 24. *& Apocalypſ. c.* 14. *n.* 13. *ſcribe Beati mortui, qui in domino moriuntur; Amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos*, Et è contra in *text. c* 1. *de ſum. trin. & fid. Cath. & in Concil. Moguntin.* 4. *c.* 21. *& lib.* 2. *conſtit apoſtolic. c.* 2. habetur, quod qui peccat poſt baptiſmum, ſi non facit pænitentiam, damnabitur, *& ſapient.* 5. *Eſai.* 24. & Daniel 7. cum infinitis alijs ſacræ ſcripturæ locis, in quibus probatur, quod qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum. Animæ verò eorum, qui non moriuntur in peccato mortali, ad Purgatorium tranſeunt, & Paruulorum, qui poſt baptiſmum, ſine peccatis actualibus decedunt, in limbo collocantur; de quibus omnibus mox pauca prælibabimus, vt probatur *in cap. tempus* 13. *q.* 2. *per Diu. Auguſt. & Alios*.

57 Quæritur vigeſimo ſecundò. Quomodo anima ſeparata à corpore

pore præſentetur ante Dominum, poſt mortem? Reſpondetur Quod, qui benè moriuntur in gratia, & charitate, per Angelos bonos ad Ciuitatem ſupernam Paradiſi aſſociantur, vt habetur *Lucæ* 16. de Lazaro mendico; ibi: *factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*; Qui vero in peccatis moriuntur, trahuntur à malis Angelis, vt Doctores communiter aſſerunt, qui magno impetu, & violentia extrahentes animas à corporibus, illas deuorant, vt habetur *in lib.* 4. *Dialogor. Diui Gregorij*.

Cùm igitur anima ſeparatur à corpore in Charitate, ante Deum præſentatur, ad hoc vt iudicium Dei recipiat, ſecundum *pſalm.* 71. *Deus iudicium tuum Regi da*, & *Apoſt. Paul. ad Rom. c.* 14. *Omnes ſtabimus ante tribunal Iudicis Chriſti*, & 2. *Chorint.* 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*; in cuius conſpectu reddendæ ſunt rationes anteactæ vitæ, vt habetur *Matth.* 18. de Rege, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis; vbi ſtrictè iudicabitur anima rationem reddendo de bonis naturalibus, ſpiritualibus, temporalibus, de omiſſionibus, commiſſionibus, & cogitationibus, vt clarè ait *Apoſt. Paul.* 1. *Chorint.* 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* de quibus omnibus latè per *Diu. Anton. vbi ſup. p.* 1. *tit.* 5, *cap.* 2. §. 4. *per tot.*

58 Quæritur vigeſimo tertio. Quomodo apparebit anima, quæ in charitate ſeparata eſt, ante tribunal Chriſti? Reſpondetur, quod apparebit cum magno gaudio, & lætitia, propter bona opera, quæ geſſit, de quibus præmiabitur cum gloria æterna, vt habetur *ſapient. c.* 10. ibi: *Reddet Deus mercedem laborum ſuorum*, & *Geneſ. c.* 15. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. Nec poterit non eſſe in magna lætitia, & gaudio alia ratione, nam apparebit illi Dominus, non terribilis, ſed iucundus, & ſuauitate plenus, & cùm maxima ipſius delectatione ſententiam profert dicens: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui, vt Matth.* 25. intrans ergo in gaudium, replebitur illo, iuxta quod dixit *Eſai. c.* 60. *tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum*; hoc eſt lætitia ineffabili; & *Dau. pſalm.* 119. ait *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, & quidem verè gaudebunt, & exultabunt, nam dicit *Diuus Bernardus* de gaudio, quod habebunt electi in Gloria: *Illud eſt verum gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur: quod cum acceperis, nemo tollet à te*, ſcilicet gaudium æternum; cuius comparatione omne pulcrum, fœdum eſt; omne dulce, amarum: & omne, quod delectare poteſt in hoc mundo, eſt moleſtum. Erit



Digitized by Google

tandem Gaudium Animarum electarum in gloria Paradiſi perfectiſſimum : tum, quia videbunt Deum facie ad faciem apertè, ſicuti eſt, vt habetur *Ioan.* 1. *c.* 3. non per ſpeculum in enigmate, vt *Apoſt.* 1. *Corinth.* 13. in qua viſione conſiſtit tota gloria Paradiſi, quæ quanta, & qualis ſit, non valuit explicare Idem Apoſtolus, qui 1. *Corint.* 2. dixit: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Dominus diligentibus ſe; & Iſai. c.* 64. cum ait : *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, & cet.* tùm etiam, quia pulcritudo increata Dei præbebit ipſis lætitiam ineffabilem, iuxta *illud pſalm.* 20. *lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*; nam ſi delectabile eſt videre pulchritudinem creaturarum; quantò delectabilius erit videre pulchritudinem Creatoris creaturarum omnium; Inſuper erit perfectiſſimum gaudium, quia intelligunt æternitatem fælicitatis, & Gloriæ, vt *Ioan.* 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Pleniſſimum igitur erit gaudium Paradiſi, vbi rationalis pars videbit pulchritudinem; concupiſcibilis amplexabitur ſummam dulcedinem; Iraſcibilis tenebit totam quietem; totus homo æternam Beatitudinem; vt ait *Diu. Anton. ibid. p.* 1. *tit.* 6. *c.* 5. §. 3. *in fin.*

59 Quæritur vigeſimo quarto. Quomodo comparebunt animæ eorum, qui in peccatis moriuntur? Reſpondetur, quod Animæ prædictorum, quia damnantur, propter eorum finalem impænitentiam, vt definitum eſt *in Concil. Moguntin.* 4. *c.* 21. *& eſt text. in cap.* 1. *de ſum. trin. & fid. cath.* apparebunt horribiles, quia videbunt Dominum Ieſum Chriſtum, qui iudicabit illas; valde Iratum, & proferet ſententiam formidabilem, condemnans illas ad æternitatem pænarum Inferni, Ideo apparebit illis aſpectus eius, vt fulgur, & terribilis, vnde habetur *in Apocal. c.* 1. quod ex ore ſedentis in throno exibat gladius vtraque parte acutus, qui eſt ſententia ſeparans reprobos à bonis; quando dicet : *Mittite ergo in tenebras exteriores ligatis manibus, & pedibus*, & ſimiliter *Ite maledicti in ignem æternum. Matth.* 25. Et quia ex illa ſententia non datur appellatio, cum ſit Iudex ſuperior omnibus, magna vtique triſtitia cauſatur; quia appellatio datur ab Inferiori ad ſuperiorem, vt habetur 2. *q.* 6. *per tot.* Neque poteſt dici de errore intolerabili, vt habetur *in cap. Epiſcopi, & cap. iniuſtum* 11. *q.* 3. cum iuſtiſſima ſit, quia ab eo profertur, de quo dicitur, *in pſalm.* 10. *Iuſtus eſt dominus, & iuſtitiam dilexit.* Neque ſubornari poteſt Iudex, vt reuocet ſententiam, vel pecunijs, vel fauoribus, vt in mundo fit, vt *in cap. Epiſcopus præſbyter §. ad hoc reſpondendum* 11. *q.* 3. Vnde omni ſpe deſtituti mærorem,

Digitized by Google

rem, & mæſtitiam inenarrabilem habebunt.

60 Quæritur vigeſimo quinto. Quid ſit Infernus, in quo in æternum pænas patientur Animæ Damnatorum? Reſpondetur, quod Infernus eſt locus ſubterraneus in centro Terræ, vbi nullus radius ſolis reperitur, obſcuriſſimus, & fætore plenus, ſentina omnium mundi ſordium, qui locus eſt deputatus pro perpetuo carcere ſceleſtorum hominum, in pęnam eorum peccatorum, pro quibus in æternum, ſine fine cruciabuntur à Dæmonibus omni genere pænarum, & malorum exiſtentium, & imaginabilium; pro vt probatur in multis ſacræ ſcripturæ locis, vt *Iob. c.* 10. *Vadam, & non reuertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: terram miſeriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*; locus enim tam vilis, & infelix, eſt pæna acerbiſſima pro animabus ibi detentis, vt ait *Diu. Antonin. p.* 1. *tit.* 5. *c.* 3. §. 2. quia cognoſcunt fuiſſe creatas, propter Cælum Empyreum, & propter amorem mundi, vident ſe eiectas, & detruſas in centrum terræ; vbi *ſecundum Diu. Thom. ſup. Iob. vbi ſupra*, carebunt lumine, ideſt viſione Dei, iuxta illud *Eſai. c.* 6. *tollatur impius, ne videat Gloriam Dei*, quæ priuatio eſt pœna acerbiſſima, quia ſimul, ac anima ſeparatur à corpore, infunduntur ſibi ſpecies omnium rerum naturalium, ideo maiorem habet cognitionem Dei, qui ſummum bonum eſt, & ipſa videt ſe eo bono priuatam, quæ priuatio auget pœnam, *vt Diu. Chriſoſt.* ait. Inſuper cruciabitur anima damnata pœna Ignis, vt *Math. c.* 25. *n.* 41. *Diſcedite à me maledicti in Ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*, & *Iudith. c.* 16. *Dabit ignem, & vermes in carnes ipſorum*; quam pœnam patietur anima ſola, vſque ad diem iudicij; poſteà verò anima ſimul cum corpore. Ignis autem iſte infernalis eſt intolerabilior, & maior omnibus pœnis, & tormentis, quæ omnes Martyres in mundo paſſi ſunt, vt ait *Diu. Aug. in lib. de pænitentia, & tex. in cap. vlt.* §. *vlt. de pænit. diſt.* 7. Qui ignis, vt plus cruciet, non eſt lucens, ſed eſt mixtus fumo ita, vt animæ non videant per ipſum, niſi quod eſt ad maiorem eorum pœnam, & non indiget pabulo lignorum, cum peccata damnatorum ſint eius pabulum, & affligit ſine conſumptione, virtute Dei, vt habetur *Iſai.* 30. *quem DD. exponentes* hoc aſſerunt. Eſt, & alia pæna ſimiliter acerbiſſima, ſcilicet quod cruciabuntur animæ, ſine vllo refrigerio, quod aliquando illud tormentum finietur, quia ſciunt, nunquam finem habiturum. Vnde ſi poſſent gratiam à Deo obtinere, vt tot annis permanerent in Inferno, quot arenæ ſunt in mari, & quot ſunt guttæ aquæ eius, eſ-

ſet

Digitized by Google

ſet illis maximum leuamen. Neque erit illis refrigerium ſocietas aliorum, ſed augmentum pænarum, vt habetur *in cap. Multi in fin.* 2. *q.* 1. obſcuritas vlterius Inferni erit eis pæna grauiſſima, ſunt enim tenebræ exteriores, & interiores: Exteriores quidem, quia lumen ſolis illùc non peruenit, vnde *Matth. c.* 22. habetur *Mittite eum in tenebras exteriores*: Interiores verò, quia lumine gratiæ priuantur, licet remaneat lumen rationis, quod eſt ſynderesis contra malum commiſſum, ad maiorem pænam, & eſt ille vermis, de quo *Iſai. c. vlt. n. vlt.* ait: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Alia pæna erit ſocietas Dæmoniorum, qui ſunt deformiſſimi, & horridiſſimi aſpectus *vt Iob.* 20. & illi tormenta exhibebunt, vt *ait Diuus Gregor. in lib.* 4. *moralium,* qui multipliciter vexabunt. Vnde *Hierem.* 5. *ſeruietis Dijs alienis, & Iſai. c.* 9. dicitur *Habitantibus in regione vmbræ mortis & Apocal. c.* 6. habetur quod *ſedens ſuper equum pallidum, nomen illi mors, & Infernus ſequebatur eum*. Erunt tandem infinitæ ibi pænæ, & cruciatus, nam vt dicit *Dauid pſal.* 10. *n.* 6. *Pluet ſuper peccatores laqueos, Ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*, cum infinitis aliis tormentis vt *ſapient.* 11. *Ecclef.* 20. *& Iſai* 30. 33. *&* 34. *Ierem.* 9. *Malach.* 8. *&* 25. *Luc.* 13. *&* 16. *Apocal.* 14. 18. *&* 20 *Marc.* 9. Quæ omnia tormenta auget magna confuſio, vt habetur *Iob.* 10. ibi: *nullus ordo*: quia ſicut ordo rerum, cauſa eſt delectationis: ita inordinatio, & confuſio inducit maximam diſplicentiam. Quod intelligitur ex parte damnatorum, nam ex parte Dei eſt ſummus ordo, omnia enim, quæ à Deo ſunt ordinata ſunt, vt inquit *Diu. Paul. ad Roman. c.* 13. quia pænam dat, iuxta menſuram peccati, vt habetur *Deuteron. c.* 25. & ordinatiſſimè procedendo, puniet ſuperbos cum ſuperbis, auaros cum auaris, luſurioſos cum luſurioſis, & ſic de reliquis, quod expreſsè habetur *Matth. c.* 13. vbi dicitur per parabolam; *Colligite zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum*. Erit igitur ordo in pænis infligendis, quia grauior pæna dabitur ei, qui grauiora, & diuerſa peccata comiſit, quam ei, qui minora perpetrauit, iuxta illud *Apocalypſ. c.* 18. ibi: *Quantum glorificauit ſe in delicijs ſuis, tantum date ei tormentum, & luctum.* Similiter erit ordo, nam per quæ quis peccauit, per hæc, & torquetur, vt habetur *ſapient. c.* 11. nam peccauit homo per creaturas malè illis vtendo, & ideo per eaſdem affligetur, iuxta illud *c.* 5. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos & Dau. pſalm.* 10. *Ignis grando, nix, Sulphur, & ſpiritus procellarum,* quia vt habetur *Iob c.* 21. & explicat *Hugo Cardinalis* miſeri damnati tranſibunt cum inexplicabili, & maximo eorum cruciatu de tor-

mento

Digitized by Google

mento ad tormentum, ab exceſſiuo frigore niuium, ad exceſſiuum calorem Ignis, & *Apocal.* 18. *In illa die venient plagæ eius, mors luctus, fames &c.* & *Sanct. Aug. epiſt.* 211. *ad Iulianum* ait: *Væijs, quibus præparatur dolor vermium, ardor flammæ, ſitis inextinguibilis, fletus, ac ſtridor dentium, oculorum lachrymæ, tenebræ exteriores, &c* Multis aliis pœnis affliguntur, & cruciantur infælices animæ in Inferno, quas qui cupit ſcire, adeat *P. Reginaldectum in opere inſcripto, ſpeculum finalis retributionis*; Nec non *Diu. Antonin. in* 4. *p. tit.* 14. *c.* 5. *per tot.* & 5. Baſil. Magn. *in pſalm.* 33. de quibus etiam *Virgilius, licet Ethnicus lib.* 6. *aeeid.* illis verſ. ait.

*Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,*
*Ferrea vox omneis ſcelerum comprehendere formas.*
*Omnia pænarum percurrere nomina poſſem.*

Tandem ſciendum, quod Animæ varia tormenta patientur à Dæmonibus diuerſis in locis, quia in Inferno ſunt nouem carceres, in quibus ſunt dæmones, qui ex nouem choris Angelorum ceciderunt, in quibus locis tormenta exhibent animabus, ſecundum eorum peccatorum grauitatem, vt ait *Vincentius in ſuis collectionibus relat. à Caſſan. in Cat. Glor. Mund. p.* 3. *conſ.* 17. *in fin.* Sed eſt notandum, quod non omnes Dæmones cruciantur in *Inferno*, nam *Diuus Bonau. diſt.* 6. *art. q.* 1. *lib.* 2. *cum Alex. de Haleſ. in* 2. *vol. ſum. q.* 96. ait quod quædam Dæmonum multitudo habitat in Aere caliginoſo, ideſt in ſecunda regione aeris, vbi pænam ignis ſuſtinent, quod, & *Diu. Aug. innuit lib.* 8. *de Ciu. Dei cap.* 22. & *lib. de Agone Chriſtiano ac alibi.*

61 Quæritur vigeſimo ſexto, An Animæ tentationem aliqnam patiantur tempore mortis, vt in damnationem inducantur? Reſpondetur affirmatiuè, ex multis ſacræ ſcripturæ locis, & ex ſanctis Patribus aſſerentibus, quod in ſeparatione animæ à corpore ſuperuenit multiplex bellum, quod in figura Dominus Ieſus inſinuauit *Lucæ* 19. *Circumdabunt te Inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram proſternent te, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ*; quo in loco *Gregor. ſanct. in Homel.* ait, quod Diabolus aggredietur hominem in fine vitæ magno conatu, cum ſciat non remanere ſibi plus temporis ad ſeducendum, & tentandum, & hoc eſt, quod Dominus figuraliter dixit *Geneſ.* 3. *Tu inſidiaberis calcaneo eius*, ideſt in fine vitæ; vnde *Dauid pſalm.* 16. ait *Inimici mei anima meam circumdederunt; adipem ſuũ concluſerunt: os eorum locutum eſt ſuperbiam* quem locum exponens *Diu. Ant. p.* 1. *tit.* 5. *c.* 2. §. 1. *ait: Inimici noſtri maximi ſunt Dæmones, & hi Animã vallo circumdant, cum peccata commiſſa, ante mentem*

*ponunt*

*ponunt, adipem ſuum concludunt, quia abundantem malitiam ſuam in animam includere quærunt. os eorum loquutum eſt ſuperbiam, dum videlicet de infidelitate, vel de deſperationis crudelitate, vel de confeſſionis taciturnitate morientem tentat*: cum enim ſciat Diabolus, quod dubius in fide, Infidelis *eſt cap. dubius de hæret.*& ſine fide, impoſſibile eſt placere Deo. *Apoſt. ad Hebr.*11. ideo conatur inducere hominem ad dubitandum de fide, & hoc eſt, quod docemur *Apocal.* 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Si autem viderit, quod in hac tentatione non potuerit ſuperare, aggreditur Diabolus animam alia tentatione maiori, ſcilicet deſperationis, quæ vt dicitur 2.*Reg.c.*2.& certè periculoſa eſt deſperatio, imo nil periculoſiùs, cum qua induxit Cayn ad Infernum, vt *Geneſ.*4.dicens *maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*, & Iudas ſimiliter dicens, *vt Matth.*27. qui laqueo ſe ſuſpendit. Quam tẽtationem etiam ſanctiſſimis Viris exhibet aſtutiſſimus Inimicus noſter, vt legitur in vita Sancti Martini, Bernardi, &c. Aliquando ſe transformat Diabolus in Angelum lucis, & ſimulatè conſulit taciturnitatem alicuius peccati, vel ad non reſtituendum, taciturnitas enim eſt effectus ſuperbiæ, vt dicitur *in c. quis aliquando* §.*taciturnitas de pænit.diſt.*1. Aliquãdo incitat cõſanguineos, & amicos ad tentandum; de quibus *Michæas Proph.c.*7.ait *Inimici hominis domeſtici eius*. Cauendum eſt igitur, ne in tentationem incidat anima tua, inuocando ſæpè auxilium Dei, Beatiſſimæ Virginis, ac ſanctorum, Angelique cuſtodis tui, cum non ſolum prædictis, ſed alijs multis tentationibus conetur animam perdere communis inimicus noſter Diabolus.

62 Quæritur vigeſimo ſeptimo. Cur ob vnicũ peccatum mortale, quod ferè momentaneum eſt, detur pæna æterna? Reſpondetur quod Deus ſummè iuſtus pænam æternam decreuit animæ peccatrici mortale peccatum perpetranti, licet ſit quodammodo breuiſſimum, & momentaneum; multis de cauſis, & iuſtiſſimis quidem rationibus. Primò, quia, vt inquit *ſanct. Doctor. lib.*3. *contra gent. c.*144. actio peccati, quamuis, ſecundum ſe ſpectata, breuiſſimo tempore duret: nihilominus, ſecundum affectum eorum, qui mortaliter peccarunt, protenditur, quaſi in totam æternitatem; quia ſequendo creaturas, & relinquendo Creatorem, voluiſſent illis vti in æternum, quantum inſecerat. ſicque voluntas illorum perpetua fuit ad inordinatam fruitionem; voluiſſent enim ſemper viuere Iniqui, & ſine fine, vt potuiſſent ſine fine peccare, vt apertis verbis innuit. *Diu. Greg. lib.*4. *Dialog. c.* 44. dicens *Ad magnam iudicantis iuſtitiam pertinet, vt nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita numquam voluerunt*



Digitized by Google

*runt carere peccato, eſt tex. in cap. voluiſſent de pænit. diſt.* 1. Quandoquidem mortaliter peccans conſtituit ſe inabilem, vt poſſit ex ſe, abſque ſpeciali Dei auxilio, reſurgere ex eo in æternum. Vnde ſequitur, quod volens peccare, vult conſequenter in æternum manere in peccato, ergo iuſtè à Deo pæna æterna ſuæ voluntati correſpondente puniri debet. Secundo propter atrocitatem peccati; nam vt ait *Diu. Auguſtin. lib.* 21. *de Ciu. c.* 12. *Ille dignus eſt æterno malo, qui hoc in ſæculo peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum*; quia nõ obſeruando præcepta Dei, ex quorum obſeruatione promittitur vita æterna vt habetur *Matth.* 19. certè redditur dignus pæna æterna, cum potius adhærere voluerit fruitioni mali temporalis, quam boni æterni; præponendo enim bonum finitum minimum, vt ſunt honores, voluptates, diuitiæ, & cætera huiuſmodi amaritudinibus mixtæ: ſummo bono infinito, vt eſt Deus, ſine amaritudine, vt habetur *ſap.* 8. infinitè quidem errauit, & ideò infinitè puniri debet; *Diu. Anton. p.* 1. *tit.* 5. *c.* 3. §. 2. *verſ. quarta ratio.* Tertio propter qualitatem offenſæ, quia pæna peccati taxatur, ſecundum dignitatem eius, inquem peccatur, vt ait *Diu. Th. in ſupplem. q.* 99. *art.* 1. Quod eſt etiam ſecundum leges canonicas, & ciuiles, quæ pænas infligunt, ſecundum menſuram delicti *cap. non afferamus ſtatheras* 24. *q.* 1. *l. Sancinus C. de pænis. Inſtit. de iniur.* §. *atrox.* Ideo maiori pæna plecti deberet, qui Principem, vel alium in dignitate conſtitutum percuteret, aut alapam ei impingeret, quam ſi alicui alteri priuato homini eamdem iniuriam faceret. Vnde qui mortaliter peccat, offendit Deum; qui eſt ſummæ maieſtatis, & excellentiæ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, & ſic quantum in ſe eſt, ſummam eius honori, & dignitati infert iniuriam, dum per peccatum conſtituit vltimum finem in creatura: ergo ratione obiecti, in quod peccauit, quod eſt infinitum; creatura, quæ eſt finita, meretur pænam infinitam, quam cum in ſe ferre non poſſit, ſecundum intenſionem acerbitatis infinitæ, quia ſic conſumeret naturam; ideo neceſſe eſt, vt ſit infinita, ſecundum extenſionem, ideſt durationem temporis, ad hoc vt pæna correſpondeat culpæ *DD. præcit.*

63 Quæritur 28. An Animæ damnatorum ante, & poſt Iudicium vniuerſale videant aliquando Deum, Angelos, vel ſanctos? Reſpondetur cum *Diu. Thom. in* 4. *ſentent. diſt.* 50. quod vſque ad diem Iudicij videbunt animas Beatorum, eorumque gloriam in vniuerſali, non in particulari, per modum cognitionis, non viſionis, quod quidem auget illis pænam, vt habetur *ſapient:* 5. *n.* 2. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Poſt iudicium verò omni-

nò priuabuntur viſione Beatorum. Quod docet etiam *Magiſt. ſent. in 4. diſt.* 60. Si enim animæ Inferni viderent Deum clarè, non ſentirent pœnam, quia viſio Dei eſt fælicitas Beatorum, vt ait *Diu. Aug. in fin. lib. de Ciuit. & in Enchir. c.* 34. Et è contra ſi eſſet in cælo vna ex ipſis, & non videret Deum, nullam haberet felicitatem; Ex viſione Dei clara recipiunt Beati omnia bona; Dannati verò e contra ex priuatione viſionis recipient omnia mala contraria ipſis bonis, de quibus *Diu. Anton. p.* 4. *tit.* 14. *c.* 5. §. 10.

64 Quæritur 29. An Animæ damnatorum poſſint aliquo modo iuuari? Reſpondetur negatiuè, cum *ex Iob.* 10. *nulla ſit redemptio.* Ratio autem dubitandi eſt ex illo, quod *Diuus Auguſt. ait in Enchirid. quod eſt in cap. tempus* 13. *q.* 2. in fine: *Quibus autem proſunt* (ſcilicet ſuffragia) *aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio: aut certe vt tolerabilior ſit ipſa damnatio*; Ex quo loco quidam hæretici ſumpſerunt occaſionem dicendi, damnatorum pœnam minui per ſuffragia viuentium; quod non poteſt admitti, cum ſit hæreticum aſſertum, vt ait *Diu. Thom. in* 4. quia, ſi hoc eſſet per multiplicationem ſuffragiorum liberarentur Animæ de Inferno, vt dicit *Gloſ. in dicto cap. tempus*, quod non eſt dicendum. Diuus autem Auguſtinus non intellexit de Animabus Damnatorum, ſed de his, qui in Purgatorio ſunt, qui largo modo dicuntur damnati, ideſt condemnati; dicitur enim quis damnari, cum deputatur ad pœnam. Igitur concludendum eſt, damnatorum animas priuari in Inferno omnibus ſubſidijs, à Deo, ab Angelis, à Sanctis, à Conſanguineis, ab amicis, ab Eccleſiæ ſuffragijs, à bonis peractis, à locis ſacris, & à quibuſcumque, quia pænitere non poſſunt, *ideo Dauid pſalm.* 111. ait: *non dabit Deo placationem ſuam*, nam vt ait *Diu. Damaſcen. & Diu. Anton. p.* 4. *cap.* 6. *tit.* 14. §. 11. *quod fuit Angelo caſus, hoc homini mors, ſicut enim Angelus ex primo lapſu factus fuit inconuertibilis ad Deum; ita homo moriens in mortali, factus eſt inconuertibilis ad pænitentiam.* Secunda ratio dubitandi præbuit hiſtoria Traiani Imperatoris, de quo dicitur, & veriſſimè, quod poſt trecentos annos liberatus fuit de Inferno præcibus Diui Grægorij, de quo facto librum integrum ſcripſit ſatis benè *Pater Alphonſus Ciacon.* & habetur *in legenda Diui Gregorij*, & de eo mentionem facit *Benedict. in repetit. cap. Raynutius in verſ. & vxorem nomine Adelaſiam. n.* 602. *de teſtament. Luc. de Penn. in l.* 2. *in* 3. *col,* C. *de exactorib. trib. l.* 10. *Ioan. Faber in proem. Inſtitut. & Alij*; licet quibuſdam durum fuit creditu factum prædictum, inter quos *Soto. in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 2. *& Cano lib.* 3. *locor. Theologicor.* ſed tamen reſpondendum eſt cum

*Diu.*

Digitized by Google

*Diu. Th. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 5. ad 5.* Vel quod Traianus non fuit finaliter damnatus, ſed præcibus Beati Grægorij ad vitam reuocatus, gratiamque, & peccatorum remiſſionem conſequutus; tandem mortuus ſalutem adeptus fuit, & à pænis Inferni immunis euaſit; Vel quod pæna illius in Inferno ſuſpenſa fuit vſque ad diem Iudicij, & id Diuum Gregorium ſuis præcibus à Deo obtinuiſſe. de quo legendus eſt *Diu. Th. in 1. diſt. 43. q. 2. art. 2. ad 5. & in quæſtionib. de veritate q. 6. art. 6. ad 4.* Nec audiendus eſt *Abulenſis in 4. lib. Regum q. 57.* vbi dicit, Diuum Gregorium mortaliter peccaſſe, dum orauit pro Traiano damnato, & propter hoc peccatum fuiſſe dolore ſtomachi percuſſum; Quia ſicut Apoſtoli, Beatus Martinus, & Alij ſancti orauerunt pro alijs mortuis, vt ſaluarentur, & eorum præcibus reſuſcitati, ſaluati ſunt: ita & Diuus Gregorius: non quidem vt immediatè ex Inferno ad Paradiſum ducerentur, ſed vt ad vitam reuocati pænitentiam agentes, & in gratia Dei, ſine peccato è vita decedentes, ad cælum euolarent.

65 Quæritur 30. An Papa poſſit aliquem ad Infernum condemnare de ſua poteſtate ordinaria? Reſp. negatiuè cum *Diu. Anton. p. 1. tit. 22. c. 5. §. 19.* Licet enim Papa aliquid habeat cum Deo commune, & poteſtas eius ſit ſupra homines, quamuis Ipſe ſit homo, cum maior ſit omnibus, & ſit omnia, & ſuper omnia - *Abb. in quæſt. 1. col. 3. poſt princ. in Proœm. Clement. vbi Gloſ. in verb. Papa*: Tamen non poteſt ad Infernum damnare quemquam cauſaliter, vel occaſionaliter ex parte poteſtatis, vel voluntatis Papæ, niſi occaſione accepta per inobedientem, non per Papam data, ex parte oſtinationis, & contumaciæ in tranſgrediente ipſius mandata. Quidquid dicat *Auguſtin. de Anchon. in c. In nomine Domini diſt. 23.* Ex eo, quod Nicolaus Papa ibi decernit contra eos, qui In electione Pontificis aliquid moliuntur, contra formam conſtit. prædictæ, *In §. quod ſi quis contra*, Illis verbis: *Perpetuo anathemate cum ſuis authoribus, & fautoribus, & ſequacibus à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeparatus abijciatur, ſicut Antichriſtus, &c.* Et inferius. *Perpetuo anathemate, atq; excommunicatione damnentur, & cum ipſis, qui non reſurgent in iudicio, reputentur, &c.* Nam reſp. quod Pontifex loquitur per modum imprecationis, zelo diuinæ iuſtitiæ: quod ſimiliter fecerunt multi Sancti, vt in Sacra Scriptura habetur vel loquitur per modum præmonitionis, & prænunciationis, quod; ſi contrauenient, & contempſerint eius mandata, incident in excommunicationem, & ſi in ea mori illis contigerit, abſque pænitentia, eueniet procul dubio damnatio, ſic enim, & non aliter intelligendus eſt textus iſte, cum traſgreſſores illius præcepti, ſicut

& aliorum; poſſint ad pænitentiam reuerti, & ſic euadere damnationem. Quod eſt omnibus Prælatis commune, qui poſſunt ſubditos hoc modo ad infernum mittere, nimirum præcipiendo aliquid cum excommuhicatione, ex cuius trangreſſione, contemptor damnabitur, ſi non pæniteat; cuius damnatio non eſt imputanda ſuperiori, ſed malæ diſpoſitioni, & voluntati inferioris ſubditi, qui præcepto ſuperioris non obediuit. *D.D.cit.*

66 Quæritur 31. Quid ſit Purgatorium animarum, abſque mortali peccato decedentium? Reſp. cum *Diu. Gregorio in 4. Dialogor.* Quod eſt locus In viſceribus, quoque Terræ, ſicut Infernus, ſed ſupra Limbum, (de quo mox dicemus) quo in loco purgatur Animæ fidelium, quæ in charitate, ſine mortali, moriuntur, ſi in præſenti vita Diuinæ Iuſtitiæ pro peccatis commiſſis plenè non ſatisfecerint: Ad tempus tamen ibi detinentur; poſt purgationem verò in Cælum aſcendunt, ad Dei fruitionem perfectè gaudendam, in qua conſiſtit perfecta fælicitas Paradiſi. Ideo *Dauid Pſal.* 65. ait *Tranſiuimus per Ignem, & Aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Quæ veritas *In Concilio Florentin. ſeſſ. vlt. in litteris vnionis* Definita fuit, & *in Concil. Senonenſi. c.12. Trident. ſeſſ. 25. de Purgator. & Innocent.4. in conſtit.* 14. *quæ incipit: ſub Catholicæ.*

Pænæ Purgatorij, excedunt infinitè omnes quaſcumque alias pænas, etiam imaginatione atrociores præſentis vitæ, vt habetur *in cap. qui in aliud 25. diſt.* Sunt tamen pænæ ad tempus, vt tradit *Dictum Concilinm Senonenſ. vbi ſup.*, & *Concil. Trid. præc. ſeſſ. 25. in decret. de Purgator.* Patiuntur tamen animæ etiam pro peccatis venialibus læuiſſimis. *Gloſ. in cap. qualis 25. diſt.* Pænæ autem, quibus cruciantur, ſunt *pæna ſenſus*, Præſertim Ignis materialis affligens; & *pæna damni*, Quæ conſiſtit in priuatione viſionis Dei. Sunt, & aliæ pænæ, vt aſpectus Dæmonum, conſideratio negligentiæ ſubuentionis conſanguineorum, & aliæ multæ, licet ad tempus.

Ignis igitur qui animas in Purgatorio exiſtẽtes cruciat, eſt matelis, & eſt idem in ſubſtantia cum Igne Inferni; vnde dicit Diuus *Gregor. vbi ſup. q.* 131. quod ſi immitteretur palea in illo, fumigaret, & Aurum rutilaret; & licet non ſit æternus, vt Infernalis, exceſſiuè, tamen affligit, & eſt maior eius afflictio omni alia pæna huius Mundi, vt habetur *In c. vlt. §. vlt de pænit. diſt. 6. & dict. c. qui in aliud*; Ita ut ille Ignis, quo nos vtimur, reputetur ignis pictus, reſpectu illius, vt dicit Sanctus Bernardinus infra citandus, & licet ignobilius, ideſt corpus non agat in nobilius, ideſt ſpiritum, tamen ille ignis agit in animas, non naturaliter, ſed vt inſtrumentum diui-

næ iuſtitiæ: affligendo illas modo à nobis incompræhenſibili, cum ſit materialis, & cruciet animas immateriales, miris, ſed veris modis, vt ait, *Diu. Aug. lib. 21. de Ciuit. c.* 10. Alia pæna atrociſſima, quæ pæna damni dicitur, eſt priuatio viſionis Dei, cū enim poſt ſeparationem à corpore animæ perfectiſſimè cognoſcant, Deum eſſe ſummum bonum, in quo ſolum quietem inuenire poſſunt, magnopere ipſum videre cupiunt; experientes autem, quod non poſſunt, & ſi ad tempus, maximè dolent. Vnde *Dauid Pſal.* 41. ait *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum quando veniam, & apparebo ante faciē* Domini; Ideo dicitur in *Prou. c.* 13. *ſpes, quæ differtur, affligit animā.* Deſiderant enim videre, quia ipſum intenſiſſimè diligunt, ideo maius tormentum recipiunt ex illius dilatione, vt ait *Diu. Th. in 4. diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 2. Quia quanto plus diligitur, plus deſideratur. Alia pæna ſenſus. Demoniorum aſpectus eſt, qui animas cruciāt ſua tantum præſentia, irridentes illas, non tamen torquendo, ſicut faciunt in animas damnatas, cum animæ purgantes fuerint eorum victores ſuperando illas in tentationibus, *Diu. Thom. in 4. ſent. diſt.* 20. *art.* 5. Imò *Idem Sanctus Doctor cum Diu. Bonau.* & Aliis aſſerit probabiliter in Purgatorio non eſſe Dæmones tortores, ſed ſola Diuina Iuſtitia, igne mediante torquet animas ibi exiſtentes; licet Cardi*nal. Bellarm. in lib. 2. de Purgator. tom.* 2. *c.* 13. contrariam ſententiam teneat, quod hoc certum non ſit, ſcilicet animas Dæmones non videre. Piè tamen creditur, quod quandoq; Angeli boni illas confortant, & viſitant. *Diu. Anton. p.* 1. *tit.* 5. *c.* 5. §. 1. Alia pæna ſenſus eſt conſideratio negligentiæ ſuorum conſanguineorum, & amicorum, qui tenentur illis ſubuenire, ſaltem ex charitate. Vnde *Iob. c.* 19. dicitur *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei*; Petunt enim ſpiritualem eleemoſinam, cū ipſæ non poſſint ſe iuuare; ideò conſanguinei, & alij, qui legata à defunctis facta non adimplent, haberi debēt, tamquam pauperem necatores adeoque excommunicandi, vt habetur in *Text. cap. qui oblationes* 1. *&* 2. *in* 13. *q.* 2. Sunt, & aliæ pænæ in Purgatorio adeo atroces, vt *Diuus Bernardin. Senen. in lib. de nom. Beat. Virg. ar.* 2. *c.* 3. *ſuper illud Girum. Cœli circuiui ſola*, aſſerat excedere omnia tormenta Martyrū, imò ipſius Domini Noſtri Redemptoris Chriſti; cuius rationem reddit *Diuus Thom. in* 3. *p. q.* 6. *ar.* 6. *ad* 4. Quia pæne alterius vitæ ſunt ſuperioris, & eminentioris ordinis, quam quælibet atrocior huius Mundi, *Et in* 4: *diſt.* 21. *art.* 1. aliam aſſignat rationem ſcilicet, quod cū anima ſit purus ſpiritus, ſenſus eſt acutior corpore, vnde ſequitur quod atrocius ſentiat dolorem, *& Diu. Cyrill. in Epiſtola inter oper.*

*S. Hie-*

Digitized by Google

*S.Hieron.tom.9.* Ait, loquendo per litteras Diuo Auguſtino de tribus mortuis reſuſcitatis contactu habitus Diui Hieronymi, quod mallet quilibet viuentium, ſi purgatorij experientia noſceret pœnas, vſque ad finem Mundi, abſque remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam huc vſque ſigillatim pertulerunt, quam vno die in Purgatorio, minori, quæ illic habetur, pœna, torqueri. Quod licet videatur exaggeratio, eſt tamen veritas infallibilis, cui adhærens *Diu. Aug.ſerm. 41.de Sanct. ait Purgatorij ignis durior erit, quam quidquid poteſt in hoc ſæculo pœnarum videri, aut ſentiri, aut cogitari.* Illius atrocitatem explicauit, quanta ſit, ad ſimilitudinem *Diui Paul. 2.Chorint 2.n.9.* Gloriam paradiſi narrare volentis, quæ cum ſit ineffabilis ait; *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, etcet.* Licet autem diuerſis pœnis crucientur Animæ, maior tamen omnibus eſt pœna damni incomparabiliter cum quibuſcumque pœnis ſenſus, itaut *Diu. Chryſoſt. de reparat. Lapſ.* aſſerat *Pone hic vnam ſolam pœnam damni, & pone hac ex parte centum Ignes inferni, maior eſt hac ſola pœna damni, quam ibi centum ignium inferni.*

Pœnæ Purgatorii, ſecundum *Bedam, & Alios, quos refert Bellarmin. lib. 2.de Purgatorio c.7.& Diu. Anton.p. 3. tit. 32. c. 1.§. 2.* ſunt diuerſi gradus, ſecundũ diſparem animarum ſtatũ. Aliæ enim longè minus aliis torquẽtur; Aliæ multò grauius; Aliæ verò nullum alium dolorem ſentiunt, niſi dilationem fælicitatis, ſecundum debita eorũ.

Sũſtinent autem pœnas, quæcumque illæ ſint, magno cum gaudio, & lętitia; ſciunt enim iuſtè ſe pati, nec aliter ad æterna gaudia, ad quæ certa ſpe aſpirant, peruenire poſſe; & cum ſint in gratia, libentiſſimè pœnas ſuſtinent, vt habetur *Iob. 19.& ſapient 3. ſpes illorum immortalitate plena eſt. Diu. Anton. vbi ſup. Aut. Mar. lib. 11.cap. 44. in fin. & alij præcit. DD.*

67 Quæritur 32. An Animæ Purgantes ſint certæ de ſua ſalute æterna? Reſpondetur affirmatiuè, *Vt habetur in conſtitut. 49. Leonis X. qua incipit: exurge. Edita contra errores Lutheri.* Ratio eſt, quia ſecundum *Diu. Thom. in 4. diſt. 21. q. 10. ar. 3.* remanet in illis ſpes Theologica, & conſequenter fides, ex qua cognoſcunt certiſſimè ſe eſſe ſaluandas, eò quod ſint in Purgatorio, non in inferno; & inſuper cognoſcunt ſe eſſe in loco tuto ex dictamine propriæ conſciẽtiæ, amando Deum ſuper omnia; & ipſum odio non habent; imò potius intenſiſſimè diligunt, ſcientes quod iuſtè puniat, & ſunt adeò confirmati in gratia, & conformes ſuæ voluntati ſanctiſſimæ, & prompti ad ſe purificandum, vt etiam ſi poſſent ſe eximere, adhuc nollent, ne comparerent ante Diuinum conſpectum cum aliqua

macula,

Digitized by Google

macula, vt ait *Sperell. in Parenes. Teleturgic c.* 65. §. 1. Cognoſcũt etiam ex eo, quod non audiunt ab aliis animabus ſecum detentis Deum blasphemari, vt fit à reprobis in Inferno, ſed potius laudari; vt ait *Gammach. de Purgator. c.* 3. *& vlt.* & *Bellarm. lib.* 2. *de Purgat. c.* 4. licet contrarium teneant *Dionyſ. Carthuſian. lib. de quatuor nouiſſimis art.* 47. *& Michael. Bai. lib* 2. *de meritis operum c.* 8. aſſerentes grauiſſimam illarum animarum pænam in eo conſiſtere, quod nullam ſuæ ſalutis habeant certitudinem, ſed quaſi dubiæ teneantur ex occulta iudicij Diuini diſpoſitione; communis tamen ſententia Theologorum eſt, quod cognoſcunt ſe eſſe omninò ſecuras de ſua ſalute, *ut ſupra cit. DD.* aſſerunt:

68 Quæritur 33. An poſſint Animæ Purgatorij à viuentibus iuuari, & à pænis liberari? Reſpondetur affirmatiuè, & quidem de fide habetur *in Concil. Senoneſ. cap.* 12. *Concil. Florentin. ſeſſ. vlt. in litteris vnionis ſub Eug. quarto contra errorem Græcor. & Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *decret. de Purgator.* in quibus quam plura ſacræ ſcripturæ teſtimonia adducuntur de iſta veritate.

Quatuor autem ſunt genera ſuffragiorum, quibus animæ prædictæ iuuantur, vt habetur *in cap. Anima* 13. *q.* 2. Aut enim ſoluuntur à pænis purgatorij Oblationibus ſacerdotum; Aut præcibus ſanctorum: Aut charorum eleemoſinis: Aut cognatorum ieiunio. Præcipuus igitur modus eſt, cùm pro ipſis miſſæ ſacrificium offertur: vt deciſum reperitur *in Concil. Trid. loc. cit. & cap. non æſtimemus* 13. *q.* 2. Ideo Eccleſia in miſſa pro mortuis orat: *Domine Ieſu Chriſte libera animas omnium fidelium defunctorum*; Scilicet qui fuerunt verè fideles, & merito, & numero; vt exponit *Diu. Anton.* 1. *p. tit.* 5. *c.* 6. §. 3. de pænis *Inferni*, ideſt *Purgatorij*, Idem tradit *Diu. Gregor. in* 4. *Dialogorum c.* 55. Eleemoſinæ ſimiliter multum proſunt; vnde habetur *Daniel.* 4. *Peccata tua eleemoſinis redime*, quod exponitur, non ſolum in hac vita; verum etiam in Purgatorio per amicos, & Charos quia ipſæ animæ non poſſunt per ſe ipſas, cum ſint in ſtatu, in quo non poſſunt neque mereri, neque demereri; ideo donec alter ſatisfaciat pro ipſis, ſemper in pænis manebunt, ſecundum tempus debitum, vt habetur *Matth.* 5. *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem*; quem locum exponunt Sancti Patres, per ſe, vel per alios ſuffragantes: Ideo ſanctus Iudas Machabæus collatione facta duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorũ, vt habetur 2. *Machab,* 12. (quilibet eſt inter Canonicos, vt habetur *in cap. ſancta Romana* 15. *diſt.* quidquid hæretici in contrarium aſſerant.) Alter modus, quo iuuantur

uantur, ſunt ſanctorum Interceſſiones, & præces, quæ intelligi debent, non ſolum de his, qui ſunt in Patria, ſed etiam de iuſtis viatoribus, qui orant pro ipſis, vt ait Idem *Diu. Anton. p. 3. tit. 32. cap. 2. §. 1.* Tandem iuuantur ieiunijs amicorum, & fidelium, eorumque vigilijs, abſtinentijs, peregrinationibus, ratione laboris ibi tolerati; macerationibus quoq; corporis, per diſciplinas, vel aliud opus afflictiuum; orationibus, & indulgentijs pro ipſis applicatis, & huiuſmodi, *vt tradit Diu. Thom. in 4. ſentent. & Diu. Anton. ibid.*

69 Quæritur 34. An prædicta ſuffragia proſint animabus prædictis, ſiuè per bonos, ſiuè per malos fiant? Reſpondetur cum *Diu. Thom. in 4. ſent. diſt.* 45. quod ſuffragia facta per malos miniſtros aliquo modo valent, aliquo verò non; triplici enim modo fiunt. Primo velut per ſe, & ſic non proſunt, niſi per accidens, vt ſi malus facit eleemoſynam, & per illam pauperes orant pro defunctis. Secũdo velut miniſter Eccleſiæ, & Dei, & tunc valẽt; vnde Sacerdos malus celebrãs Miſſam pro Defunctis, valet Miſſa. tertio poſſunt fieri per malos, vt per miniſtros priuatos alicuius perſonæ priuatæ de ipſius mandato, & tunc ſi mandans, ſit in gratia, ſiue viuus, ſiue defunctus ſit, proſunt ſuffragia, quia nomine mandantis facit; melius tamen eſſet, ſi etiam miniſter eſſet in gratia. *Petrus verò de Palude in 4. ſent. diſt. 45. q. 1.* aliter diſtinguit, dicit enim ſuffragia quinque modis fieri: Primo ex *opere operato*, Et ſic valet Miſſa tantum boni, quantum mali Sacerdotis, etiam ſi celebrans ſit in peccato mortali, quia Deus non minus iuſtos, quã peccatores exaudit, vt ſacrificium eſt, quod independenter ſe habet à Sacerdote bono, vel malo; vberiorem tamen fructum haberet miſſa conſequenter, ſi celebrans eſſet in gratia, cum plus iuſtos, quam malos exaudiat. *Ita Diu. Thom. in 3. p. q. 82. art. 6. Sot. in 4. diſt. 13. q. 1. art. 6. Barthol. ab Angelo dialog. 5. §. 735.* & *Bonacin. tom. 1. de Sacram. Euch. diſp. 4. q. vlt. punct. 6. n. 3.* Secundo modo dicit *Petr. de Pul.* fiunt ſuffragia ex *opere operante* vniuerſalis Eccleſiæ, tunc licet miniſter ſit malus, valent quoque. Tertio modo ex *opere operante* eius, qui rogat, vel mandat pro ſe fieri: ſicut ſi dominus facceret per malum ſeruum; & ipſe bonus ſit, & tunc etiam valent, quia inſtrumentaliter ſe habet, non principaliter. Quarto modo fiunt ex *opere operante* alterius mandantis, qui ſit exequutor, & tunc etiam valent, de quo exemplum habetur in *cap. Vbi periculum. de electìon. in 6.* vbi Papa præcipit publicas præces fieri pro electione futuri Pontificis, & pro Defuncto Pontifice. Quinto modo ex *opere operante* miniſtri, quia ipſe aliquo modo operatur, & tunc per mo-

modum impetrationis non valent, vt habetur *in cap.* 1. §. 1. *diſt.* 49 ſed per modum vnionis, *& in cap. Si iuſtus fuerit.* 1. *q.* 1. *vbi Gloſ & DD.*

70 Quæritur 35. An ſuffragia facta pro defunctis, qui non indigent, proſint Aliis? Reſpondetur, quod ſuffragia facta, pro defunctis, præſertim ſi offeratur miſſæ ſacrificium; Si anima, pro qua fit, ſit in Paradiſo, non prodeſt, niſi, quatenus per ipſam colitur, & honoratur, vt Beatus; ita *Barthol. ab Angel. Dialog.* 5. §. 475. *& Bonac. vbi ſupra propoſit.* 3. *n.* 7. Si verò ſit damnata, neque prodeſt ſuffragium, quia ibi nulla eſt redemptio, nam *Vbi ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, ibi erit*, vt ſacra ſcriptura teſtatur. *Eccleſiaſt.c.* 11. *n.* 3. *Bellarmin.lib.* 2. *de miſſa c.*6. *Suarez diſp.*73. *ſect.*3. Vnde fructus ſacrificii, & ſuffragij applicati Animæ incapaci, vtpotè apud Inferos, vel in Cœlo exiſtēti, reponũtur in Theſauro Eccleſiæ. *Henriquez.c.*18.*n.*7. *Filliuc. tract.* 5. *c.* 3. *quæſit.* 7. *n.* 78. Ali verò putant prodeſſe ipſimet oranti, iuxta illud *Dauidis pſal.* 44. *oratio mea in ſinu meo conuertetur*, & habetur *Lucæ.* 10. *n.*6. *ſi ibi non fuerit filius pacis, pax veſtra ad vos reuertetur*, & *Bonacin. vbi ſup. propoſit.* 4. *num.* 12.

71 Quæritur 36. An ſacrificium miſſæ æqualiter valeat pro Animabus, ſi ſit de requiem, quam ſi de ſancto, vel feria? Reſpondetur ſecundum *Petr. de Palud. in* 4. *diſt.* 14. quod in miſſa, duo conſiderari poſſunt, nimirum orationes, & ſacrificium; ſi conſideratur fructus ex parte ſacrificij, æqualiter prodeſt defunctis; ſi conſideretur ex parte orationum ad hoc ſpecialiter determinatarum, magis prodeſt miſſa de requiem. Iſte tamen defectus poteſt recompenſari per maiorem deuotionem, vel ſacerdotis ſacrificantis, vel eius, qui miſſam dicere facit, vel ſancti, cuius ſuffragium imploratur, vt *ait. Diu. Anton. p.*1. *tit.* 10. *c.* 2. §. 3. Miſſa enim de ſanctis in particulari, vt de Sancto Carolo, Franciſco, & cæt. celebratur, non quia ipſis proſit, ſed quia in illa ipſi inuocantur, honorantur, & coluntur ſpecialiter, habent quoddam gaudium accidentale, quatenus gaudent honore, qui in ſui memoriam Deo exhibetur *ita Henriq. lib.*9. *c.* 14. *n.* 2. *Suar. diſp.* 7. *ſect.* 3. *Bellarm. lib.* 2. *de miſſ. c* 8.

72 Quæritur 37. An miſſa, & ſuffragia pro vna tantum anima facta proſint aliis? Reſpondetur *Secundum Diu. Thom. & Petr. de Pal. in* 4. *diſt.* 45. quod ſuffragia ſpecialiter pro vna anima facta, valent ei, pro qua fiunt, quantum ad liberationem à pœna, cum ſuffragium ſit virtutis finitæ, & deriuetur per ipſius in-

tentionem facientis, quò voluerit; qui modus dicitur à Theologis *per modum expiationis*, per quem extenditur valor eorum ad defunctos, ſecundum intentionem facientis, ſeù præcipientis, qui intendit pro vno tantum applicare valorem expiatiuum, vt per illum citiùs liberetur à pœnis Purgatorij. Per viam autem *congratulationis*, qui eſt ſecundus modus, quo ſuffragia fiunt, valent etiam pro omnibus in Purgatorio exiſtentibus, licet pro vno tantum fiant, quia cum omnes ſint in charitate coniuncti, gaudent omnes generaliter de omni ſuffragio pro vno tantum facto. Et tantò plus gaudent ſinguli, quanto magis inueniatur in maiori charitate, vt *Diu. Th. ait loc. cit. Paludan. Diu. Anton. ibid. & Alij*.

73 Quæritur 38. An ſacrificium miſſæ pro pluribus oblatum, proſit ſingulis æqualiter, ac ſi pro vno tantum offerretur? Reſpondetur negatiuè, & eſt comunis opinio. *Scot. quodlibet. 2. art. 14. Gloſ. in cap. tempus ver. pro baptizantis.* 13. *q.* 2. *vbi Archid. Henriq. lib.* 9. *c.* 17. *Suar.* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 79. *ſect.* 12. Alij tamen probabiliter aſſerunt, Valorem miſſæ prodeſſe ſingulis, nihilominus, quam ſi pro vnoquoque ipſorum applicaretur. *ita Caiet. in* 3. *p. q.* 70. *art.* 5. *Vaſquez in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 231. *de quibus Pat. Dian. p.* 5. *tr.* 14. *reſol.* 81. & eſt textus *in cap. Non mediocriter de conſecr. diſt.* 5. Poteſt tamen conciliari iſtorum diuerſitas; quod prima opinio, ſe fundat in valore finitæ virtutis, & determinatorum graduum, & ſic non æqualiter prodeſt omnibus, ac ſi pro vno tantum applicaretur, vt ſi pro decem, & eſſent decem gradus, quilibet haberet vnum gradum; Si verò pro vno tantum fieret, vnus reciperet omnes decem gradus, licet enim Chriſtus Dominus ſit infinitæ virtutis in Sacramento, tamen ibi non infinitè, ſed virtute finita operatur, quantum ad effectum Sacramenti; quia alias vna miſſa omnes de Purgatorio liberare poſſet, virtute ſua infinita. Secunda verò ſententia ſe fundat in valore infinito, & ex virtute charitatis, quia charitas non minuitur, ſi diſtribuatur affectus in multos; imò magis augetur, quia vt dicit *Diu. Aug. in lib. confeſſ.* gaudium ex charitate procedens, quanto in pluribus eſt, tanto fit maior; & ſic intelligi debet. *d. c. non mediocriter*. Quod autem poſſint iuuari per viuos Animæ in Purgatorio exiſtentes, hoc eſt de fide declaratum *in Concil. Florent. ſeſſ. vlt. in litteris vnionis, & ſup. dixim.* & declarat *Diu. Paul.* 1. *ad Corinth.* 12.

74 Quæritur 39. An Animæ in Purgatorio exiſtentes, dum pro ipſis miſſæ ſacrificium offertur, patiantur pœnas? Reſpondetur negatiuè cum *Sperell. in Pareneſ. Telecturgit. cap.* 65. §. 1. *num.* 9.

vbi

Digitized by Google

vbi dicit talem, ac tantam eſſe virtutem, & valorem ſacrificij, vt toto illo tempore, quo miſſa celebratur, maximum refrigerium Animæ ſentiant; affirmans, quod pænæ illas relinquãt, ob reuerentiam ſacrificij, elongantes aliquantulum ab ipſis, ad inſtar ignis fornacis Babilonicæ; necnon eo modo, quo per virgã Moyſis diuiſæ fuerunt Aquæ maris rubri relinquentes ſiccum iter Populo Dei, Quod & innuit *Sanct. Io. Chryſoſt. homel. 3. ad Philip. & homel. 69. ad Popul. Antiochen.*

75 Quæritur 40. An omnes animæ, quæ ad purgandum condemnantur, ad Purgatorium vadant, vel alius detur aliquando locus particularis ad purgandum? Reſpondetur, quod ordinariè loquendo, deputantur ad Purgatorium; Interdum verò ex ſingulari Dei diſpoſitione, & prouidentia, quædam animæ purgantur in alijs locis, præſertim in quibus aliquam culpam commiſerunt, vel ad earum pænam; vel ad inſtructionem, & terrorem viuorum, vt ex S. *Thom. S. Gregorio, Petro Damian. & Aliis in quar. ſententiar. diſt.* 20. obſeruat *Gãmach. de Purgator. c. 5. & Guillelm. Pariſienſ. in lib. vniuerſi c. 47. Mar. Roa. de Purgat. c. 4. Matthiol. p. 2. c. 5. tit. 2. lib. 12. Syluæ* Hiſtor.

76 Quæritur 41. An poſſint liberari de Purgatorio Animæ alio modo, quam per ſupradictos quatuor *num.* 68. enumeratos? Reſpondetur, quod poſſunt liberari etiam à Summo Pontifice, concedendo Indulgentias per modum ſuffragij, vt per Theologos dicitur, ità ſtatuit *Sixtus Quartus cõtra Petrum de Oſma conſtit. 17. quæ incipit, licet,* Idẽ tradit *Io. VIII. epiſt.* 144. Quia ſumuntur de Theſauro Eccleſiæ, qui cõſtat ex meritis Chriſti, & Sãctorũ, cuius Papa eſt diſpenſator. *Leo* X. *conſtit.* 40. *quæ incipit: exurge.* Quod certiſſimum eſt, nam fideles Defuncti, ità coniuncti ſunt cum fidelibus viuis, vt vnam cum illis Eccleſiam faciant; vnde ſi iuuari poſſunt ſuffragijs viuentium à fortiori poterunt ſubleuari per applicationem ſatiſfactionum Chriſti, & Sanctorum, vt docet communis ſententia Doctorum, *Ex S. Thom. & Diu. Bonauent. in quar.* De quibus *Bellarmin. de Indulgent. lib. 1. c. 14.*

77 Quæritur 42. An Indulgentiæ pro defunctis conceſſæ certo, & infallibiliter illis proſint? Reſpondetur, quod in hoc ſunt duæ ſententiæ. Prima ſententia affirmatiua aſſerentium infallibiliter effectum habere indulgentias pro animabus Purgatorij applicatas, eſt *Suarez tom. 4. diſp. 53. ſect. 3. num. 3. Sot. in 4. diſt. 21. q. 2. ar 3. Valentiæ tõ. 4. diſp. 7. q. 20. pũct. 5. & Aliorũ;* Quia ſatiſfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ applicantur ad pænam Purgatorii, ſunt æqui-



Digitized by Google

ualentes ad hunc effectum; & fundantur ipſi in illo *Matth.16. quodcumque ſolueris ſuper Terram, erit ſolutum, & in Cælis, etcet.* Quam opinionem appellat probabiliorem, *Dian.p.5.tr.12.reſol.* 8. Aliam autem ſententiam negatiuam ſequitur *Layman in Theolog. moral. lib.5. tract.7.c.7.n.3.* Quam ſequitur ipſe *poſt Sanctũ Bonau; Richard. Durand. Cordubens; Can. & Alios per eundem Laym. in loc. cit. relat.* Aſſerunt enim ipſi, effectum hunc indulgentiarũ pro defunctis pendere ex liberali Dei acceptantis voluntate, cum proſint ſolummodo per modum ſuffragij, & impetrationis; nituntur autem tali fundamento, quod ſcilicet ex nullo Sacræ Scripturæ loco conſtat, neque ex certa traditione, Deum illas ſatisfactiones, ex Eccleſiæ Theſauro depromptas, & Defunctis applicatas, infallibiliter acceptaturũ promiſiſſe; cum Eccleſia per modum ſuffragij illas concedat; orando Deum. vt acceptare dignetur; non per modum abſolutionis. Quod probare contendunt ex communi Praxi totius Eccleſiæ, quæ poſt applicatam Indulgentiam plenariam alicui defuncto in particulari, per ſacrificium in Altari priuilegiato, vel per aliud opus; attamen non deſinit pro eodem orare, & applicare alia ſacrificia, & alias indulgentias. Ideo fideles debent ſemper pro defunctis orare, & indulgentias applicare, quę maximam habent virtutem, licet ex parte noſtra non ſit certitudo infallibilis.

78 Quæritur 43. An Indulgentiæ per modum ſuffragij proſint animabus cathecumenorum, qui mortui ſunt, ſine Baptiſmo? Reſpondetur affirmatiuè, cum *Henriq. lib. 7. cap. 18. num. 1. Iacob. Granad. in 3.p. de Sacram. controu. 12. tr. 15. diſp. 6 n. 2. Layman. lib. 5. tr. 7. c. 6 n. 1. Dian. p. 5. tr. 12. reſ. 9. Villalob. in sũm. tõ. 1. tr. 26. diff. 7. n. 7. & Alijs* penes ipſos, quia Illi habuerũt characterẽ baptiſmalẽ, in voto, licet non in re, & propter impotentiam, ac inculpabiliter ſine ipſo deceſſerunt; ideo ſunt capaces Beatitudinis, & pro ipſis Miſſa offerri poteſt; Quidquid afferant, *Suarez tom. 4. diſp. 53. ſect. 4. n. 8. Præpoſit. in 3. p. Diu. Thom q. 10. de Indulg. dub. 3. n. 28. & Alij*: Dicentes, quod qui non ſunt inſigniti charactere baptiſmali, ſunt extra Eccleſiam, & proinde poteſtas Pontificis, non extenditur ſuper illos defunctos, ſuper quos non habebat, dum viuerent, ſed tamen prima opinio mihi magis placet.

97 Quæritur 44. An ſciatur tempus, quo Animæ in Purgatorio detineri debeant? Reſpondetur negatiuè; hoc enim ſoli Deo cognitum eſt, cuius iuſto iudicio illic detinentur; & à Nobis ſciri non poteſt, neque quoad modum, neque quoad menſuram; vt habetur *In Concil. Moguntin. 4. c. 46.* certum tamen eſt

quod

quod pœnæ ſunt temporales *Concil. Senonen. c.* 12. Et quod ibi purgantur etiam pro leuibus, imò leuiſſimis culpis *c. qualis hinc, &c. qui in aliud diſt.* 25. *Conc. præd. Mogunt. vbi ſupra*, in quo dicitur etiam quod ſint temporales, debitæ, & relictæ poſt culpas. *Concil. Trid. ſeſs.* 25. *de Purg.* Nihilominus ex conſuetudine Eccleſiæ anniuerſaria perpetua pro animabus concedentis, colligitur, animas pluribus annis, imò ſæculis in Purgatorio detineri, quia aliàs non permitteret illa fieri, poſt tranſactos aliquot annos, & tamen fieri tolerat pro defunctis, qui ante ducentos, vel trecentos annos deceſſerunt: vt inquit *Abelly.tom.2.Theol.moral.c.5.q.25.§.4.in fin.*

80 Quæritur 45. An animæ Purgatorij orent Deum pro Benefactoribus? Reſpondetur affirmatiuè, cum *Suarez. tom. 2. de Religion. lib. 1. de orat. cap. 9. & tom. 4. in 3. p. diſp. 47. ſect. 2. Bellarmin. de Purgator. lib. 2. c.* 15. & Aliis, qui de communiori ſententia aſſerunt, animas Purgatorij pro Nobis orare; maximè verò pro benefactoribus, quia illic ſunt amici Dei, & in eius gratia patientes pœnas prò maiori eorum bono, & vtilitate, ad hoc, vt purgatis maculis, ad Cælum euolent; quia certum eſt, animas, poſt purgationem, Cælum aſcendere ad Dei viſionem, *vt in Concil. Florent. probatur ſeſs. vlt. in litter. vnion.* Licet *Diu. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 11. *ad* 3. *& ar.* 4. *ad* 3. aſſerat, Animas in Purgatorio exiſtentes non poſſe pro Nobis orare, cum non ſint in ſtatu mærendi; Tamen adeſt experientia in contrarium; cum ſæpiſſimè viſum ſit, animas profuiſſe ſuis benefactoribus, quod ſi Deus ipſas non exaudiret, non permiſiſſet, vt *ex Diu. Petr. Damian. colligitur lib.* 3. *epiſt.* 10. *Martin. Roa de Purgat. c.*21. *&* 22. Multa exempla, & Doctores adducit *Matthiol. in Sylu. Hiſtorial. p.* 2. *lib.* 12. *c.* 5. *tit.* 7. Imo non ſolum intercedunt pro benefactoribus, multa beneficia ipſis præbendo, dum in Purgatorio exiſtunt: verum etiam poſt purgationem, cum ad cælum euolatæ Gloriam Dei vident, vt tradit *Armand. in Pſal.* 78. *n.* 11. in illis verbis: *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum*; vicinis inquit, ideſt benefactoribus, & *Sperell. in Pareneſ. Teleturg. cap.* 66. §. 1. *per tot.*

81 Quæritur 46. Quò vadant Animæ paruulorum, qui ſine Baptiſmo decedunt? Reſpondetur, quod prædictorum animæ, quæ ſine baptiſmo moriuntur, poſt promulgationem Euangelij, ſine dubio damnantur in æternum, vt habetur *In cap firmiſſimé & cap. nulla de conſecrat. diſt.*4. Ratio eſt, quia omnes naſcimur filii Iræ, vt dicit *Apoſtolus Paul. ad Ephe ſ c.* 2. Et hanc pœnam ſuſtinebunt, ſiuè moriantur, poſtquam nati fuerint, ſiue in vtero matris

tris, poſt animationem fœtus *Cap. maiores de Baptiſmo. Gelaſ. Pap. Epiſt.* 5. quia ab omnibus hominibus contrahitur originale peccatum (præter Beatiſſimam Virginem, quæ abſque illo concepta fuit, & ideo non debere compræhendi in decreto de peccato originali, declarat *Concil. Trid. ſeſs.* 5. *de pecc. orig.* §. *vlt.*) Quare propter Adæ peccatum paruuli naſcuntur maculati ex eo per propagationem, vt habetur *In d. Concil. Trid. & quid eſt de pænit. diſt.* 4. *Conc. Mongunt.* 4. *c.* 5. *Gelaſ. Pap. epiſt.* 6. *Gregor.* 1. *lib.* 7. *ex regeſt. epiſt.* 54. *& Ioann.* 4. *epiſt.* 1. Quod peccatum per Sacramentum Baptiſmi, deletur per gratiam; *d. c quid eſt, & Concil. Trid. vbi ſup.* Et remittitur in paruulis, ſine eorum conſenſu, ſicut ſine conſenſu contrahitur *cap. Maiores.* §. *verum de Baptiſmo*; Eſt autem mortale peccatum, *Vt in cap. peccatum de pænit. diſt.* 4. Ideo damnantur, non tamen ad Infernum pergunt, ſed ad Limbum, in quo pænam damni tantum patiuntur, non pænam ſenſus. *Limbus* verò, eſt locus medius inter Infernum, & Purgatorium, ideſt ſupra illum, & ſub iſto, in quo Animæ paruulorum ex hac vita, ſine Baptiſmo decedentium, ante rationis vſum detinentur in æternum puniendæ: vt habetur, *In d. cap. firmisſimè, & cap.* 3. *de Hæret. Diu. Aug. in lib. de Fide ad Petrum*; *& in lib. de Orig. animæ ad Sanct. Hierem.* Manent autem ibi animæ in tenebris, vt habetur *In d. c. Nulla de conſ. diſt.* 4. Quod omnes expoſitores interpretantur de tenebris interioribus, non exterioribus, hoc eſt quia carent viſione Dei, quæ carentia dicitur pæna damni, vt *ait Gloſ. ibid. & cap.* 3. *de Baptiſmo*, Quam ſolum patiuntur pænam, & non aliam ſenſus; quæ licet ſit maxima omnium: tamen de ipſa minimè dolent, ſed contenti ſunt de illo ſtatu, Diuina fauente gratia, vt inquit *Diu. Bonauent. in* 4. *diſt.* 2, Ratio eſt, quia cum tales animæ migrant a corpore, concreantur in eorum intellectibus ſpecies rerum naturalium, ſicut, & omnibus aliis animabus de corpore egredientibus, (vt mox dicemus) ad quas intellectus ſe conuertens intelligit omnia ea, quæ naturali cognitione cognoſci poſſunt, melius, quam quilibet alius Philoſophus, & ſapiens Mundi; quæ cognitio dicitur, *Scientia indita*; vt docet *Diu. Anton. in* 1. *p. tit.* 8. *c.* 2. §. 4. Vnde in ſpeculatione rerum poſſunt prædictæ animę paruulorũ valdè delectari; & hoc eſt quod ſcribitur, per *Diu. Aug. in Enchir. c.* 19. *& lib. de Baptiſmate paruulor. & eſt in c. regenerante de conſer. diſt.* 4. paruulos ſcilicet mitiſſimè puniri, & hoc etiam intelligitur, reſpectu aliarum pænarũ. Reſurgent autem, & ipſæ paruulorum animæ cum corporibus ſuis in vltima reſurrectione in ſtatuta, quam habuiſſent, ſi vixiſſent, in trigeſimo tertio

tio

Digitized by Google

tio anno, ſicut, & Alij; Non habebunt tamen, nec pęnam, nec gloriam, vt ait *Diu. Anton. Aug. & Alij, vbi ſupra*. Quem locum verò habitabunt, Deus tantum ſcit. Non poſsunt iuuari ſuffragijs fidelium, nec à pęna prędicta liberari dictę animæ, vt colligitur, *Ex cap tempus 1 :.q.2.* Illis verbis, *Eis ſolis hæc proſunt, quibus cū viuerent, hæc ſibi, vt poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt*; Quia tales nihil in vita meruerunt. Nec fit illis iniuſtitia, dum priuantur in æternum tanta fælicitate glorię, ſine vlla culpa ab eis commiſsa, cum ex originali peccato omnes naſcantur filij iræ, *Vt ſup.dix.*

Iſte Limbus Paruulorum, ſecundum quoſdam Doctores, eſt idem, ac ille, in quo cuſtoditi fuerunt Sancti Patres ab Abel, vſq; ad Aduentū Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, expectantes Redēptionem, quem locum, ſinum Abrahę dixit Deus *Lucæ* 16. Et ad illum referuntur illa verba Symboli, *Deſcendit ad Inferos*, Quia Chriſti Domini Anima benedicta Diuinitate ſociata, quam in Cruce expirauit, ad illum deſcendit, vt Sanctos Patres liberaret, nec alia loca Inferni viſitauit, vt ait *Diu. Anton. vbi ſupra*, Et ad eundem locum ſimiliter referuntur illa verba. *Dau. Pſal.* 23. *Attolite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex Gloriæ, & Pſal.* 106. *contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, & Pſal* 39. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi*. Secundum verò alios Doctores, eſt diuerſus Limbus Paruulorum à Limbo Sanctorum Patrum, etiam quoad ſitum, inter quos, *eſt Diu. Anton. vbi ſupra*, Quos videat, ſi plura cupiat quiſquam.

82 Quæritur 47. Quomodo cognoſcat anima ſeparata à corpore? Reſpondetur *Cum Diu. Anton. part. 1. tit. 5. cap. 6. in princ.* quod anima ſeparata habet alium modum intelligendi, quam habet, cum eſt vnita corpori; nunc enim cognoſcit per conuerſionem ad Phantaſmata corporum, quę ſunt in organis corporeis; ſed cum eſt ſeparata, intelligit per conuerſionem ad ſuperiora, & ad quæ ſimpliciter intelligibilia ſunt: Neque per ſpecies innatas, quia non habet, cum à principio ſit, vt tabula raſa, *Vt ait Ariſt. in 3. de anim.* Et ideo cum ſit in potentia ad omnia, & non reducatur ad actum eorum, niſi per ſcientiam, vt *Idem aſſerit in 2. de anim.* cum ſcientia ſit perfectio animę, vt ibid. dicit *Auerr. Commentator*, Et omne imperfectum naturaliter appetit ſuam perfectionem. *Idem Ariſt. in 5. Metaph. & in 2. Phyſic.* Ex quo fit, vt quiſque naturaliter ſcire deſideret. Quē multi Philoſophi ſequentes aſserunt, quod anima eſt poſita in corpore, vt ſcientijs perficiatur, quod, & tenet *Magiſt. ſent. in 2. diſt.* Neq; per ſpecies, quas abſtrahit à ſenſibus, quia

non habet organa ſenſus, & imaginationes, quibus mediantibus abſtrahātur ſpecies intelligibiles à rebus: neque per ſpecies abſtractas prius, & poſtea conſeruatas; ideo per conuerſionē ad ſuperiora per ſpecies ex influentia diuini luminis participatas, quarum fit particeps ſtatim, ac ſeparatur à corpore, ſicut aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ, modo tamen inferiori; quia, vt *Ait* Diu. *Thom. in* 1. *p. q.* 89. *ar.* 1. *modus operandi vniuſcuiuſque rei conſequitur modum eſſendi ipſius, cum nihil operetur, niſi in quantum eſt in actu*, Non cognoſcit tamen omnia naturalia ſtatim, ſed per ſpecies ex influentia diuini luminis, & non perfectè, vt Angeli, ſed quaſi in communi, & confuſè, vt ait *Diu. Thom. vbi ſup. art.* 3. Niſi ea, quæ per ſcientiam acquiſiuit, quæ perfectè videt, non confuſè. Quomodo autem cognoſcat futura, vel particularia, vide *Diu. Thom. ibid art.* 4. & *Diu. Aug. ſup. Geneſ.*

Quæritur 48. An Animæ ſeparatæ cognoſcantur inter ſe?
83 Reſpondetur affirmatiuè, *Ex Diu. Gregor. in* 4. *Dialogor. circa med.* vbi affert illud, *Lucæ* 16. de Epulone, qui cognouit Lazarum, ibi: *Eleuans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius*. Vnde boni cognoſcunt malos, & mali bonos, & ſimiliter boni bonos, & mali malos. Cognoſcunt tamen, & intelligunt non per conuerſionem ad Phāntaſmata, vt *dixim*, vt faciunt, quando ſunt vnitæ corporibus, ſecundum *Ariſtot. in* 3. *de Anim.* Sed per conuerſionem ad quæ ſunt ſimpliciter intelligibilia: Ideo per intuitionem propriæ eſſentiæ, perfectè cognoſcit anima eſſentiam aliarum, in quibus eſt ſimilitudo ipſius: cum commune ſit omni ſubſtantiæ intelligibili cognoſcere ſuam propriam eſſentiam, ità *Diu. Thom.* 1. *p. q.* 87. & *Aliĳ*.

Quæritur 49. An Animæ ſeparatæ inter ſe loquantur? Re-
84 ſpondetur affirmatiuè, ſed diuerſo modo ab illo, cum ſunt corporibus vnitæ; nam animæ ſeparatæ vbicumque ſint, ordinare poſſunt mentales ſuos cōceptus locutione interiori per imperium voluntatis, vt innoteſcant alteri animæ, vel pluribus animabus ſimul, vt in ſimili docetur de loquutione Angelorum per *Diu. Th.* 1. *p. q.* 106. & *Sanct. Dionyſ. de Cæleſt Hier. c.* 3. 4. & 8. Quod intelligitur ante iudicium; poſt iudicium verò animæ vocaliter loquentur, mediante corpore. *Diu. Thom. in* 4. *diſt.* 44.

Quæritur 50. An Animæ ſeparatæ à corporibus retineant
85 ſcientias acquiſitas, & virtutes? Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim loquimur de ſcientia accepta per habitum relictum in anima, qui eſt virtus quædam, in qua recipiunt omnes

ſpecies

Digitized by Google

ſpecies intelligibiles ſpiritualiter, & iſta remanet: vel loquimur de ſcientia materiali, ſecundum modum ſciendi, ſcilicet per phantaſmata, quæ habent determinatum organum capitis, à quibus phantaſmatibus abſtrahitur ſpecies intelligilis, & ſcientia, & iſta non remanet; vt docet *Diu. Th. 1. p. diſt. 89. art. 5. & 6.* Anima enim ſeparata non habet organa, vel phantaſmata, ſuper quæ conuerſatur, vt intelligat, quod proprium eſt Animabus corporibus coniunctis, & ſic intelligitur illud *Diui Pauli 1. Corinth. 13. ſiuè ſcientia deſtruetur, &c.* intelligitur enim quantum ad actum, qui nunc eſt, quia intelligendo intelligit per ſpecies à ſenſibilibus abſtractas, vt dicit *Diu. Anton. 1. p. tit. 6. c. 1. §. 2. circ. med.* Quod *Ariſtot. in prædicam.* confirmat, dicens, quod per vehementem tranſmutationem corrumpitur ſcientia; ita *Diu. Thom. vbi ſup. & in 4. ſentent. diſt. 50.*

Quæritur 51. An animæ ſeparatæ defunctorum ſciant, quid in
86 Mundo à viuentibus fiat? Reſpondetur cum diſtinctione, nam quæſitum poteſt triplicem ſenſum habere; Poteſt enim intelligi, vel de animabus Beatis in cælo exiſtentibus: vel de his, quæ in Purgatorio reperiuntur: vel de his, quæ in Inferno cruciantur. Si quæratur de Animabus ſeparatis, quæ iam in Paradiſo ſunt, certum eſt, quod ipſæ in contemplatione Diuinæ eſſentiæ, in qua omnia relucent, cognoſcunt omnia, quæ pertinent vd perfectionem intellectus eorum, & ad eorum Beatitudinem. *Vnde Diu. Gregor. lib. 12. moral.* ait: *Qui intus claritatem Dei vident, nullo modo credendum eſt, quod ſit aliquod exterius, quod ignorent; & Idem ibid. Quid eſt, quod non videant, qui videntem omnia vident,* Quod affert *Gloſ. in cap. qui diuina §. de mortuis verb. ſciant 13. q. 2.* Quidquid dicat *Diu. Aug. in lib. de cura pro mortuis babenda* illis verbis: *Neſciunt mortui, etiam Sancti quid agant viui, etiam eorum filij*; nam reſpondetur cum *Diu. Anton. ibid. vbi ſup. §. 3.* quod Diu. Aug. ibi loquitur dubitatiuè, Diuus verò Gregor. aſſertiuè. Ideo *Diu. Thom. 1. p. d. 89. art. 8. & lib. 3. contra Gentiles c. 57.* magis adhæret Diuo Gregorio, quam D. Auguſtino, inquiens, quod omnia pertinentia ad perfectionem intellectus, & ad perfectionem vniuerſi, Beati videntes eſſentiam Dei cognoſcunt, alia verò non. de quo latè *Ioan. de Turrecrem. in cap. fatendum eſt 13. q. 2. & Alij DD.*

Si verò quæratur de animabus in Purgatorio exiſtentibus, Reſpondetur, quod illæ cognoſcunt, & ſciunt quædam, quæ in mundo aguntur, non omnia, neque dum aguntur, ſed poſtea benè poſſunt ſcire, vel per reuelationem æqualis, vel ſuperioris ſpiritus; ſcilicet vel per animas, quæ ex mundo ad ipſas tranſeunt: aut per Bonos Angelos ad eas aliquando deſcendentes: vel per infuſionem



Digitized by Google

ſpecierum ab aliquo ſuperiori ſpiritu, vel Dei, vel Angelorum: vel quando permittitur eis, vt ad nos veniant, vt ait *Diu. Aug. vbi ſupra,* & habetur *in d. cap. fatendum, vbi Gloſ. & DD:*

Si tandem quæratur de animabus damnatorum; Reſpondetur, quod etiam ipſæ cognoſcunt quædam tantum, quæ illis à Deo permittuntur, vt *ait Gloſ. in d. cap. qui diuina. verb. ſciant, & Diu. Auguſt. vbi ſup. in lib. de ag. cur pro mor.* Et hæc ſciunt, vel per reuelationem eorũ, qui nouiter ad illos deſcendunt: Vel quando permittitur eis ad Nos venire: vel per reuelationem etiam bonorum, aut malorum Angelorum: vel per recordationem malorum, quæ egerunt, & incurrerunt; ac bonorum, quæ amiſerunt, & non fecerunt: vel per ſcientiam coniecturalem, vt habetur per *illud Lucæ* 16. de Epulone, qui dixit: *Habeo quinque fratres, vt manifeſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum, & S. Auguſt lib. 9. confeſſion.* loquendo de damnatis ait; *mortui habent memoriam noſtri; Diu. Thom. in 4. ſent. diſt.* 50.

87 Quæritur 52. An animæ ſeparatæ defunctorum appareant aliquando viuentibus? Reſpondetur affirmatiuè *ſecundum text. in d. cap. fatendum eſt* 13. *q.* 2. *&* Diu. *Aug. in lib. de agend. cur pro mort.* & ex multis Sacræ Scripturæ locis colligitur, animas viuis apparuiſſe, vel vt illis prodeſſent, vel ob aliam cauſam, Deo ſic permittente, vel vt dicit *Diu. Thom.* 1. *p. diſt.* 89. *art.* 8. ad hoc vt aliquid viuentibus annuncient. Probatur *in 2. Machab.* 15. de Onia, & Ieremia Prophetis, qui apparuerunt Iudæis in magna neceſſitate conſtitutis; & habetur *in* 1. *Reg.* 28. de Samuele apparente Sauli, licet de hoc *in cap. Nec mirum.* 26. *q.* 5 dicatur quod fuerit Diabolus in forma Samuelis in ſomnio; Quod etiam accidit Imperatori Conſtantino Petrum, & Paulum Apoſtolos recognoſcenti, vt habetur in *Synodo* 7. *act.* 2. & in officio Sancti Syluestri, quod Eccleſia Romana celebrat die 31. Decembris, quando præceperunt illi, vt ſi ex lepra liberari vellet, omitteret immanitatem balnei ex infantium ſanguine, & loco illius baptiſmum à Sancto Pontifice Syluestro reciperet. Quod autem dicitur de animabus beatorum, intelligi debet etiam de animabus in Purgatorio exiſtentibus. Et non ſolum in ſomniis, vt ſupradictum eſt, ſed etiam in vigilia aliquando apparent hominibus, vt aſſerunt Theologi; præſertim *Diu. Aug. d. lib. de cur. pro mort. agend. c.* 15. *&* 16. *& Bellarmin. lib.* 3. *de Purg. c.* 8. vbi multas hiſtorias affert; *Franc. Suarez in* 3. *p. q.* 45. *diſt.* 32. *ſect.* 2. *&* Diu. *Thom in* 3. *p. q.* 35. *art.* 3. *& in c.* 17. *Matth.* vbi habetur de vera Moyſis apparitione in Monte Thaboris cum Chriſto Domino, & Apoſtolis Petro, Iacobo, & Ioanne.

Quæ-

Digitized by Google

88 Quæritur 53. An etiam animæ damnatorum in Inferno exiſtentes poſſint apparere viuentibus, ſicut dictum eſt de Beatorum, & purgantium animabus? Reſpondetur affirmatiuè aliquando ex Dei diſpenſatione, cum *Diu. Aug Bellarm. Suar.& alijs vbi ſup.* licet enim regulariter non poſſint inde exire, cum in perpetuum ibi deputatæ ſint, vt colligitur per *Doctores ex 4. ſentent. diſt. 46. & d. c. Tempus 13. q. 2. & Iob. 7.* vbi habetur, quod *qui deſcendit ad Inferos, non aſcendet*; Nec obſtat, quod anima Traiani Imperatoris præcibus Diui Gregorij exierit, Reſpondetur enim hoc fuiſſe ex Diuina ordinatione; vel vt dicunt *Doctores, quos ſup. attulimus num.* 64. non erat ibi condemnatus in perpetuum; vt etiam aſſerit *Sybil. in ſpec. dec. 1. c. 4. q. 1.* tamen poſſunt aliquando apparere ad tempus, ſecundum ordinem naturæ, cum, vt ait *Ariſt. in 1. Ethic.* communicatio ciuilium operum non poſſit eſſe inter viuos, & mortuos. Quod diximus poſſe apparere, probatur authoritate *Diu. Gregor. in lib. 4. Dialog.* de Benedicto Papa; & de vmbra horribili latronis in vita Beati Martini, & aliis.

89 Quæritur 54. quomodo fiant iſtæ apparitiones animarum, de quibus ſupra diximus? Reſpondetur, quod apparent, vel in proprio corpore, vel in alieno, vel in corpore elementari aeris ab Angelis, ſiuè bonis, ſiuè malis compoſito, Deo ſic diſponente, vt aſſerunt *Suarez, Bellarm. & Alij vbi ſup. & Diu. Anton. 1. p. tit. 5. c. 1. §. 4.* Neque hoc quandocumque illis placet, faciunt animæ Purgatorij, & Inferni, ſed quandocumque Deus voluerit ſuo inperſcrutabili iudicio aliquid agere, vt ait *Peltan. de Purgator. c.* 5. Animæ tamen Beatorum poſſunt apparere viuentibus, quando voluerint, virtute Gloriæ, & gratię gratis datę, vt inquit *Diu. Thom. in 4. ſentent. & ſybil. vbi ſup.* libentiùs autem apparere cupiunt in ſuis proprijs corporibus, ſi illis permitteretur, propter naturalem amorem, quem cum ipſis ab incunabulis contraxerunt, & ex aliis cauſis latè explicatis per *Martin. del Rio lib. 2. Magicar. q. 26. ſect. 3. litt. C. & fuſiùs probat Petrus Tyraus in lib. 1. de apparitionib. ſpirituum; & Iacobus de Chuſa ſimiliter de apparit. ſpirit.* qui præfigunt quaſdam regulas vniuerſales, quomodo dignoſci poſſit, an ſint apparitiones bonorum, vel malorum Angelorum, vel ſpirituum; vel an veræ, an fictæ. Et ſic aſſerunt, quod ſi tempore apparitionum, fiat ſignum Crucis: vel inuocetur ſanctiſſimum nomen Ieſu Chriſti, aut Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum; vel applicetur aqua benedicta, aut Agnus Dei, aut alia res benedicta, vt ſcapulare B. M. de Carmelo, & Roſarium, cingulum Sancti Dominici, Franciſco de Aſſiſio, aut de Paula, &c.

ſpecierum ab aliquo ſuperiori ſpiritu, vel Dei, vel Angelorum: vel quando permittitur eis, vt ad nos veniant, vt ait *Diu. Aug. vbi ſupra,* & habetur *in d. cap. fatendum, vbi Gloſ. & DD.*

Si tandem quæratur de animabus damnatorum; Reſpondetur, quod etiam ipſæ cognoſcunt quædam tantum, quæ illis à Deo permittuntur, vt *ait Gloſ. in d. cap. qui diuina. verb. ſciant, & Diu. Auguſt. vbi ſup. in lib. de ag. cur pro mor.* Et hæc ſciunt, vel per reuelationem eorũ, qui nouiter ad illos deſcendunt: Vel quando permittitur eis ad Nos venire: vel per reuelationem etiam bonorum, aut malorum Angelorum: vel per recordationem malorum, quæ egerunt, & incurrerunt; ac bonorum, quæ amiſerunt, & non fecerunt: vel per ſcientiam coniecturalem, vt habetur per *illud Lucæ* 16. de Epulone, qui dixit: *Habeo quinque fratres, vt manifeſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum, & S. Auguſt lib. 9. confeſſion.* loquendo de damnatis ait; *mortui habent memoriam noſtri; Diu. Thom. in 4. ſent. diſt.* 50.

87 Quæritur 52. An animæ ſeparatæ defunctorum appareant aliquando viuentibus? Reſpondetur affirmatiuè *ſecundum text. in d. cap. fatendum eſt* 13. *q.* 2. & *Diu. Aug. in lib. de agend. cur pro mort.* & ex multis Sacræ Scripturæ locis colligitur, animas viuis apparuiſſe, vel vt illis prodeſſent, vel ob aliam cauſam, Deo ſic permittente, vel vt dicit *Diu. Thom.* 1. *p. diſt.* 89. *art.* 8. ad hoc vt aliquid viuentibus annuncient. Probatur *in 2. Machab.* 15. de Onia, & Ieremia Prophetis, qui apparuerunt Iudæis in magna neceſſitate conſtitutis; & habetur *in 1. Reg.* 28. de Samuele apparente Sauli, licet de hoc *in cap. Nec mirum.* 26. *q.* 5 dicatur quod fuerit Diabolus in forma Samuelis in ſomnio; Quod etiam accidit Imperatori Conſtantino Petrum, & Paulum Apoſtolos recognoſcenti, vt habetur in *Synodo 7. act.* 2. & in officio Sancti Sylueſtri, quod Eccleſia Romana celebrat die 31. Decembris, quando præceperunt illi, vt ſi ex lepra liberari vellet, omitteret immanitatem balnei ex infantium ſanguine, & loco illius baptiſmum à Sancto Pontifice Syluestro reciperet. Quod autem dicitur de animabus beatorum, intelligi debet etiam de animabus in Purgatorio exiſtentibus. Et non ſolum in ſomniis, vt ſupradictum eſt, ſed etiam in vigilia aliquando apparent hominibus, vt aſſerunt Theologi; præſertim *Diu. Aug. d. lib. de cur. pro mort. agend. c.* 15. & 16. & *Bellarmin. lib.* 3. *de Purg. c.* 8. vbi multas hiſtorias affert; *Franc. Suarez in 3. p. q.* 45. *diſt.* 32. *ſect.* 2. & *Diu. Thom in 3. p. q.* 35. *art.* 3. & *in c.* 17. *Matth.* vbi habetur de vera Moyſis apparitione in Monte Thaboris cum Chriſto Domino, & Apoſtolis Petro, Iacobo, & Ioanne.

Quæ-

Digitized by Google

88 Quæritur 53. An etiam animæ damnatorum in Inferno exiſtentes poſſint apparere viuentibus, ſicut dictum eſt de Beatorum, & purgantium animabus? Reſpondetur affirmatiuè aliquando ex Dei diſpenſatione, cum *Diu. Aug. Bellarm. Suar. & alijs vbi ſup.* licet enim regulariter non poſſint inde exire, cum in perpetuum ibi deputatæ ſint, vt colligitur per *Doctores ex 4. ſentent. diſt. 46. & d. c. Tempus 13. q. 2. & Iob. 7.* vbi habetur, quod *qui deſcendit ad Inferos, non aſcendet*; Nec obſtat, quod anima Traiani Imperatoris præcibus Diui Gregorij exierit, Reſpondetur enim hoc fuiſſe ex Diuina ordinatione; vel vt dicunt *Doctores, quos ſup. attulimus num.* 64. non erat ibi condemnatus in perpetuum; vt etiam aſſerit *Sybil. in ſpec. dec. 1. c. 4. q. 1.* tamen poſſunt aliquando apparere ad tempus, ſecundum ordinem naturæ, cum, vt ait *Ariſt. in 1. Ethic.* communicatio ciuilium operum non poſſit eſſe inter viuos, & mortuos. Quod diximus poſſe apparere, probatur authoritate *Diu. Gregor. in lib. 4. Dialog.* de Benedicto Papa; & de vmbra horribili latronis in vita Beati Martini, & aliis.

89 Quæritur 54. quomodo fiant iſtæ apparitiones animarum, de quibus ſupra diximus? Reſpondetur, quod apparent, vel in proprio corpore, vel in alieno, vel in corpore elementari aeris ab Angelis, ſiuè bonis, ſiuè malis compoſito, Deo ſic diſponente, vt aſſerunt *Suarez, Bellarm. & Alij vbi ſup. & Diu. Anton. 1. p. tit. 5. c. 1. §. 4.* Neque hoc quandocumque illis placet, faciunt animæ Purgatorij, & Inferni, ſed quandocumque Deus voluerit ſuo inperſcrutabili iudicio aliquid agere, vt ait *Peltan. de Purgator. c. 5.* Animæ tamen Beatorum poſſunt apparere viuentibus, quando voluerint, virtute Gloriæ, & gratię gratis datę, vt inquit *Diu. Thom. in 4. ſentent. & ſybil. vbi ſup.* libentiùs autem apparere cupiunt in ſuis proprijs corporibus, ſi illis permitteretur, propter naturalem amorem, quem cum ipſis ab incunabulis contraxerunt, & ex aliis cauſis latè explicatis per *Martin. del Rio lib. 2. Magicar. q. 26. ſect. 3. litt. C. & fuſiùs probat Petrus Tyraus in lib. 1. de apparitionib. ſpirituum; & Iacobus de Chuſa ſimiliter de apparit. ſpirit.* qui præfigunt quaſdam regulas vniuerſales, quomodo dignoſci poſſit, an ſint apparitiones bonorum, vel malorum Angelorum, vel ſpirituum; vel an veræ, an fictæ. Et ſic aſſerunt, quod ſi tempore apparitionum, fiat ſignum Crucis: vel inuocetur ſanctiſſimum nomen Ieſu Chriſti, aut Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum; vel applicetur aqua benedicta, aut Agnus Dei, aut alia res benedicta, vt ſcapulare B. M. de Carmelo, & Roſarium, cingulum Sancti Dominici, Franciſco de Aſſiſio, aut de Paula, &c. hu-



Digitized by Google

huiuſmodi, & apparitio euaneſcit; tunc ſignum eſt, quod ſit mala & dæmoniaca. Vel ſi viſio ſit importuna; & iteretur pluries: Vel ſi dicat, eſſe animam alicuius damnati; vel appareat in forma horribili, vili, aut deformi, ſemper ſunt malæ. Si verò apparitio ſit in forma bona, humana, aut Angeli, aut Dei, aut Sanctorum: tunc animaduertendum eſt, an viſio afferat animo lætitiam, quietem, aut voluptatem: an verò cauſet turbationem, horrorem, aut fætorem ſenſibus; nam ſi accidat, vt in primo caſu, viſio bona eſt: ſi vt in ſecundo, diabolica illuſio tenenda eſt. Quod Diuus Antonius confirmat illis verbis: *Non eſt difficilis Bonorum, malorumque ſpirituum diſcretio; ſi enim poſt timorem ſucceſſerit gaudium, à Domino ſciamus veniſſe auxilium: ſi autem incuſſa formido permanſerit, hoſtis eſt, qui videtur.* de quo vid. *Diu. Thom. 3. p. q. 30. ar. 3. ad 3. Bellarmin. lib. 2. de Purgat. c. 8.* vbi diſputat de anima Traiani; *& del Rio vbi ſup.* De animarum apparitionibus plura habentur in *l oſtentum ff. de verb. oblig. vbi Gloſ. & Doctores, & in l. Multi C. de malef. & mathemat. & l. ex Senatus conſulto. C ad leg. Cornel de Sicar. præſertim Alciat. in d. l. oſtentum, Couarruu. lib. 4. variar. reſolut. c. 6. Alex. ab Alex. lib. 2. genial. dier. c. 4. & lib. 4. c. 19. & Diu. Anton. 1. p. tit. 5. c. 1 §. 4.*

90 Quæritur 55. An ſit ſuſtentabilis opinio Platonis, & Aliorum, qui dixerunt, Mundum habere animam? Reſpondetur, quod nullo modo admittenda eſt hæc opinio, inter catholicos, quod ſcilicet mundus habeat animam, vt Plato aſſeruit, & *Macrob. lib. 1. in ſomn. Scip. c. 6. & 17.* Vnde in errorem lapſi ſunt, quod animæ vegetatiua, & ſenſitiua ſint incorruptibiles, ideo cum pereunt Plantæ, & Bruta tranſeunt, & reſoluuntur in ipſammet animam mundi, à qua ſunt; contra quorum ſententiam inſurgens *Diu. Auguſt. in lib. de Eccleſ dogm. & lib. 7. de Ciuit. c. 6. & alibi*; pluribus rationibus explodit, & confutat; de quo *Auct. Mar. lib. 11. c. 25.*

91 Quæritur 56. An Cæli habeant animam, vt Plato ſimiliter aſſerebat; & ſtellæ? Reſpondetur, quod nullo modo iſta ſententia admittenda eſt, cum *Diu. Aug. de Ciuit. lib. 13. c. 16. & in Enchirid. c. 57. Diu. Hieron. in lib. de cognition. veræ vitæ, & in lib. 1. Periarchon Origenis, ad Auitum, ac Damaſcen. lib. 2.* qui omnes vnanimiter tradunt, Cælos nullo modo animatos eſſe, ideo inter irrationabilia computandos; licet enim moueantur, hic motus non preſtatur illis ab anima, vt Plato dicebat; ſed quia adſtat intelligentia, ideſt Angelus cuique orbi, & illum mouet, non tamen informat, nec ſenſibilem reddit, aut intellectualem, vt ait *Aut. Mar. lib. 7. tr. 1. c. 19. Diu. Anton. p. 3. tit. 31. c. 5. §. 1. in fin.* & bene dicit *Damaſcen. vbi ſup.* quod nullus, animatos

Digitized by Google

matos Cælos exiſtimare debet; inanimati enim ſunt, & inſenſibiles. Et quod dicitur de Cælis; etiam de ſtellis, aſſerendum eſſe docet idem *Diu.Hieron.vbi ſup in lib.*1.*Periarc.Orig.* Ipſæ enim neque animatæ ſunt, ſed mouentur ad motum orbium, in quibus fixæ ſunt. Nec eſt verum, quod aliqui Philoſophi aſſerebant ipſos moueri ex anima, quia anima eſt numerus per ſe mouens; Neque ipſos Cælos animalia eſſe, vt *Auerr.in* 1.*Cæli; & in lib. de ſubſtantia orbis*, contra quem benè ſcripſit *Diu.Aug.vbi ſup.in Enchir. c.*57.*& Alij citatis locis.*

92 Quæritur 57. An reijcienda ſit ſententia Pythagoræ, & Aliorum aſſerentium, animas de corpore ad corpus tranſmigrare, & reuolui? Reſpondetur affirmatiuè; imò ſi quis inter Chriſtianos huiuſmodi errorem ſequeretur, eſſet hæreticus, vt habetur *in cap.pen.*24.*q.*3.*in fin.* ſicut condemnati fuere, qui ipſam ſequuti ſunt, vt *Albigenſes hæreſ.* 3.*Simon Mag.hæreſ.*5.*Manichæi hæreſ.*16 *Caluin.& Alij*; nam quid magis impium, & iniquius dici potuerit, quam quòd animæ hominum in beſtias tranſeant, & beſtiarum in homines, & aliquando in plantas, & è conuerſo; vnde meritò *Diuus Ambroſius in lib. de fide reſurrectionis cap. pen. & vlt.* horum errorem irridet dicens: *Neque enim mirum debet videri, quod creditis vos in beſtias poſſe mutari, qui beſtias adoratis.* Hác ratione, quæ nullam rationem habet, ducti Pythagorici nihil eorum, quæ mouentur comedebant, vt ſunt hodie quidam Populi in India, quia crimen putabant occidere animal, vel plantam ſuccidere, vt tradit *Diu.Hieron.lib.*2.*contra Iouinian.c.*35. Ideo *Ouid.lib.*15.*Metamor.* narrat de opinione Pythagoræ, qui dicebat ſe in bello Troiano fuiſſe militem nomine Euphorbum, & ibi occiſum à Menelao, qui tunc dicebatur Atrides minor, dicens:

*Ipſe ego me memini Troiani tempore belli*
*Pantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam*
*Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ, &c.*

Quam ſententiam tenuit etiam Plato, Virgilius, Varro, & Alij, quorum falſitatem confutat, & reijcit *Diu.Aug.lib.*9.*&* 10.*de Ciuit. ac lib.*22.*c.*28.*ſimiliter de Ciu.*

93 Ex omnibus ergo ſupradictis de anima rationali colligi facilè poteſt, quam ſit pretioſa, digna, excellens, ac nobilis, cum ad Dei ſimilitudinem facta ſit, *vt Geneſ.* 1. ideo qui contrarium aſſereret, inter hæreticos computaretur, *vt habetur in cap. pen.* 24. *q.* 3. quod multis rationibus probat *Diu.Anton.p.*1.*tit* 1.*c.*1. & de pulcritudine, & præſtantia illius multa tradit *Ibid.c.*2.§.1.*&* 2. Vnde meritò *Bernard.de Buſt.p.*2.*roſar. ſerm.* 10.*litt.T.* ait, quod nobilior eſt anima, quam omnes aliæ creaturæ, præter Angelicam.

Hinc

Digitized by Google

Hinc eſt, quod anima, cum ſit præſtantior omnibus alijs rebus, ac dignior quibuſcunque creaturis, præfertur corpori, vt habetur *in cap. Cum infirmitas de pænitent. & remiſſion. cap. præcipimus* 12. *q.* 1. *& c.ſedulò* 38. *diſt.* Imò præfertur cunctis rebus inanimatis. *l. ſancimus* 1 *.C.de Sacroſ. Eccleſ.§.pen. Alexand.conſ.*38 *.in* 3. *col.vol.* 1 *.Iaſon in Auth. Sacramenta puberum in* 16 *.col. C.ſi aduerſ. vendition. & in l. licet inter priuatos col.*1 *.C.de pact.facit textus in cap.præcipimus in princ.*12 *.q.*1 *& d.cap. cum infirmitas de pænit.& remiſſ.cap.ſi habes* 24 *.q.* 3. *& cap.ſolitæ §.verum ver.quod autem de maiorit.& obedient.*

94 Vnde infertur ad plura, quæ animarum fauorem reſpiciunt, ſecundum leges Canonicas, & Ciuiles; & in primis dico, quod licet regulariter quilibet poſſit fauori pro ſe introducto renunciare *ſecundum tex.in l.pen.C. de Epiſc. & Cleric.l.pen.C.de pact. & l. poteſt ff.ad leg. falcid.* tamen fauori animarum, quia publicus eſt, nemini licet renunciare. *arg.l.liber homo ff.ad leg. Aquil.cap.contingit* 36 *.de ſentent.excom. optimus eſt textus in cap.vlt.de exception.in* 6 *. Felin.in cap.lator.n.* 16. *de re iudic.Tiraquel de retract.conuent.§.*1 *.gloſ.* 2 *n.*37 *.& Bal.in l.*1 *.col.* 2. *C.de vſufruct.& vſu.* Imò *Felinus in cap. in præſentia col.* 7 *. notab.* 2 *. de probation.* inquit, quod probatio etiam dubia debet acceptari, quando fauorem animæ reſpicit, quæ aliàs non eſſet recipienda. *Et Gloſa in l.ſi quis Titio ff.de legat.* 2. ait, quod relictum pro anima, dicitur relictum ad pias cauſas, & eiſdem priuilegiis gaudere debet. Imò fauore animæ, quando ipſius ſalutem aliquid reſpicit, ad vitandos conſcientiæ remorſus, tutior pars eſt eligenda. textus eſt expreſſus *in Clement.exiui de paradiſo. §. item quia, ver. Nos itaque de verbor. ſignif. & cap.Iuuenis, & ibi Gloſ.de Sponſalib. cap.* 1 *.vbi gloſ. final. de ſcrutin. in ord.facien.eſt etiam textus, cum Gloſ.in cap. illud §. licet autem, verb. in dubijs de Cleric. excom. miniſtr. facit etiam textus in cap. fin. de ſentent. & re iudic.*

Similiter propter fauorem animæ, ponderat caſum ſingularem *Ludouicus Roman. in Aucthent. ſimiliter col.* 13 *. in* 3 *. priuilegio* piæ cauſæ inter vltimas voluntates in illo *textu cap.non liceat in princ.*19 *.q.*3 *.* per quem diſponitur, vt ſi filius Monaſterium fuerit ingreſſus, contra patris voluntatem. non per hoc; vel alia de cauſa poterit exhæredari, licet regulariter pater poſſit filium exhæredare, & è contra filius patrem ex cauſis poſitis *in Aucth.vt cum de appellation.cognoſc.§. cauſas collat.* 9.

Et idem Romanus vbi ſupra ponderat alium caſum ad fauorem animæ introductum, nam licet regulariter vaſſallus non poſſit alienare feudum, irrequiſito Domino, etiam pro anima, vt eſt textus

*in cap.*1.

Digitized by Google

*in cap.* 1. *§. donare tit. qualiter. olim poter. feud. alien.* tamen Dominus tamquam habens ius potentius, poterit feudum pro anima ſua relinquere, irrequiſito vaſallo. textus *eſt in cap. vnico reſponſ.* 1. *de allodijs. In vſib. feudor.*

Alium etiam caſum ponit ſupradictus *Romanus ibid. col.* 15. *&* eſt, quod regulariter filius familias teſtari non poteſt, *vt in l. tam Is. §. fin. ff. de donat. cauſ. mor. & l. ſenium, & ibi gloſ. fin. C. qui teſtam. fac. poſſ.* tamen hoc fallit, quando filiusfamilias pro anima teſtatur, tunc enim poteſt, vt notatur *in cap. licet. § fin. de ſepult. in* 6. quem ponderat ibi *Romanus. Et Bartol. in Auth. Sacramenta Puberum. C, ſi aduerſ. vendit.* inquit, quod verba, fauore animæ, debent accipi, & interpretari in latiori ſignificatione.

Eſt tantæ excellentiæ anima, vt meritò textus *in cap. ſi habes, verſ. quid dicam de coniuge* 24. *q.* 3. dicat, quod maius damnum cenſetur amiſſio vnius animæ, quam ſi ſuccederet mors innumerabilium corporum. Et eſt tanta, ac talis nobilitas, pulcritudo, & precioſitas animæ, *vt Diuus Auguſt. in epiſt. ad Deodatum hæc* verba proferat; *Anima natura, nec terra, nec maria, nec ſydera, nec luna, nec ſol, nec quidquam omninò, quod tangi, aut videri poteſt; non denique ipſum, quod à nobis videri non poteſt, Cælum, melius eſſe credendum eſt; Imò hæc omnia, longè deteriora eſſe, quam eſt qualibet anima ratio certa conuincit.* Vndè *Ouid.* occaſionem arripit dicendi *in* 2. *metamorph.*

*Cæloque animus præſtantior omni.* Ex quo infertur, quod anima eſt dignior Cælo ipſo empyreo, in quo collocanda eſt, vt præcit. Doctores aſſerunt. *Et Chryſipp. in lib. de contemptu mundi* ait; quod ſi daretur caſus, vt oculis corporis quiſquam animæ pulchritudinem videre poſſet: deſpiceret vtique omnia decora, & quæ terrena ſunt, etiam ſi pulcherrima eſſent; quia quantò Cælum eſt pulchrius terra: tantò maior eſt pulchritudo animæ ſupra omnem formam, quamuis pulcherrimam.

Egredere igitur, oh homo, quiſquis es, qui hæc legis, egredere de peccatis, & noli pulchritudinem animæ tuæ inficiari, & maculare turpitudine eorum, vt peruenire valeas ad locum tibi deſtinatum, ideſt Paradiſum, qui propter hominem factus eſt. Quem Deus pro ſua miſericordia nobis largiri dignetur. Amen.

TRA-

# TRACTATVS MISCELLANEVS QVINTVS DE ELEMENTIS.

## *De Terra ſcilicet: Aqua: Aere, & Igne.*

1 DE Elementis acturus, cum per breuiſſimas concluſiones ferè omnes Metheorologicas materias tangam, & alia multa curioſa per tranſennam adducam, præmittere operæ pretium duxi, quod ipſa elementa in parte Mundi Elementari continentur. Mundus autem per me Cœlum intelligitur, & quidquid eius ambitu continetur; cuius partes duæ ſunt: Aetherea ſcilicet, & Elementaris. Illa Cœlos omnes continet: Iſta reliqua, quæ quatuor Elementis prædictis comprehenduntur, ſub concaua ſuperficie Orbis Lunæ. Quorum prima terra eſt; ideo poſt generalia Mundi, ab ipſa exordium ſumam.

Cum igitur exploratum omninò ſit, ſummum, omnipotentemque Deũm, factorem, Cæli, & Terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, vt Catholica, & Orthodoxa fides teſtatur, omnia creaſſe in Numero, Pondere, & menſura. *Sapient.c.*11.*nu.*23. Mundus autem cum ſit opus ipſius omnipotentis Dei, & illum tot varijs, & diuerſis rebus ornauerit, in quibus omnia ſupradicta tria, hoc eſt numerus, pondus, & menſura inueniantur; & Muſica in Numeris maximè conſiſtat, nam vt inquit *Macrob.lib.*1.*c.*13.*Somn.Scip. & c.*1. *lib.*2. Ita coniungitur numerus Muſicis harmonijs, vt anima corpori; nemo negare poterit, Mundum non eſſe muſicè compoſitum, vt melius in primo lib. demonſtratum eſt, nam continet in ſe tonum perfectiſſimum Muſicæ, Diateſſaron, Diapente, Subdiapente, &c. ideo nolui ſicco veſtigio præterire; ſicque afferam, quæ ſubdam. Nam quid Mundo præſtantius? vt ait *Luc.Apulei.in lib.de dogmate Platonis*, quid pulcriùs, quid admirabilius, cum habeat naturam opificem efficientem, gubernantem, & continentem, ſecundum Platonem. Quod ex ordine partium, & rerum, quæ in eo ſunt, ex earumdem partium conſenſu, ex miro ordine diſpoſitio-

nis,

Digitized by Google

nis, ex multiplici diuerſitate, & rerum varietate; & ex alijs rationibus, quæ afferri poſſent, maniſeſtè patet; quibus breuitatis cauſa
2 non ampliùs inſiſtemus. Non omittam tamen hic innuere vnum tantum, quod facit ad noſtrum propoſitum, ſcilicet quod mundus, cum ſit ſphericæ figuræ, continet in ſe ſimilitudinem, & exemplar Mundi intellectualis archetypi, & ideæ mentis diuinæ, in quo non eſt principium, nec finis, vt accidit ſphericæ figuræ. Vnde *Boet. de conſola. lib. 3. me* 9. ait: *Mundum mente gerens, ſimilique imagine formans, &c.* Et cum in ſe omnia contineat, figuram capacem habere neceſſe fuit ſphericam, aliàs cum ipſe continuè moueatur à cæleſti, *vt Ariſt. lib. 1. Metheor.* aliqua loca relinquerentur vacua, & aliqua corpora ſine locis; vnde hæc figura mundi conuenientior fuit omni alia, quod ad eiuſdem gloriam redundat.
3 Sed deſcendamus ad particularia. Dicam propterea, quod Mundus hic elementaris, materialis, & viſibilis ex cæleſtibus, & elementaribus conſtans, eſt complectio, & ornatus vniuerſi, ſecundum *Plinium lib. 2. c. 8. Cleomedes verò* aliter diffinit *in lib. de orbium cæleſtium contemplatione,* quòd ſcilicet ſit conſtitutio Cæli, & Terræ, & naturæ rerum, quæ introcluduntur. Et *Ariſtot. in lib. dè Mundo*, ait, quòd Mundus ſit vniuerſitatis ordo, ac exornatio à Deo, & per Deum conſtituta. Hunc *Plato in Thimæo*, & *Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro,* ac ſtoici omnes, apud *Ciceron. 1. de nat. Deor.* falsò aſſeruerunt eſſe animal; & *Plutarchus lib. 2. de placitis Philoſophor. c.* 21. & *Auerr. comment.* 51. *lib.* 12. *Metaphy.* magis temerè aſſeruerunt Mundum, ſine Dei prouidentia gubernari, & agere. contra quos meritò inſurgunt *Diu. Auguſtinus lib. 1. de retract. & Cicer. lib. 1. & 2. de nat. Deor.* refellentes opinionem illorum, qui Mundum animal dixerunt; & *Diuus Ambroſ. lib. 1. offic. c.* 13 *ac Diu. Thom. ſup. 1. ſentent. diſt.* 39. propulſant errorem illorum, qui aſſeruerunt, Mundum, ſine Dei prouidentia agere; Deus enim omnibus, qui omnia creauit, prouidet, diſponit, gubernat, & per media, & immediatè, & minima, vt maiora, veluti conſtat ex *Diu. Matthæo cap.* 6. & 10. & *Lucæ* 12. & *Pſalm* 103. & 146. Mediatè autem regitur mundus auctoritate Sacerdotali Summi Pontificis, & Regum, vt in *Can. Duo ſunt diſt.* 96.
4 Mundus vnicus eſt, *vt docet Plat. in Thim.* & non plures, imò infiniti, vt errauerunt Epicurei, aucthore *Diogene Laertio lib.* 10. *in eius vita.* Et ex quo forma Mundi rotunda eſt, non alterius figuræ, vt dictum eſt, & ait *Ariſtot. 2. de Cælo c. 4. & Plin. lib. 2. c. 2.* Ideo orbis dicitur; & eius motus circulares ſunt, vt ſuo loco demonſtratum eſt cum de Cælis egimus. Fuit autem Mundus initio temporis



Digitized by Google

creatus à Deo, vt probatur in *Sacr. Geneſ. c. 1. Ioan. c. 1.* & definitum fuit *in Concil. Lateranenſ. 4. c. 1. & Concil. Lateran. 5. ſeſſ. 8. in conſtit. 1. Leonis X.* Non autem æternus, vt quidam falsò arbitrati ſunt, quos refellit D. *Ambr. toto ferè l. 1. 2. 3. Exameron.* & quidē tēpore Aequinoctij Verni, vt per *Concil. Palæſtin. ſub Victore Cæſareæ factum*; ac die Dominico, vt ibidem probatur; quare malè ait *Rabinus Eliezer in Sanedrin. c. 1. reſchanaſchana*, Mundum fuiſſe creatum in menſe *Tiſri*, ideſt Septembri, quo fructus erant maturi; melius tamen in hoc arbitrati ſunt Alij ex *Extrauaganti Sanedrin.* tenentes creatum 25. *Elul*, ideſt Aprilis, vt ſcribitur *in lib. inſcripto Sepher Lematzat moledot in tract. eiomeniar.* quem vertit ex Hæbraico *Munſter.* relat. *à Petr. Greg. in Synt. lib. 8. c. 43.*

6 Mundus itaque eſt quidem ſphæra, cuius centrum eſt ipſummet vniuerſi, & terræ centrum: ſuperficies verò ipſa primi mobilis, ſiuè Cæli vltimi conuexa. Sphæra enim ſolidum eſt, ſolidum autem ſuperficiebus clauditur, ſuperficies verò lineis terminatur, & linea punctis interiacet, ſecundum *Ptolomæum*, in coſmographia de quibus vide *ſup. Miſcellan. 3.* vbi de Cælis actum fuit.

7 Terra in medio Mundi ſita eſt; vt ex Aequinoctiis clarè patet, ſeu ex crementis dierum, ac noctium, & ex eclypſibus lunaribus. Necnon ex eo, quia in medio eius punctus eſt, qui centrum terræ dicitur, ad quem omnia grauia naturaliter tendunt; Et tandem, quia ſi non eſſet in medio, aliquando ſtellæ eſſent terræ propinquiores, & apparerent maiores. Et ipſa terra ſuper centro ſuo in medio mundi immobiliter conſiſtit, *vt Dauid Rex inquit Pſalm. 13. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.*

8 Ipſa verò Terra, vnà cum aqua ſphæram vnicam conſtituit, quæ in ſuperficie concaua aeris continetur, & tanquam centrum in medio Mundi conſiſtit. frigida, & ſicca eſt de ſui natura. Ex quo ſequitur, quod terra ſit rotunda, *vt Ptolomæus inquit vbi ſup.* & reſpectu firmamenti, quaſi punctum eſſe ipſam oſtendit, alias nos non videremus dimidium Cæli, & dimidia magnorum circulorum; licet ipſa in ſe conſiderata magna, & ſpatioſa ſit. nam *Auct. Mar. Phil. l. 7. tr. 1. c. 4. deſumit;* ex Ptolomæi coſmographia, quod ambitus terræ eſt milliariorum Romanorum 22500.

9 Illius autem Mundi dimenſionem referemus, vt eam deſcribit *Philippus Bergomas in ſupplemento Cronicar. lib. 7.* Cuius formalia verba ſunt ſequentia: *Cæſar Diuinis humaniſque rebus ſingulariter inſtructus, cum Conſulatus ſui faſces ageret, ex Senatuſconſulto (vt Priſcianus in ſua Coſmographia ſcribit), cenſuit, omnem orbem per Prudentes viros admetiri, Et*

*ideo à ſuo Conſulatu, vſque ad Conſulatum Saturnini per triginta continuos annos miſſi ſunt dimenſores legati viri Doctiſſimi, & in Geometrica arte periti per omnem Terram ad Præſides, Duces, & Iudices Prouinciarum, vt deſcriberent, menſurarentque Terras, Aquas, Nemora, Plana, Concaua, montes, colles, Itinerarium, maritimumque etiam loca nauigaturi tangere debuerant; & ſi fortè aliquod prodigium in his occurreret, illud Senatui, Reique publicæ ſcripto nunciarent.* Et ſic eodem Auchore referente, repertum eſt, quod

Omnis Orbis habet famoſa maria triginta.
Inſulas vigintiſeptem magis famoſa.
Montes famoſos quadraginta.
Prouincias ſeptuaginta octo, intellige magis famoſa.
Vrbes inſignes 370.
Flumina magna 904.
Gentes 125.

Eius etiam ambitus orbis, eſt trecenties,& quindecies centena paſſuum millia.

Longitudo autem Terræ ab Auſtrali littore Oceani, ab Aethiopia vſque ad oſtium Thanais fluminis in Septentrione ferè dimidio minor eſt, quam longitudo prædicta,& continet quinquagies quadringenta ſexaginta duo milliaria.

10 Repertum eſt etiam, quod profundiſſimum Mare continet ſpatium quindecim ſtadiorum in perpendiculo. Hæc ille. *Stadium* autem ſecundum *Plin.lib.1.c.23.* continet octauam mille paſſuum partem, quod efficit centum vigintiquinque noſtros paſſus,hoc eſt pedes ſexcentos vigintiquinque, quæ menſura octies multiplicata, efficit mille paſſus, ideſt *miliare* vnum ex noſtris communibus.

11 Ab antiquis Coſmographis diuiditur mundus in tres tantum partes principales, ſcilicet in Aſiam, Aphricam, & Europam, vt per *Diu.Ambroſ. lib.3. Hexamer. c.3.* A Recentioribus verò ſupradictis tribus additur quarta pars, quæ dicitur America.

12 *Aſia* eſt maior Aphrica, & Europa, cum ipſa tantum contineat, quantum aliæ duæ ſimul, *vt* aſſerunt *Coſmographi in lib. de mundi deſcriptione,* qui eſt additus Geographiæ Ptolomæi, diuiditur in Aſiam maiorem, & minorem; In ipſa ſunt regiones principales, ſcilicet Bithynia, Galathia, Meſopotamia, Paphligonia, Piſidia, Cappadocia, Liſia, Pamphilia, Lidia, Armenia maior, & minor, Scythia, Arabia deſerta, & fælix, Syria, India; cum partibus cuiuſque ex nominatis, ac Inſulis adiacentibus. In hac parte Mundi quidam aſſerunt eſſe Paradiſum Terreſtrem; conſtat enim eſſe in Oriente

vt *Geneſ.c.2. & Damaſcen.lib.2.* ait, quod eſt altior omni terra, & ex illo profluunt quatuor præcipua flumina, *Ganges, Tigris, Euphrates, & Nilus. Margar.lib.7.c.45.*

13 *Aphrica* ab Occidente clauditur mari Athlantico, à meridie Oceano Aethyopico; à Septentrione mediterraneo,& ab ortu Nilo. Eſt magna quantum continerent duæ Europæ. Regiones præcipuæ ſunt Mauritania Lybia, Numidia, Aphrica minor, & maior, Cyreneica,Ethyopia, Aegyptus inferior;cum ſuis partibus ſingulorum, & Inſulis adiacentibus.

14 *Europa* ab Occidente clauditur mari Athlantico, à Septentrione Oceano Britannico, ab Oriente Tanai meotide palude, & Ponto, à meridie mediterraneo. Eſt dimidia pars Aphricæ, ideo eſt minor alijs, ſecundum *Coſmographos in prædicto lib.de mundi deſcript. c. 1.* Regiones in ipſa magis nominatæ ſunt Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, Suetia, Grecia, Sarmatia, Polonia, cum partibus ſingularum, & Inſulis adiacentibus.

15 *America* recens mundi pars incognita antiquis Coſmographis ex omni parte ab Oceano circumdatur; detecta fuit a *Christophoro Columbo die* 11. *Octobris* 1492. Regiones duas præcipuas continet *Perù*, & nouam Hiſpaniam. ſiuè *Mexicum*; Perù ſeptem habet Prouincias; Noua Hiſpania verò habet duodecim Prouincias, vſque modo cognitas. Ex parte Occidentis confinat cum Aſia.

16 In quinque Zonas partitur Terra; *Zonæ* autem ſunt circuli quidam lati Cælum, & Terram, veluti cingula quædam ambientes;ex quibus duæ extremæ dicuntur Zonæ frigidæ: media dicitur Torrida, ſeu adusta: cæteræ duæ inter frigidas, & torridam, dicuntur mediæ, & temperatæ, & ideo iſtæ tantum habitabiles; poſſunt tali pacto figurari ex Probo Grammatico, vt ſi quinque digiti manus imaginentur Zonæ: Pollex, & auricularis dicerentur Zonæ frigidæ; medius eſſet Zona torrida; Index, & anularis eſſent Zonæ temperatæ, quia ex vtroque latere participant ex calido, & frigido. Ex his media quæ inter Tropicos eſt ſub Aequinoctiali terræ, ob ſolis vicinitatem nimio calore torrida vocatur, ideo non eſt apta ad habitandum, quæ verò extremæ ſunt inter circulos Arcticum,& Antarcticum, frigidæ vocantur, nimio frigore horrent, ideo parum aptæ ſimiliter ad habitandum, ob caloris modicitatem, qui calor hominibus neceſſarius eſt; Reliquæ verò duæ ſunt omninò temperatæ:quia medium ſitum tenent inter torridam,& frigidam,ideo humanæ vitæ commodiſſimæ *Mar.lib.7.c.45. & Ouid. 1.Metamor.*

*Vtque duæ dextra Cælum, totidemque ſiniſtra*

Parte

*Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis*
*Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem*
*Cura Dei, totidemque Plagæ tellure premuntur*
*Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu, &c.*

& *Virgil.* 1. *Georgic.*

*Quinque tenent Cælum Zonæ, quarum vna coruſco*
*Semper Sole rubens, & torrida, ſemper ab igne, &c.*

17 Media Zona antiquitùs dicebatur inhabitabilis; noſtræ verò ætatis Scriptores non ſolum habitabilem; ſed temperatam dicunt rationibus, & experientia, nam regiones fæcundiſſimæ, & gentes cultiſſimæ detectæ ſunt. *Gemm. Phryſ. c. 3. Coſmogr.*

Sunt in mundo ſeptem *climata*, ſecundum Antiquos; ſecundum verò Recentiores, nouem; eſt autem *Clima* ſpatium terræ inter *duos paralellos* concluſum, quibus annéctuntur paralelli; qui ſunt lineæ interſecantes mundum ab Aequatore verſus Polos mundi, nam ſecundum latitudinem ab æquatore, vſque ad punctum vtriuſque Poli, & extremum cuiuſque diuiſio facta, tot partes conſtituit; Aequinoctialis quippe, *vel æquator circulus*, eſt linea, quæ cingens orbem per medium diuidit conſideratione, & duas partes æquales facit, vna verſus Septentrionem, alia verſus meridiem; quod autem medio Cælo æquatoris eſt, dicitur latitudo mundi; cum enim ſol ad eum circulum peruenerit, fiunt dies noctibus æquales. In ſingulis climatibus habitantes, variationem magnam experiuntur dierū, & noctium, cū non ſint æquales terræ partes, ſecundum latitudinem ab Auſtro, verſus Septentrionem, ideo ſenſibiliter differunt per variationem dierum maximorum, vel pauciorum, & ſic à pari experiuntur de noctibus, vt ait *Mar. lib. 7. c. 46. & 47. Vitr. lib. 1. c. 1.*

18 Habet inſuper mundus *Ventum*, qui ſecundum *Ariſtot. in Meteor.* eſt exhalatio ſicca è terra reſoluta, cum aliqua virtute cæleſti compoſita, hæc autem in viſceribus Terræ generatur, quæ egreſſa lateraliter mouetur, & circulariter in orbem, non autem rectè à terra ſurſum, vel à ſuperiori parte deorſum, vt ait *Alb. Magn. lib. vent. c.* 12. Cum enim hæc exhalatio calida ſit, & ſicca, aëris regiones tranſire nititur; frigus autem mediæ regionis obuians eam deijcit, quæ ratione caloris reaſcendit, & rurſus à frigore cum impetu verſus terram redeijcitur, propter calorem autem, qui ſurſum tendit, eleuatur iterum exhalatio, ſed impedita ab alijs exhalationibus, circulariter, non directè mouetur verſus terræ faciem.

19 Quia verò à quatuor Mundi partibus, ſeu Cardinibus venti flant,

ſlant, qui ſunt Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies, ab ipſis nomina recipiunt, qui Cardinales, ſeu maiores dicuntur, vt Subſolanus ab Oriente; Auſter à Meridie; Fauonius ab Occidente; Boreas à Septentrione, vt habetur in *rubr. de mund. deſcript. c. 49. poſt Geogr. Ptolom.* quorum ſinguli in ternos diuiduntur, quilibet enim duos alios habet ventos collaterales, & ſic duodecim à nonnullis connumerantur.

20 *Subſolanus* appellatus ab Oriente Aequinoctiali, ad Septentrionē habet *Vulturnum*, ad meridiem *Eurum*. Hi ſunt calidi, & ſicci, quia ſub Sole diù morantur. Venire ſolent in fine noctis, & principio diei, quia iam Aër temperatus eſt. Si verò in fine diei, & principio noctis veniunt, ſunt humidiores, & craſſiores, & ideo non multum ſalubres, in principio autem diei ſunt ſalubres, quia egrediuntur à temperatis regionibus. Subſolanus circa æquinoctiū Autumni flat.

21 *Fauonius* dictus ab occaſu æquinoctiali, quia fouet, quæ naſcuntur, tempeſtatum authorr; flans circa æquinoctium veris; hic habet ad Septentrionem *Circium*; ad Auſtrum *Zephirum*, qui temperatè frigidi, & humidi ſunt, quia ſol non multum moratur in Occidente, ideo nec multum illos calefacit, nec multum deſiccat. In fine diei ſalubres ſunt, quia tunc ſubtiliores redduntur à ſole; in fine verò Noctis, & principio diei, non ſic, quia veniunt ab aëre nondum calefacto; vnde ſunt craſſiores, & ſpiſſiores.

22 *Auſter* à meridie appellatus, peſtilens eſt; hic ad Orientem habet *Notum*, ad Occidentem *Aphricum*; hi omnes calidi, & humidi ſunt, quia per Mare à meridionali calore ſuggunt tranſeundo vapores multos, & proinde nubes, & pluuias effundunt, & ſi durant, tempeſtates, & procellas faciunt. Auſter robuſtior eſt oriente, & occidente Sole, meridiè quietior, ſaltem in æſtate. Debilitant corpora, virtutes animales impediunt, grauitatem corpori afferunt, opplent cerebrum, poros aperiunt, appetitum deiiciunt, humores, & chatarros mouent, febres putridas generant, & calorem naturalem proſternunt, auditum aggrauant, caput humoribus replent.

23 *Boreas* à Septentrione dictus, ad Orientem habet *Aquilonem* ad occaſum *Corum*. Hi ſunt frigidi, & ſicci; vt plurimum afferunt niues, grandines, gelu; aliquando ſalubres, corpora indurant, poros conſtringunt, humores purificant, robur augent, aerem peſtilentem purgant. Boreas noctu ortus non durat vltra tertiam diem, noctu debilis, interdiù fortior; ſi ſequitur ventum meridionalem, fit præparatio tempeſtatibus; ſi diù perſeuerent, & augeantur Septentrionales venti, gignunt thuſſes, tremores, dolores laterum, &

pecto-

Digitized by Google

pectoris, ac neruorum, cauſant, dyſurias, horripilationes, pleuritidem, & alia mala.

Supradicti omnes venti in origine calidi ſunt, ſed à terris diuerſis, per quas flare, & tranſire ſolent, diuerſas qualitates ſortiuntur; ſicuti & diuerſis alijs nominibus nuncupantur. Controuertitur inter Doctores adhuc numerus ventorum; Homerus enim ait, eſſe tantum quatuor, Alij octo, Alii plures, de quibus videndi ſunt *Plin. lib. 2. c. 47. 48. & 49. Ariſtotel. lib. 2. c. 4. & 61. Vitruu. lib. 1. Archit. c. 6. & Medimna lib. 3. artis nauigatoriæ c. 5.*

24 Nautæ verò, quibus magis credendum, tanquam peritis in arte, propter experientiam, aſſerunt, eſſe ventos triginta duos, ex triginta duobus orbis regionibus, ex quibus de facto experti ſunt oriri ſolere, quibus adhæret *Medimna vbi ſup.* Vnde ſecundum illorum ſententiam formata eſt Pyxis, vulgò *Buſſola,* ſeù carta nauigationis; in qua annotantur omnes prædicti 32. venti, hoc ſequenti modo, ſed in forma circulari, vbi oriens apparet contra Occidentem, Auſter contra Boream: ſunt autem ſequentes, quos appellabo iiſdem propriis nominibus communibus pro maiori intelligentia eorum, qui facere voluerint Pyxidem prædictam; ſcilicet.

TRAMONTANA
Quarta Tram. verſ. Magiſtr.
Magiſtr. Tramont.
Quarta Magiſtr. verſ. Tram.
MAGISTR.
Quarta Magiſt. verſ. Pon.
Ponent. Magiſt.
Quarta Ponent. verſ. Magiſtr.
PONENT.
Quarta Ponent. verſ. Garbin.
Ponent. Garbin.
Quarta Garbin. verſ. Ponent.
GARBIN.
Quarta Garbin. verſ. Auſt.
Auſt. Garbin.
Quarta Auſtr. verſ. Garb.
AVSTR.
Quarta Auſt. verſ. Siroc.
Auſt. Siroc.
Quarta Siroc. verſ. Auſt.
SIROC.

Quar-

Quarta Siroc. verſ. Leuant.
Siroc. Leuant.
Quarta Leuant. verſ. Siroc.
LEVANT.
Quarta Leuant. verſ. Grec.
Grec. Leuant.
Quarta Grec. verſ. Leuant.
GREC.
Quarta Grec. verſ. Tram.
Grec. Tramont.
Quarta Tramont. verſ. Grec.

Eſt tamen aduertendum, quod in centro huius Pyxidis poni debet Magnes, cũ linea Polari, vt ſit in Horologijs ſolaribus paruis. Et ſi in eodemmet ponatur Index horarum, fit etiam Horologium ſolare.

Quos omnes ſi circulariter ſcribas, inuenies eodem modo, & forma poſitos, prout in Pyxide Nautarum ponuntur:

25 Poſſunt fieri multa prognoſtica naturaliter, quæ futurum ventum indicent; ex ſupradictis Doctoribus.

Et primò ſi Luna appareat rubicunda; ratio eſt, quia cum exhalatio ſit calida, & ſicca accedens ad naturam ignis, qui eſt calidus, & ſiccus, vt ſuo loco dixi, facilè concipit colorem rubicundum, ſub quo colore apparet nobis Luna, propter exhalationem ventoſam rubicundam interpoſitam.

2, Rubedo, ſiue nubes rubea, circa ſolem.
3. Corona ſplendens, circa Solem, ex aliqua parte ſe aperiens.
4. Cum videtur nubes rubida, ante ortum Solis.
5. Cum videntur in æſtate concauæ nubes.
6. Cum videntur coruſcationes, & audiuntur tonitrua in æſtate.
7. Cum cornua Lunæ apparent erecta, & acuminata.
8. Cum videntur plures ſtellæ hinc inde volantes per aerem.
9. Plumæ volitantes per aerem.
10. Cum multæ Araneæ feruntur per aerem.
11. Pluuia temperata in æſtate.
12. Frigiditas temperata in hyeme.
13. Cum auditur ſonitus in montibus.
14. Quando canis inuoluit ſe pluriès in terra.
15. Cum Cerui ſingultu quodam latrare audiuntur, & ſæpè ſe concutientes.
16. Quando Ericius claudit foramina ſuæ habitationis.
17. Cum flamma in lucerna flexuosè, non rectè volitat.
18. Mare murmurans, & intumeſcens.

26 Aliquandò ab eiſdem exhalationibus, ſeù vaporibus in viſceribus Terræ obſtructis, ex quibus venti generantur, cum exeundi lo-

Digitized by Google

locum non inueniunt, fit Terræmotus, vt ait *Plin. præcit. lib. 2. c. 84.* In die enim ipſi per radios ſolares calefiunt, & ſubtiliantur, deinde per frigus nocturnum ingroſſantur, ( vt proprietate effectus vtar ) vtroque autem motu exitum quærentes, latera Terræ, & cauernarum concutiunt, & Terram tremere faciunt, & nonnumquam etiam rumpunt; ſæpiùs tamen fiunt in nocte. Qui quidem vapores, ſi exitum non inueniant, terram admodum Collis eleuant; quam ſi rumpunt, cineres, & lapides eijciunt, & omne, quod ibi continetur, abſorbent, & proijciunt, vt pluries viſum eſt eruptionibus Veſuuij, & alibi. Sæpè peſtis Terræmotum comitatur in locis, vbi fiunt; Ratiò eſt, quia ſpiritus iſti Terræ incluſi, cum venenoſi ſint, exeuntes, aërem corrumpunt, & inficiunt, vt plurimũ.

Dantur autem quædam ſigna, ex quibus futurus Terræmotus prognoſticari poteſt; ſicut enim exhalatio calida, & in magna quantitate violenter manens ſub Terra, ſi non habeat viam apertam aliunde, ipſam terram mouet, & concutit, vel vt aſcendat, vel vt maiorem locum occupet: ſic omnia ea, quæ talem exhalationem clauſam in terra demonſtrant, ſunt prognoſtica Terræmotus, quæ multa ſunt.

Primo, quando aqua in Puteis fit turbida, præter ſolitum.

2. Si aqua putealis concipit nouum ſaporẽ, præcipuè ſulphureũ.

3. Si eadem aqua putealis malum reddat odorem. Ratiò eſt, quia hæc indicant, magnam eſſe in terra exhalationem incluſam, quæ viam opportunam exeundi quærit, & ideo terram mouet, exitum inuenire tentans.

4. Si aqua in puteis ebulliat, & aſcendat.

5. Si Mare, ſine vento repentè intumeſcat.

6. Si fiat Eclypſis Lunaris; & præcipuè ſolaris à fortiori.

7. Si tranquillitas aeris perfecta intempeſtiuè fiat; maximè ſine apparentia ventorum, qui fortaſſe abditi exhalationi ſubterraneæ iacent quaſi conſopiti.

8. Caligo magna Solis.

9. Sol apparens ſanguinei coloris.

10. Magnum frigus maius ſolito. Ratio eſt, quia impeditur exhalatio ex ambiente frigiditate, ne ſtatim exeat.

11. Crepitantia ædificia.

12. Nubes tenuis, & in longum porrecta.

13. Nubes in aëre apparens, quaſi columna ignita.

14. Si nebula appareat verſus occaſum ſtricta, longa, & alba in veſpere, Cælo ſereno,



Digitized by Google

15. Aues ſedentes pauidæ.

16. Cum Aues non audent diù ſuper Terram manare, ſed ſæpius cum quodam timore de vno ad alium locum volitant.

17. Si audiatur ſonitus inſolitus ſuper terram.

18. Quando homines in Naui exiſtentes, tenent aliquid in manibus, & illud tremat, ſine vento, vel fluxu maris.

19. Si Cometæ appareant, nam ſignum eſt, quod multa exhalatio clauditur in Terræ viſceribus. Multa alia aſſignantur ſigna ſparſim per *Doctores, & à Plin. vbi ſup. c. 80.*

Sed eſt omninò aduertendum, quod nullum prædictorum ſignorum ſufficit ad Terræmotum ſignificandum ſingulariter ſumptum, ſed ſi plura ſimul concurrant, ſignificatio eſt certior, ita *Sueſſan. l. 2. Metheor. & Conimbricenſ. in lib. Metheor. c. 5.*

27 Remedium diuinitùs traditum contra Terræmotus pericula, tempore magni Terræmotus ſemeſtris ſub Theodoſio Iuniore Imperatore per totum Orbem experti, tradit *Niceph or. Caliſt. lib. 10. Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 46.* ſcilicet illud Canticum: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miſerere Nobis*; quo ſolemniter cantato, & Populo Conſtantinopolitano per Epiſcopum Proclum iniuncto, ſtatim Terræmotus ceſſauit. Quod factum ſcribit etiam *lib. 18. c. 51.* Idem *Niceph.* ſimiliter narrat *lib. 13. c. 3.* quod tempore alterius Terræmotus Anthiochiæ ſub Iuſtino Imperatore reuelatum fuit cuidam pio, ac religioſo viro, vt Sanctiſſimum, & potentiſſimum nomen Dei præ foribus Domorum ſcriberetur tali modo: *Chriſtus Nobiſcum; ſtate*: Quo facto ſtatim Terræmotus repulſus ceſſauit.

28 Cōtinet quoq; Mūdus ſeù terra Mineralia quædā, vti sūt lapides, Sales, & Metalla, de quibus pauca breuiter, ſecundum morem attingam. Hæc mixta procreantur in viſceribus Terræ, ex vaporibus quoque, & exhalationibus, actione primarum qualitatum, & calore cæleſti, ac ſolaris, vt *Plinius tradit in ſpecul. Natural.*

29 *Lapides* quippe producuntur, ex vapore, & exhalatione, cum luto viſcoſo permixta, longa actione diuerſorum colorum, & efficaciæ multiplicis, ſecundum naturam materiæ, vt *Auct. Mar. Phil. inquit vbi ſup.* Pura autem in terra, lapis non fit, quia ſiccitas illam coagulari non permittit; Aqua verò guttatim cadens, lapis aliquando fieri poteſt, quia virtute materiali coagulatur. Sic etiam ſpuma aquarum, aut ligna in aqua vertuntur ſimiliter aliquando in lapides. Quis autem ſit excellentior; aut maioris virtutis ex lapillis in ſpecie, latè ſcribit *Plin. lib. 37. c. 4. cum ſeqq.*

30 *Sales* pari modo, vt ſupra diximus, generantur ex vapore in di-



Digitized by Google

uerſa proportione admixto exhalationi forti actione, vt eſt ſal communis, ſal harmoniacum, Vitriolum, Nitrum, ſulphur, arſenicum, auripigmentum, argentum viuum, & his ſimilia.

31 *Metalla* inſuper, vt aurum, argentum, ſtammum ferrum, cuprum, plumbum, & argentum viuum, quod & Mercurius vocatur, ad inſtar Planetæ, quia ſicut ipſe omnibus alijs Planetis copulatur, ita argumentum viuum omnibus metallis iungitur, nam aurum fit ex argento viuo puro, & claro, & ſulphure rubeo mundo, non adurente actione Solis: Argentum ex argento viuo mundo, & albo, & ſulphure mundo, & albo non adurente procreatur. ſtamnum ex argento viuo puro, & claro, & ſulphure immundo generatur. Ferrum ex ſulphure ſpiſſo impuro, & adurente fit cum argento viuo modico, & immundo. Cuprum, ſeu æs ex argento viuo non omninò immundò, & ſulphure rubeo, & groſſo naſcitur; Plumbum ex argento viuo impuro, groſſo, & fetulento, ac ſulphure impuro procreatur; ex his duobus ſcilicet argento viuo, & ſulphure diuersè coadunatis, & in Mineris terræ decoctis, diuerſa generantur metalla, cum enim argentum viuum ſit ſubſtantia aquea mixta terreo ſubtili, forti mixtione, & ſulphur ſit ſubſtantia ex vnctuoſo aereo, terreſtri, ſubtili, & igneitate decocta, virtute caloris Solis per diutinas ſolutiones, & coagulationes iunguntur. de quibus, ac de reliquis videndi ſunt *Diu. Ambroſ. in Hexamer. lib. 3. cap.* 15. *Auct. Mar. Phil. lib. 9. c. 24. & Plin. lib. 33. c. 6.* vbi ſcribit, quod vix vlla metalli vena inuenitur, quin alterius metalli vena in propinquo poſtea inueniatur.

32 An autem vna metalli ſpecies in aliam mutari poſſit, vt ſi plumbum verbi gratia poſſit in argentum tranſire, vel æs in aurum; *Auicenna, Hermes, Geber, Raymundus Lullius, Arnoldus de Villanoua, & Alij Alchimiſtæ* potiùs ſe iactando, quam veritati adhærendo, reſpondent, quòd ſic; ſed tamen non eſt illis credendum, cum nemo poſſit vnam ſpeciem in aliam mutare, niſi Deus, vt *in cap. Epiſcopi. §. quiſquis ergo. 26. q. 5.* nec vſque modo viſum eſt hoc miraculum, licet multi ſe iactitent habere hoc ſecretum à quodam magno Principe, & reuera non eſt ita. vnde merito de illis verificatur, quod dicitur *in cap. nec mirum. §. aruſpicinæ 26. q. 4. & 2. ad Timoth. 3. ſemper addiſcentes, numquam ad veritatis ſcientiam peruenientes*; ideo hanc artem deceptoriam, & fraudibus plenam reprobauit Papa *Io XXII. in Extrauagant. de crimine falſi cap. ſpondent*, multas ibi pœnas cumulando contra Alchimiſtas, ipſoſque protegentes, alchimiam fieri mandantes, &c. ideo fugiendum eſt ab ipſorum conſortio, quia

 ad pau-

ad paupertatem potiùs, quam ad diuitias, quas promittunt, deducunt, vt inquit *Ioan.de Plat. in l.vnica C.de argenti pretio, quod Theſauris infertur lib.10. & Andr.de Iſern.in c.quæ ſint regalia in Vſib.feud.* Nec eſt audiendus *Ioannes Andr.in addition.ad ſpeculat.in tit. de crimine falſi*, vbi commendat Alchimiſtas, *& Oldrad. conſ.* 69. per ea quæ dicit *Gloſ.1.in c.ferrum* 50.*diſt.ex Iob.*28. vbi habetur; *habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur, ferrum de terra tollitur; lapis calore ſolutus in æs conuertitur*; & ſimiliter *Panorm.in cap.2.de ſortilegis* ex hoc infert, quod poſſit fieri hæc transſmutatio, cum herbis, & lapidibus, quibus virtutes inſunt, ſed falluntur, nam expoſitores illius dicti *Iob.*28. aliter interpretantur.

Continet quoque Terra tria loca notiſſima, in quibus animę hominum, poſt vitam præſentem diuerſimodè detinentur, Infernum ſcilicet, Limbum, & Purgatorium, de quibus pauca ad vtilitatem, & profectum legentium, ac morum correctionē prælibauimus *ſup. in 4. Miſcell.nu.60.cum ſeqq.*

At vero quia in principio præſentis Miſcellanei diximus Mundum muſicè compoſitum eſſe præter rationes ibi allatas, nunc hic dicam; poſſe in ipſo conſiderari fere omnes Muſicæ terminos; in vnitate namque formari poteſt *Vniſonum*; in perfectione *Tonus*; in diuiſione ipſius, *Semitonus*. In tribus partibus principalibus, in quas diuiſus eſt, formatur *Ditonus*. In quatuor verò *Diateſſeron*; In quinque Zonis formari poteſt *Diapente*; in ſeptem climatibus formatur *Septima maior, & minor*. In nouem *Eſſachordum*. In numero ventorum, conſiderantur plures termini muſici. In quatuor, ſecundum Homerum, conſideratur *Diateſſaron*; in octo *Diapaſon*; in 32. *Tetracos Diapaſon*. Et ſic de ſingulis quibuſuis dici poteſt.

## *De ſecundo Elemento; ideſt de Aqua.*

AQua igitur, quæ eſt aliud elementum, cum ſit ſphericæ, &
33 rotundæ figuræ, magis propriè, & præcisè loquendo, non datur illi terminus menſurationis, propter ſitus varietatem, cum habeat tot diuerſa maria, flumina, torrentes, fontes, lacus, & ſtagna; & inſuper quia in quibuſdam partibus Terra poroſa inuenitur, astrahit ad ſe aquas implendo loca prædicta vacua, cum naturaliter vacuum abhorreat, & licet ſit maior Terra in decuplo, vt ſuo loco dixi, tamen ipſam non cooperit, quia Deus ſua ſumma Sapientia talem legem impoſuit; *vt Geneſ.1.Congregentur aquæ*

quæ

Digitized by Google

*quæ ſub Cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida, & factum eſt ita;* & *Pſalm.* 103.*nu.*6. *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, & ibid.nu.*9.*Terminum poſuiſti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire Terram*; & *Iob.*18.habetur: *Quis concluſit oſtijs mare? & vlterius: Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi; vſque huc venies, & non procedes amplius. Et Prouerb.*8. *Cum certa lege, & gyro vallabat abyſſos, & Hierem.*5. *Qui poſuit arenam terminum mari*. Ideo in concauitate Terræ permanens per medium illam circundat, & ipſius ſuperficiem non egreditur, nec ſupereffluit,non obſtante,quod omnia flumina in maris ſinum fluant, *vt Eccleſ.* 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*; & Diu.Baſil. *Hexamer.homil.*4.

34 Mare itaque eſt congregatio prædictarum aquarum, ſed diuerſa ſortitur nomina pro diuerſitate terrarum,in quibus conſtitutę ſunt eius partes, vt Mare Hyrcanum, Ponticum, Arabicum,Oceanum, Mediterraneum, &c.

35 Aqua per ſe, eſt ſine odore, ſucco, & ſapore; ſi verò aliquando alicuius ſaporis ſit, vel aliam qualitatem ſapiat, vitium eſt. *Plinius lib.* 15.*c.*27. Quando autem ſaporem aliquem habet, illum recipit per meatus Terræ, per quos tranſit. Bona, & ſalubris eſt, ſi ſit clara, agitata, ſubtilis, & verſus orientem fluat. *Vitruu.lib.*8. *Archit.c.*5. & *Plin. vbi ſup.* Quia verò multa ſcitu digna in hoc elemento inueniuntur; Ideo breuiter referam, quæ ſequuntur.

## *De Aquæ notabilioribus enarratio Breuis.*

36 PRæmiſi paulò ante ſupra, ex auctoritate Sacræ Scripturæ *Geneſ.*1.& *Eccleſ.*1. & *Diu.Baſil.hom.*4.quod aquæ omnium fluminum ex mari deriuantur;vnde deberent eſſe amaræ, vt ſunt in mari, & non dulces, vt experiuntur. At ratio quare non ſunt amaræ, & ſalſæ, ſed dulces, eſt,quia cum tranſeunt per meatus Terræ, inueniunt ibi arenam aliquando, & terram poroſam, ac lapides, & alia, & ſic neceſſariò relinquunt partes craſſas, & Saliginoſas, & pertranſeunt partes ſubtiliores, quæ dulces ſunt ex ſui natura. *Auct.Mar. lib.*9.*cap.*16. Hinc fit, quod perpetuò fluant, quia Mare ſemper ſubminiſtrat Terræ viſceribus aquam; quæ ſi tranſeunt per mineras aliquas mixtorum Terræ, virtutes recipiunt, & ſapores earumdem, vt ſi contingit pertranſire per mineram auri, eiuſdem qualitates recipit bonas; ſimiliter ſi per argenti mineram;

ſi per

Digitized by Google

ſi per ſalinas, ſalitæ euadunt; ſi per ſulphureas mineras, ſulphureæ redduntur aquæ, & ſic de ſingulis.

38 Poſſet hic dubitari vnde originem habeant fontes,& putei? Reſpondeo cum communi Doctorum ſententia, de qua *Maur.l.4.q.10.* quod etiam à mari principium habent per poros, & meatus Terræ ſubterraneos; Nec non generantur ex aere, ſeù vapore in ſubterraneis cauernis incluſo, quia vacui eſſe non poſſunt; nam vapores à Terra eleuati in lateribus cauernarum guttatim diſtillantes, in aquam reſoluuntur, tandem erumpentes, fontes faciunt; quia cauernæ montium continuò incluſos vapores refrigerando in aquas conuertunt, quæ congregatæ exitum quærunt. Non negatur tamen, quod quidam fontes, & minora flumina,aut ſtagna ex aquis pluuijs oriri poſſint.

39 Quædam fluminum quorundam aquæ aliquando hyeme creſcunt, & æſtate minuuntur, aut omninò deficiunt, propter mutationes qualitatum, & diſpoſitiones locorum magis, vel minus poroſorum aerem exteriorem plus æſtate exiccatum recipientium, quam hyeme, accidente actione influentiæ exſiccatiuæ, quæ ex rotatione, & motu Cælorum, nunc hoc, nunc alio loco prædominatur. *Mar. ibid.*

40 Quare autem aquæ fontium,& puteorum in æſtate ſint frigidiores, & in hyeme calidiores, dico cum *eodem vbi ſup.* quod frigus propter caloris oppreſſionem, recipit ſe in profundo Terræ,vnde fortificatum in cauernis, propter exteriorem calorem, per antipariſtaſim aquas infrigidat in æſtate, quia pori terræ aperiuntur, ex quibus facilè exhalationes egredi poſſunt. Hyeme verò,cum propter frigus exterius, pori Terræ conſtricti ſint, ſicut in humano corpore, exhalationes calidæ exitum non inuenientes, clauſæ reſiſtunt, & vapores ſimul, & reſolutas aquas calefaciunt, in quarum egreſſu exhalare, ſeu fumigare, vel alitum emittere videntur.

41 In multis terræ partibus aquæ feruentes, & calidæ manant, itaut ſi manus in illa ponatur, reſiſtere calori minimè poſſit, vt eſt in pluribus Italiæ locis, præſertim in Ciuitate Puteolis, propè Neapolim;in Ciuitate Viterbij;& alibi;extra Italiam verò eſt ſimilis aqua calida in Ciuitate Aquiſgrani in Germania, & Borbonij, & alibi in Gallia;quæ multis infirmitatibus proſunt.cum hoc eueniat eadem ratione, de qua ſupra, quia pertranſeunt per loca ſulphuris, vel aluminis valdè plena; & licet frigidæ ſint aquæ, calore ſulphuris, vel aluminis incenduntur. *Cæl.lib.16.Antiquar.c.44.*

42 Sunt aquæ, quæ morbos gignunt, vt podagram, neruorum dolores

lores, & alias infirmitates; ideo aquæ quantum fieri potuerit, meliores, ſeligantur, cũ hominibus ſit neceſſaria valdè, ſine ipſa enim nullum poteſt ſtare animal, *vt idem Cæl. ait lib.*14. *c.*38. & habetur *Iudith.c.*7. *qui aqua priuatur, ſine gladio interficitur*; *& c.*11. *ex ariditate aquæ is, qui patitur, inter mortuos computatur*; facit etiam textus *in l. fin. ff.de vsu. & l.de pupillo §.ſi quis riuos, vbi Gloſ.in ver.ſecuritatis ff.de oper.*
43 *non nunciation.* Bonitas autem aquæ, vltra qualitates ſupra enumeratas, poteſt dignoſci, ſi pannus lineus mũdus demergatur in aquam, & ſine expreſſione aquæ expandatur ad ſiccandum; ſi poſtquam fuerit ſiccatus, complicetur; & maculas ex illis plicationibus referat, mala, & noxia erit aqua; ſi ſine maculis pannus remaneat, bona. *Arnald.de Villanou.in lib.de regimin.ſanitat.caſtr.ſeq.* ſi ex præruptis montibus decidat, vel ſi per loca ſaxoſa, & arenoſa præterfluit, & nimis agitetur, nitidior apparens, optima erit, & ſalubris. Si poſita in vas æneum, vel corinthium, in fundo ipſius non inueniatur limus, vel arenula, vel macula, optima erit aqua. Similiter ſi legumina ad ignem cum aqua poſita, celeriter coquantur. Si in loco, vbi naſcitur, non ſint iunci, vel muſcum; vel vnde tranſit, lutum non relinquat; ſi limpida. Si habitatores illius loci ſint colore nitidi, corpore robuſti, benè diſpoſiti, non ſtrumoſi, nec vitiati cruribus, non lippis oculis, nec fatui, optima quidem, & ſalubris erit aqua. *Franc.Ripa in tract.de peſt.fol.mihi* 32.*verſ.Dixi ex aqua.*

44 Maris aqua cur ſalſa, & amara ſit, ſolet à ſcribentibus inquiri, & communiter ab omnibus concluditur, quod hoc prouenit ex calore Solis; eleuantur enim in aerem ſurſum partes leuiores, & dulciores ſuperficiei maris, craſſioribus, & terreſtrioribus relictis; cum quibus miſcentur etiam quædam exhalationes ſiccæ, aridæ, & terreſtres, quæ ab aere deſcendunt, & vapores ex fundo maris eleuati, virtute Solis, qui omnes ſimul ſalſedinem cauſant. Non deſunt, qui aſſerant, maris ſalſedinem procedere ex admixtione Salis diuerſarum minerarum per totam terram exiſtentium; quod cum reſoluatur in aquam ex humiditate aquæ, reddit illam ſalſam; quidquid ſit de hoc relinquendo aliis veritatem indagandi locum; dico quod aquæ maris, ſi debitè ſeparentur, dulces fiunt. Quod fieri poteſt, ſi vas cereum benè clauſum in mare mittatur, illud enim recipit intra ſe aquam dulcem per poros inſtillatam, foris remanentibus craſſioribus partibus, ac ſalſiginoſis. Quod videtur in fluminibus, & fontibus aquam dulcem reddentibus, vt ſup. notaui, quia dum per terram, & arenam pertranſeunt, relinquunt partes prædictas. *Ant.Mar.vbi ſup.c.*16. Hinc fit, vt mare non fiat amarius,

& ma-

Digitized by Google

& magis ſalſum propter dulcedinem aquarum fluminum continuò ad mare defluentium, & intrantium.

45 Maria omnia quomodocumque illa vocentur, talem omninò communicationem inter ſe habent, vt vnum tantummodò conſtituant omnia, tamquam partes conſtitutiuæ totius; præter mare caſpium, quod vndequaque terra circumdatur, velut lacus; ſed omnes concludunt habere communicationem per loca ſubterranea, cum & ipſum ſalſum ſit. *Maur.lib.4.q.11.*

46 Maris fluxus, & refluxus ad Lunam tribuendi, eiuſque cremento, & decremento, ſecundum *Macrobium*, nec non ventis in maris viſceribus generatis, qui in abyſſum aquas per cauernas trahunt;& illa exundante, magno impetu iterum expellunt; quomodo autem fiat, conſulantur *præcit.DD.* cum meæ partes non ſint,niſi tantum curioſa magis, & ſcitu digna referre, quam breuiſſimè.

47 Ex fluxu, & refluxu maris, qui motum irregularem nauibus cauſant, oritur nauſea, quam nauigantes patiuntur; & quanto maior erit motus nauis, vt ſi impellatur remis, eo maior erit nauſea; minor verò, cum plenis velis procedit, quia eſt minus irregularis agitatio nauis, ratio à priori eſt, quia ille motus eſt cauſa, vt moueatur etiam ventriculus, vnde humores,& cibus regurgitant ad os ventriculi, & ſic nauſeam, & vomitum prouocant. *Maur.ibid.* Alij tamen dicunt oriri nauſeam ex exhalationibus malè olentibus è fundo maris, præſertim tempeſtatis tempore aſcendentibus. Quod autem quidam plus, & quidam minus, & Aiij nullam ſentiant nauſeam, hoc prouenit ex diuerſa ſtomachi, & ventriculi diſpoſitione, & affectione.

48 Nolo tandem hic prætermittere vnum notabile, quod ad vtilitatem alicuius valdè proficuum fortaſſe erit, ſi vineam, vel alium locum poſſideat, in quibus non ſit aqua, victui humano, tam neceſſaria, vt dixi. Si igitur dignoſcere quiſquam voluerit, an alicubi aqua ſubſit terræ, diuerſimodè experiri poterit.

Primus modus explorandi eſt, vt fodiatur terra, vbi aqua deſideratur, circa ſolis occaſum, ibique ponatur ſchaphium plumbeum, aut æreum inuerſum; vel peluis, (ſeù catinum) intrinſecùs oleo inunctus, inuerſus, & obruatur foſſura, vel frondibus operiatur; ſi enim poſtridie in vaſe infoſſo ſtillæ reperiantur, indicium eſt ſubeſſe aquas; ſin minus, contra.

Secundus modus indagandi eſt, vt ſi quis procumbat indentes in regionem illam terræ aciem oculorum dirigendo,tunc verò annotet locum illum, quo viderit humores ſe concriſpantes in aera

ſurge-

ſurgere; & ibi terram fodiat, nam aquam inueniet. In creta verò tenuis eſt aqua, non in magna copia; & ſimiliter in ſabulo, ſiue Sabione vulgò dicto.

Tertius modus eſt, ſi in loco, vbi aqua quæritur, connatæ videantur ſalix erratica, Alnus, vitex, arundo, hedera, plantago, iuncus, ſiuè aliæ herbæ paluſtres, quæ aquoſa loca amant, quælibet enim ex ſupradictis plantis indicat aquam ſubeſſe illo loco, vbi inuenitur. *Plin. lib. 31. c. 3. Ruel. lib. 1. de natur. ſtirp. & Vitruu. lib. 8. archit. cap. 1.*

## *De alio elemento, ſcilicet de aere.*

49 PEr itaque tertium elementum, eſt ſimiliter figuræ ſphericæ, & rotundæ, & ſub concauo orbis ignis locatur, calida ſubſtantia eſt, & humida. Calida, vt cum igne concordet: humida, vt eius ſiccitati reſiſtat. Sed quia diuiditur in tria interſtitia, ſeu in tres regiones, ideo iſtæ qualitates humiditatis, & ſiccitatis non ſunt æquales in omnibus eius partibus eodem modo; ſed variantur accidentaliter, in prima regione, propter vicinitatem terræ, quæ eſt varia, ſecundum quatuor anni tempora; & ſic in 2. & 3. regione; propter alias rationes.

50 *Prima igitur aeris regio,* ſecundum Aliquos, dicitur illa, quæ nobis proxima eſt; ſecundum verò Alios, qui diſtributionem faciunt alio modo, erit tertia, & infima; incipit à Terræ, & Aquæ Orbe, & deſinit in loco, vbi terminatur reflexio radiorum Solis, propter terræ repercuſſionem; & ideo à radijs reflexis eſt calida, illuminata, & humida; ſed non ſemper eodem modo. In iſta generantur Impreſſiones quædam Ignitæ, & quædam Aquoſæ. Ignitæ vocantur iſtis nominibus aliquando ex effectibus, vt Ignis lambens; Ignis fatuus, ſeù Ambulon; Caſtor, & Pollux, Helena; faces, & ſimiles. Aquoſæ verò ſunt: Ros, Mel, Saccarum, Manna, & ſimiles.

51 *Secunda regio aeris* incipit à loco, vbi terminatur dicta Solis reflexio, & finem habet in ſummitate altiorum montium; quæ & medium interſtitium dicitur, ſeù regio. Eſt frigida, tenebroſa, caliginoſa, & tempeſtuoſa. Frigida quia ab Igne diſtat, nec ad illam perueniunt radij reflexi à ſuperficie Terræ; & in ea dicit *Diu. Auguſt. lib. de agone Chriſtiano, & lib. 8. de Ciuit, Dei c. 22.* quod habitent ſpiritus quidam aerij. Et in iſta quoque generantur Aliæ Impreſſiones aquoſæ, vt nubes, nebula, pluuia, ſtillicidium, Imber, nimbus,

 di-

Digitized by Google

diluuium, pruina, glacies, grando, nix; Igneæ verò ſunt: capra ſaltans, Trabs, Draco volans, Ignis perpendicularis, ſtella cadens, & ſimiles. Tonitruum, fulgur ſulmen, Turbo; & Imagines, quædam, vt Iris, Halon, Parelii, virgæ, voragines, & ſimiles. Eſt autem opinio quorundam Doctorum aſſerentium cacumina montis Olympi in Theſſalia, & Athonis in Macedonia, tranſcendere ſecundam regionem, & tertiam occupare. *Diu. Aug. 3. de Geneſ. ad lit. c. 2.*

52 *Tertia tandem aeris regio* incipit à ſummitate prædicta altiorum montium, & finitur in concauo Orbis Ignis, quæ & ſuperior, & prima, ſecundum Aliquos, appellatur. Eſt calida pura, & ſicca, propter Ignis vicinitatem; & ad iſtam non perueniunt venti, nec pluuia. Generantur ſimiliter in hac regione quædam ignitæ impreſſiones, vt exercitus pugnantes, Cometæ, & ſimiles. Benè verum eſt, quod multæ ex ſupradictis impreſſionibus, licet ordine præmiſſo annotauerim, fiunt quoque promiſcuè in alijs regionibus; ſed vt plurimum generantur eo loci, vbi ſignaui, & ex Doctoribus Meteoriſtis collegi.

Quia verò omnes ſupra enunciatæ impreſſiones, quæ ab hominibus videntur, miraculoſæ ferè exiſtimantur ab illis, qui ignorant, omnia naturaliter euenire, vt plurimum; ideo cenſui omnia hic ſubnectere, quæ neceſſaria exiſtimaui pro declaratione ſingularum, & ad eundem finem ordinata, vt proximis vtilitatem aliquo modo afferrem; & curioſis ſatisfacerer. Ideo ad particularia deſcendendo, ſubdam quæ ſequentur.

## *De Aereis Impreſſionibus, ſiuè Mixtis.*

53 OMnia igitur Mixta, ſiuè Impreſſiones ſupradictæ originem habent ex duobus halitibus à Terra, Mari, alijſque locis humidis calore, & vi Solis, ac cæleſtium corporum motu, in aëre eleuatis: à vapore ſcilicet, & exhalatione dictis; *Vapor* enim calidus eſt, & humidus ex aquæ potentia, & eſt virtualiter aqua; *exhalatio* verò calida, & ſicca ex potentia ignis, & fumoſa, vt inquit *Ariſt. lib. 2. Meteor. c. 4. & Plin. lib. 2. cap. 42.* Iſti duo halitus, quando alterationem aliquam recipiunt, cauſa ſunt Impreſſionum ignitarum in aëre apparentium, quæ præcisè ex exhalatione procedunt; ex vapore autem procedunt impreſſiones humidæ, & aquoſæ primæ regionis; nam licet aer ex ſua natura ſit corpus rarum, denſatur tamen accidentaliter exhalationibus. Si igitur exhalatio abundauerit

Digitized by Google

uerit in calore, aſcendit vſque ad tertiam regionem; ſi verò fuerit parua exhalatio, remanet in prima regione, & ſic pars craſſa, & ſubtilis aſcendere non valens, accenditur ad modum *Candelæ in perpendiculo*, & dicitur *Ignis perpendicularis*; ſi verò ſit parua pars groſſa generat aliam flammam ad modum *lanceæ ardentis*. Si exhalatio ſit ſubtilis vndequaque, ſed rara, inflammatur ad modum *ſcintillarum*, præſertim tempore ſereno noctis, in prima regione, & ſimiliter in ſecunda regione, & quandoque in tertia eiuſdem figuræ ignes apparent pro maiori, vel minori quantitate exhalationum.

In prima Aeris regione regulariter Impreſſiones ignitæ, quæ ſequuntur apparere ſolent, videlicet.

54 *Ignis lambens*, & eſt flamma accenſa ex tenui, ſubtili, & viſcoſa exhalatione. Crinibus equorum, & capillis hominum adhærere, aliquando ſolet, ita vt ardere videantur, & ſæpè radit, & adurit pilos ex vehementi accenſione; cum enim ex hominum, & equorum corporibus ex calore, & ſudore egrediantur fumoſitates quædam, accenduntur motu, attritione, vel alia cauſa ſimili, & ſic videtur ardere. *Medimn. lib. 2. de arte nauigandi c. 8.* Sæpè etiam dicta exhalatio adhæret pannis laneis, & tunc pilos panni comburit, & radet ſimiliter.

55 *Ignis fatuus, ſiuè ambulon* apparere ſolet circa Cæmeteria, ſuper cadauera ſuſpenſorum in patibulis pendentia, ſuper coquinas; ædes ſacras, vbi ſepulturæ ſunt, ſuper valles, & alia loca oliginoſa, in quibus tranſpirat halitus quidam craſſus, & igneus, qui facilè accenditur. Noctis tempore præſertim apparet. Hic videtur ſequi fugientem, & fugere ſequentem, quia quando quis ambulat rectè cum vi quadam ſequendo, impellit aerem in vnam partem, vnde ignis mouetur in eam partem, & videtur fugere: ſi verò quis fugiat, impellit aerem in partem contrariam, & ignis in eamdem mouetur, ideo videtur ſequi. *Mizald lib. 1. Cometog. c. 4.*

56 *Ignes nauigantibus* apparentes, præſertim tempore tempeſtatis, ſi ſint gemelli, dicuntur *Caſtor, & Pollux*; ſi vnicus, dicitur *Helena*. Materia ipſorum ſunt fumoſitates ex mari expirantes, quæ vehementi motu, & attritione accenduntur, præſertim in tempeſtatibus. Si appareant circa naues, velut ſaltantes, & varijs in locis diſcurrentes; futuram præſagiunt nautis tempeſtatem, quia indicant, exhalationem eſſe adhuc in motu, cum diſcurrant, ſi verò adhæreant, & conſiſtant antennis, vel alijs nauis partibus, præſagiunt tranquillitatem, quia exhalationes paulatim diſſipantur, & tunc ſolet eſſe vnicus ignis Helena dictus. *Plin. lib. 2. c. 37.* Aliquando videtur tota



Digitized by Google

nauis ardere, & hoc prouenit, quando ex tota naui eleuantur æqualiter exhalationes vndequaque, & accenduntur ex eadem cauſa prædicta.

57 *Faces apparentes*, dicuntur ignes, qui ad formam facis apparent, & ſic de ſingulis alijs diuerſis in figuris apparentibus, cum difficile ſit de omnibus diſcurrere ſingillatim; & per enunciatas, aliæ quoque impreſſiones ſimiles diiudicari poſſunt. At verò partitionem illarum præmiſi, vt certa methodo omnes percurrerem, non quod aliquæ ex his; & de alijs, quas ſecundæ regioni colloco, alibi generari non poſſint, de quibus ibi, licet potuiſſem omnes ignitas hoc loco explanare.

58 In iſta prima regione generantur etiam quædam aquoſæ impreſſiones, videlicet Ros, & ex eo mixta quædam; materia ipſarum eſt vapor ex aquis extractus: cauſa remota calor Solis, & aſtrorum, proxima actio primarum qualitatum.

59 *Ros igitur* eſt vapor ſubtilis non procul à terra eleuatus, nocturno frigore, ſed modico in aquam conſtrictus. Serena tantum nocte cadit, & in planis, non in montibus; de ſero, & mane, in Vere, & Autumno tantùm; quia æſtate, propter nimium calorem, vapor conſumitur; Hyeme, propter frigus congelatur in pruinam. *Maſtr. diſp.4.qu.4.art.5.nu.*138. Ex rore fiunt Mel, ſaccarum, & manna.

60 *Mel*, vt dixi, ex rore generatur, nam ſi vapori miſceatur halitus quidam terreſtris, & ſubtilis, accedente calore cæleſti, & quorumdam ſyderum influentia, ac temperato frigore noctis, mixtum illud pingueſcit, & vt ros fluens aliquantulum viſcoſus decidit ſupra flores, & herbas, à quibus qualitates accipit dulcedinis, vel amaritudinis, vt accidit in Sardinia, vbi eſt amarum, quia Apes illud colligunt ex floribus abſinthij, & è contra in Hiſpania, & Italia eſt dulce, quia ex floribus dulcibus recipiunt. Vnde dicendum eſt, quod Apes colligunt mel, non conficiunt, poſt Autumnum tantum, non alio tempore. *Idem ibid. & Conimb. tract.*7.*c.*9.

61 *Saccarum* quoddam aliquando ex eodem rore fit, quando ſcilicet exhalatio vapori admixta, eſt multum ſicca, & viſcoſa, quare conſumpta humiditate, inſtar ſaccari plantarum folijs, & herbis inhæret, itaut aduſtæ appareant; quod & rubigo vocatur. Vt plurimum in meridie, & flante Auſtro decidit, fructibus, & ouibus valdè noxium, ſi comedant, nam propter dulce, auidius ſolito in quantitate comedentes recipiunt illud, quod epar, & inteſtina rodit. *Albert. Magn* 4.*p.Phi.*

Adeſt aliud ſaccarum, quod colligitur ex arundinibus quibuſdam-

dam, quæ ſimiles ſunt arundinibus communibus vineis inſeruientibus, ſed non ſunt tam altæ; nec vacuæ, ſed vt lignum plenæ, & molles continent enim iſtæ arundines intra ſe quendam dulciſſimum humorem, tamquam mel, ideo in fruſtra reciduntur, poſtea in molendinis comminuuntur, & in caldarijs igne coquuntur, & ſic extrahitur liquor, qui condenſatur, vt videtur, de quo *Plin. lib.* 12. *c.* 8. In Citeriori Calabria, & Sicilia fit in quantitate.

62 *Mamma* quoque ex rore fit, cum illi vapori adiungitur terreſtris quidam halitus, & ex decoctione illius vaporis à calore cæleſti, manet terreſtris halitus cum modica humiditate, tunc conficitur liquor quidam candidus, & dulcis ſaporis. Decidit tamen, non in omnibus Terræ partibus, ſed in quibuſdam tantum ex ſpeciali terræ proprietate; & colligitur in folijs quarumdam arborum tantum, vt in Fraſſinis, & ornis, non in quibuſuis alijs arboribus, ſecundum experientiam habitam in aliquibus locis Calabriæ, & Apuliæ; in quibus manna prædictum vocatur vulgari nomine: *Manna di frondi*. Adſunt præterea in prædicta Prouincia Calabriæ duæ aliæ ſpecies mannæ: vna, quæ vulgò dicitur *Manna di corpo*; Alia, quæ appellatur: *Manna forzata*. Ambæ fiunt in Patria mea; quæ ſunt omnibus alijs totius Prouinciæ meliores, & perfectiores, non ſolum in qualitate, propter aeris clementiam: verum etiam in modo, ac venuſtate illam accommodandi, & conſeruandi; vt experientia probat; nam Neapoli, quò maior pars aſportatur, ſemper venditur notabiliter plus alijs manna Caſtriuillarum. Imò mercatores, & Aromatarij, ad hoc, vt cariùs vendant, tenent quaſdam tabellas, in quibus eſt inſcriptum: *Manna di Caſtrouillare.*

63 Prima Mannæ ſpecies fit in ramis quarumdam arborum, quæ ibi *Milei* vocantur; alibi *orni*. Eſt autem quædam ſubſtantia ad modum minutæ gummis, candida tamen, & melata, dulciſſimum habens ſaporem. Colligitur verò in ſummis æſtatis caloribus, vt plurimum à prima Iulij circiter, vſque ad 20. Auguſti, & aliquando vſque ad finem eiuſdem menſis. Et obſeruatum eſt, in quibuſdam eiuſdem Ciuitatis regionibus, eſſe maioris perfectionis in ſubſtantia, & colore; in alijs verò minoris. Eſt tamen in confeſſo apud omnes Noſtrates ibidem, quòd hæc manna fit à Cicadis, tali tempore in magna quantitate ibi exiſtentibus, tali modo, ſecundum, quod viſum eſt: pungunt Cicadæ ramum prædictæ arboris in cortice, cum aculeo, quem in pectore tenent, & ſtatim ex illa punctura manat quidam paruus humor, ad modum lacrimæ, qui calore Solis, & virtute perfectionis, ac bonitatis Aëris coagulatur in granulum, quod dicitur manna prædicta, & de iſtis fiunt in quantita-

te in

Digitized by Google

te in ſingulis arboribus, ex quibus magno cū labore *granula* prędicta paulatim, & ſucceſſiuè colliguntur, cū quibuſdā inſtrumentulis ligneis lanceatis *palicchi* dictis ad hoc miniſterium tātummodo accōmodatis, & in labijs quarundā ollularum, ac in folijs, & ligniculis intus eaſdem collocantur diuiſim, eo modo, quo colliguntur.

64 Alia ſpecies mannæ forzatæ, ſeu forzatellæ, fit per inciſionem earumdem arborum in Autumno tantum, præſertim menſe Septembris. Inciditur enim truncus arboris circum circa in cortice de ſero, cum quodam ſubtili gladio, ex illa inciſione defluit humor in quantitate, qui nocte coagulatur, mediante frigore, & ſic poſtridiè mane colligitur ſuper folijs in terra adhuc effectum relictis, & in trunco etiam; quæ tamen eſt infimæ conditionis, habito reſpectu ad primam, cum non ſit tam perfecta in colore, ſapore, & cæteris qualitatibus, non enim eſt tam alba, nec eamdem habet dulcedinem, neque eiuſdem virtutis purgatiuæ. Prima ſiquidem, quando ab aliquo ſumitur in brodio liquefactum, ad effectum humores euacuandi, purgat corpus dulciter, abſque alteratione temperamenti, vel naturæ debilitatione; ſecunda verò non ita. Quod & patefacit pretium ambarum; prima etenim ſemper venditur triplo, vel quadruplo plus, quam ſecunda; ita vt ſi illa vendatur ad rationem ſex, vel octo ducatorum pro libra; Iſta venditur ad duorum ducatorum rationem. Imò multò minus proportionabiliter, ſecundum maiorem, vel minorem quantitatem, quæ fit illo anno; quæ omnia expertus ſum ego ipſe in patria exiſtens.

65 In ſecunda verò aeris regione generantur, vt dixi aqueæ, & igneæ quoque impreſſiones, mirabiles quidem, & curioſiſſimæ, & Imagines quædam; de quibus ſingillatim, breuiterque pauca percurrere non pigebit. Sunt autem quæ ſequuntur Impreſſiones aqueæ, quæ hic fiunt ex vapore humido ſurſum eleuato, & in aquam reſoluibili, ſecundum *Ariſt.* 1. *Meteor.c.*3. Nubes ſcilicet, nebula, pluuia, pruina, glacies, nix, &c. Poſtea verò de ignitis; & tandem de Imaginibus.

66 *Nubes* igitur eſt halitus, ſeù vapor humidus, & aqueus calore radiorum Solis reflexorum ad iſtam vſque regionem frigidiorem eleuatus, qui propter imbecillitatem, & defectum luminis reflexi refrigeratur, & condenſatur, ſecundum *Ariſt.* 1. *Met.* maxime actione ſyderum. Hæc nubes ſi erit ex vapore ſubtiliori, & minus humido, facilè conuertitur in aerem; ſi autem vapor erit craſſior, & humidior, conuertitur in aquam.

67 *Nebula*, ſeù caligo eſt ſuperfluitas nubis in aquam reſolutæ, ſterilis,

Digitized by Google

lis, & aquæ infæcunda, ac reliquiæ nubis; & circa Terram inſidet. *Ariſt.* 1. *Met. Sum.* 5, *c.* 1. vnde deberet poni in prima regione, cum ſit vicinior terræ, ſed quia ego ſequor ſententiam illorum, qui aſſerunt nebulam eſſe reliquias nubis, & non partem craſſiorem nubis, vt Alij tenent: ideo in iſta ſecunda regione collocaui. Si nebula accedente Sole aſcendit, minatur pluuiam, quia conuertitur in nubem; ſi deſcendit, eſt ſignum ſerenitatis, quia à Sole diſſipatur. Nec æſtate, nec maximo frigore, nebulas exiſtere tradit *Plin. lib.* 2. *cap.* 60.

68 *Pluuia* eſt nubes in aquam reſoluta, ideſt aggregatio multorum vaporum ex frigido, & humido, quæ ob grauitatem calore Solis reſoluta guttatim cadit vſque ad terram; diuerſitas autem illa guttarum oritur præcipuè ex maiori propinquitate, vel diſtantia nubis cadentis, quo enim eleuatior eſt nubes, eo in minutiores diuiditur partes, propter diuturnam aeris diuiſionem. Fit autem ſic: Primò vi caloris Solis vapor denſus, grauis, & craſſus eleuatur vſque ad infimam ſecundæ regionis partem frigidam; ibi calor eleuans illum relinquit; ideo condenſatur vapor, ob frigiditatem; & ſic reſoluitur in guttas aqueas mediocres, & ſine magno impetu. *Ariſt.* 1. *Met. c.* 9. Diuiditur pluuia in ſtillicidium, Imbrem, Nimbum, & diluuium particulare.

69 *Stillicidium* vocatur pluuia in minutiſſimis guttulis decidens.

70 *Imber* dicitur pluuia per guttas grandiores cadens, qui ſolet euenire frequentiùs in hyeme, quam in æſtate.

71 *Nimbus* appellatur pluuia maior, ſi maximis, & frequentiſſimis guttis aquarum cum impetu decidat. Hic à contrario frequentior eſt in æſtate, quam in hyeme. Et diuerſitas guttarum prouenit ex ratione ſupra allata, & ſimiliter à maiori, vel minore vaporis quantitate, magis, vel minus grauis, & craſſi.

72 *Diluuium* particulare dicitur abuſiuè pluuia maxima, qua terra inundatur ab immodicis aquis pluuijs, vel ab incremento fluminum, propter magnam vaporum copiam ex peculiari quodam aſtrorum concurſu attrahentium ex mari, & eius incremento; naturaliter accidere poteſt, ſi ſit particulare, Ex Dei prouidentia, ſi vniuerſale.

73 De pluuia eſt notandum, quod refert *Plin. lib.* 5. *c.* 56. pluiſſe aliquando lacte, ſanguine, carne, ferro, lana, lateribus coctis, &c. Aliquando cernitur pluuia cum ranis decidere, vermibus, pilis, & ſimilibus; hoc euenit, quia vi ventorum hæc cum vaporibus eleuantur in aerem; vel oua, aut excrementa ranarum, & vermium, qui

Digitized by Google

qui poſtea cum pluuia decidente cadunt, & generantur, quæ omnia accidere ſolent, vel per influxus aſtrorum, vel vi ventorum, vt dixi, vel virtute Solis, qui hæc in nubibus generare poteſt, & aliquando vi dæmonum, permittente Deo; *Cottun. 1. Meteor. lect. 35.*

74 Poteſt diuerſis modis pluuia prognoſticari, & præuideri naturaliter, vel ex ſtellis influentibus ad pluuiam generandam, vel ex rebus ſublunaribus animatis, quæ aliquo modo ſentiunt vaporem, antequam ex illo generetur pluuia, quia quædam Bruta illo vapore delectantur, alia verò triſtantur; vel ex ſublunaribus inanimatis, quæ ante pluuiam madefiunt aliquo vapore apto ad pluuiam. Quæ omnia diligentiſſimè obſeruant nautæ, agricolæ, & Alij, vel rerum futurarum indagatores, vti Aſtrologi, vel qui pluuiam deſiderant, aut illam euitare cupiunt; quos conſulat; qui errare noluerit in prognoſticanda pluuia; quia multum ingenij, & ſolertiæ requiritur in ſpeculando connexionem prognoſtici cum pluuia prognoſticata, cognita autem connexione, certius prognoſticum fit. Veluti exempli gratia, ſi Sol oriens appareat maior ſolito, poteſt prognoſticari futura pluuia, quia ſemper experientia conſtat, quod ſequatur pluuia; Ratio autem connexionis eſt, quia talis maioritas apparens, non realiter tamen exiſtens, cauſatur ex aliquo magno vapore humido, qui mediat inter Solem, & oculum noſtrum, qui vapor deinde eleuatus ad mediam aeris regionem virtute Solis, ibi infrigidatus condenſatur, & reſoluitur in pluuiam. At quomodo cauſetur talis apparentia Solis maior ſolito tunc temporis ex magno vapore, patet ex alia experientia denarij in aliquo vaſe aqua pleno proiecti, ipſe enim ſtans in fundo aquæ, apparet vtique maior, quam ſit; ratio eſt, quia humiditas aquæ incraſſat quodammodo. & maiorizat ſpecies viſibiles denarij. Aliud ponitur exemplum v. g. Cum ſol apparet citius ſolito, ſignum eſt futuræ pluuiæ; hoc enim prouenit, quia ad magnum vaporem reuerberatur Sol, tamquam ad ſpeculum, & ſic in tali vapore videtur Sol; vapor verò ratione ſuæ magnitudinis vertitur in pluuiam; ſicut denarius poſitus in fundo vaſis, ſi non appareat tibi aſpicienti, & poſtea appareat, ſignum eſt, quod in fundo vaſis poſita eſt aqua, in qua videtur denarius, vt quiſque ex ſe poterit experiri.

75 Ego tamen ad communem omnium vtilitatem, & commoditatem quamplurima ſigna, & prognoſtica futuræ pluuiæ ex varijs Doctoribus collegi, & in vnum hic inſerui, quæ ſparſim inueni apud diuerſos, præſertim apud *Plin. lib. 2. cap. 30. & lib. 18. cap. 35. & Miſald. in Ephemerid. aeris, & Virg. l. 1. Georgicor. Conimbricenſ. & Alios.*

Et Pri-

Digitized by Google

Et 1. Quando ſol, vt dixi ſupra, apparet maior ſolito.

2. Quando Sol in ſuo ortu apparet citius ſolito.

3. Quando Sol apparet pallidus.

4. Quando apparet corona quædam ſplendida circa Solem, vel Lunam.

5. Quando Parhelius, ideſt imago Solis reflectitur ad aliquam nubem.

6. Quando Oriente Sole apparet nigra, & longa nubes ad modum trabis,

7. Si rubea nubes in mane appareat verſus Orientem.

8. Si nigra nubes mixta rubenti nubi appareat ante ortum Solis.

9. Si videatur verſus Auſtrum, ſiuè meridiem rubea nubes ante Solis ortum, erit magna pluuia.

10. Si videatur verſus Occidentem prædicta nubes, erit parua pluuia.

11. Si videatur rubea nubes verſus Tramontanam in meridie, erit magna pluuia.

12. Si nubes appareat in ſummitate montiũ, quæcumque illa ſit.

13. Si nebula accedente Sole aſcendat, pluuiam indicat, quia conuertitur in nubem.

14. Si Luna appareat pallida, præſertim in Plenilunio.

15, Si Luna quarta appareat habens cornua obtuſa.

16. Si Halo Lunæ, ideſt eius corona alba condenſetur in nigredinem.

17. Si Halo Lunæ perſeueret albus.

18. Iris, ſeu Arcus cæleſtis apparens ſereno tempore, erit ſignum pluuiæ, antequam pluat.

19. Si Iris videatur verſus meridionalem plagam, erit magna pluuia.

20. Si Iris videatur verſus Occidentem, pluet parum.

21. Si Iris videatur verſus Tramontanam in meridie, erit magna pluuia.

22. Stellæ apparentes obſcuratæ.

23. Aſelli cæleſtes, qui ſunt duæ paruæ ſtellæ in ſigno Cancri, vix ſereno tempore apparentes.

24. Ortus Arcturi, vel Pleiadum, vel Edorum, vel ſuculorum, ſiuè Hyadum; quæ omnia ſunt ſigna cæleſtia, & ſtellæ quædam.

25. Sol oriens cum Aſellis prædictis.

26. Saturnus Oriens cum cane maiore, qui ſimiliter ſunt ſigna quædam cæleſtia.



Digitized by Google

ſi per ſalinas, ſalitæ euadunt; ſi per ſulphureas mineras, ſulphureæ redduntur aquæ, & ſic de ſingulis.

38 Poſſet hic dubitari vnde originem habeant fontes, & putei? Reſpondeo cum communi Doctorum ſententia, de qua *Maur.l.4.q.10.* quod etiam à mari principium habent per poros, & meatus Terræ ſubterraneos; Nec non generantur ex aere, ſeù vapore in ſubterraneis cauernis incluſo, quia vacui eſſe non poſſunt; nam vapores à Terra eleuati in lateribus cauernarum guttatim diſtillantes, in aquam reſoluuntur, tandem erumpentes, fontes faciunt; quia cauernæ montium continuò incluſos vapores refrigerando in aquas conuertunt, quæ congregatæ exitum quærunt. Non negatur tamen, quod quidam fontes, & minora flumina, aut ſtagna ex aquis pluuijs oriri poſſint.

39 Quædam fluminum quorundam aquæ aliquando hyeme creſcunt, & æſtate minuuntur, aut omninò deficiunt, propter mutationes qualitatum, & diſpoſitiones locorum magis, vel minus poroſorum aerem exteriorem plus æſtate exiccatum recipientium, quam hyeme, accidente actione influentiæ exſiccatiuæ, quæ ex rotatione, & motu Cælorum, nunc hoc, nunc alio loco prædominatur. *Mar. ibid.*

40 Quare autem aquæ fontium, & puteorum in æſtate ſint frigidiores, & in hyeme calidiores, dico cum *eodem vbi ſup.* quod frigus propter caloris oppreſſionem, recipit ſe in profundo Terræ, vnde fortificatum in cauernis, propter exteriorem calorem, per antipariſtaſim aquas infrigidat in æſtate, quia pori terræ aperiuntur, ex quibus facilè exhalationes egredi poſſunt. Hyeme verò, cum propter frigus exterius, pori Terræ conſtricti ſint, ſicut in humano corpore, exhalationes calidæ exitum non inuenientes, clauſæ reſiſtunt, & vapores ſimul, & reſolutas aquas calefaciunt, in quarum egreſſu exhalare, ſeu fumigare, vel alitum emittere videntur.

41 In multis terræ partibus aquæ feruentes, & calidæ manant, itaut ſi manus in illa ponatur, reſiſtere calori minimè poſſit, vt eſt in pluribus Italiæ locis, præſertim in Ciuitate Puteolis, propè Neapolim; in Ciuitate Viterbij; & alibi; extra Italiam verò eſt ſimilis aqua calida in Ciuitate Aquiſgrani in Germania, & Borbonij, & alibi in Gallia; quæ multis infirmitatibus proſunt. cum hoc eueniat eadem ratione, de qua ſupra, quia pertranſeunt per loca ſulphuris, vel aluminis valdè plena; & licet frigidæ ſint aquæ, calore ſulphuris, vel aluminis incenduntur. *Cæl.lib.16. Antiquar.c.44.*

42 Sunt aquæ, quæ morbos gignunt, vt podagram, neruorum dolores

lores, & alias infirmitates; ideo aquæ quantum fieri potuerit, meliores, ſeligantur, cũ hominibus ſit neceſſaria valdè, ſine ipſa enim nullum poteſt ſtare animal, *ut idem Cæl. ait lib.14.c.38.* & habetur *Iudith.c.7. qui aqua priuatur, ſine gladio interficitur; & c.11. ex ariditate aquæ is, qui patitur, inter mortuos computatur*; facit etiam textus *in l. fin. ff.de riu. & l.de pupillo §.ſi quis riuos, vbi Gloſ.in ver.ſecuritatis ff.de oper.*

43 *nou nunciation.* Bonitas autem aquæ, vltra qualitates ſupra enumeratas, poteſt dignoſci, ſi pannus lineus mũdus demergatur in aquam, & ſine expreſſione aquæ expandatur ad ſiccandum; ſi poſtquam fuerit ſiccatus, complicetur; & maculas ex illis plicationibus referat, mala, & noxia erit aqua, ſi ſine maculis pannus remaneat, bona. *Arnald.de Villanou.in lib.de regimin.ſanitat.caſtr.ſeq.* ſi ex præruptis montibus decidat, vel ſi per loca ſaxoſa, & arenoſa præterfluit, & nimis agitetur, nitidior apparens, optima erit, & ſalubris. Si poſita in vas æneum, vel corinthium, in fundo ipſius non inueniatur limus, vel arenula, vel macula, optima erit aqua. Similiter ſi legumina ad ignem cum aqua poſita, celeriter coquantur. Si in loco, vbi naſcitur, non ſint iunci, vel muſcum; vel vnde tranſit, lutum non relinquat; ſi limpida. Si habitatores illius loci ſint colore nitidi, corpore robuſti, benè diſpoſiti, non ſtrumoſi, nec vitiati cruribus, non lippis oculis, nec fatui, optima quidem, & ſalubris erit aqua. *Franc.Ripa in tract.de peſt.fol.mihi 32.verſ.Dixi ex aqua.*

44 Maris aqua cur ſalſa, & amara ſit, ſolet à ſeribentibus inquiri, & communiter ab omnibus concluditur, quod hoc prouenit ex calore Solis; eleuantur enim in aerem ſurſum partes leuiores, & dulciores ſuperficiei maris, craſſioribus, & terreſtrioribus relictis; cum quibus miſcentur etiam quædam exhalationes ſiccæ, aridæ, & terreſtres, quæ ab aere deſcendunt, & vapores ex fundo maris eleuati, virtute Solis, qui omnes ſimul ſalſedinem cauſant. Non deſunt, qui aſſerant, maris ſalſedinem procedere ex admixtione Salis diuerſarum minerarum per totam terram exiſtentium, quod cum reſoluatur in aquam ex humiditate aquæ, reddit illam ſalſam; quidquid ſit de hoc relinquendo aliis veritatem indagandi locum; dico quod aquæ maris, ſi debitè ſeparentur, dulces fiunt. Quod fieri poteſt, ſi vas cereum benè clauſum in mare mittatur, illud enim recipit intra ſe aquam dulcem per poros inſtillatam, foris remanentibus craſſioribus partibus, ac ſalſuginoſis. Quod videtur in fluminibus, & fontibus aquam dulcem reddentibus, vt ſup. notaui, quia dum per terram, & arenam pertranſeunt, relinquunt partes prædictas. *Ant.Mar.vbi ſup.c.16.* Hinc fit, vt mare non fiat amarius,

& ma-

Digitized by Google

& magis ſalſum propter dulcedinem aquarum fluminum continuò ad mare defluentium, & intrantium.

45 Maria omnia quomodocumque illa vocentur, talem omninò communicationem inter ſe habent, vt vnum tantummodò conſtituant omnia, tamquam partes conſtitutiuæ totius; præter mare caſpium, quod vndequaque terra circumdatur, velut lacus; ſed omnes concludunt habere communicationem per loca ſubterranea, cum & ipſum ſalſum ſit. *Maur.lib.4.q.11.*

46 Maris fluxus, & refluxus ad Lunam tribuendi, eiuſque cremento, & decremento, ſecundum *Macrobium*, nec non ventis in maris viſceribus generatis, qui in abyſſum aquas per cauernas trahunt;& illa exundante, magno impetu iterum expellunt; quomodo autem fiat, conſulantur *præcit.DD.* cum meæ partes non ſint,niſi tantum curioſa magis, & ſcitu digna referre, quam breuiſſimè.

47 Ex fluxu, & refluxu maris, qui motum irregularem nauibus cauſant, oritur nauſea, quam nauigantes patiuntur; & quanto maior erit motus nauis, vt ſi impellatur remis, eo maior erit nauſea; minor verò, cum plenis velis procedit, quia eſt minus irregularis agitatio nauis, ratio à priori eſt, quia ille motus eſt cauſa, vt moueatur etiam ventriculus, vnde humores,& cibus regurgitant ad os ventriculi, & ſic nauſeam, & vomitum prouocant. *Maur.ibid.* Alij tamen dicunt oriri nauſeam ex exhalationibus malè olentibus è fundo maris, præſertim tempeſtatis tempore aſcendentibus. Quod autem quidam plus, & quidam minus, & Alij nullam ſentiant nauſeam, hoc prouenit ex diuerſa ſtomachi, & ventriculi diſpoſitione, & affectione.

48 Nolo tandem hic prætermittere vnum notabile, quod ad vtilitatem alicuius valdè proficuum fortaſſe erit, ſi vineam, vel alium locum poſſideat, in quibus non ſit aqua, victui humano, tam neceſſaria, vt dixi. Si igitur dignoſcere quiſquam voluerit, an alicubi aqua ſubſit terræ, diuerſimodè experiri poterit.

Primus modus explorandi eſt, vt fodiatur terra, vbi aqua deſideratur, circa ſolis occaſum, ibique ponatur ſchaphium plumbeum, aut æreum inuerſum; vel peluis, (ſeù catinum) intrinſecùs oleo inunctus, inuerſus, & obruatur foſſura, vel frondibus operiatur: ſi enim poſtridie in vaſe infoſſo ſtillæ reperiantur, indicium eſt ſubeſſe aquas; ſin minus, contra.

Secundus modus indagandi eſt, vt ſi quis procumbat indentes in regionem illam terræ aciem oculorum dirigendo,tunc verò annotet locum illum, quo viderit humores ſe concriſpantes in aera

ſurgere; & ibi terram fodiat, nam aquam inueniet. In creta verò tenuis eſt aqua, non in magna copia; & ſimiliter in ſabulo, ſiue Sabione vulgò dicto.

Tertius modus eſt, ſi in loco, vbi aqua quæritur, connatæ videantur ſalix erratica, Alnus, vitex, arundo, hedera, plantago, iuncus, ſiuè aliæ herbæ paluſtres, quæ aquoſa loca amant, quælibet enim ex ſupradictis plantis indicat aquam ſubeſſe illo loco, vbi inuenitur. *Plin.lib.31.c.3. Ruel.lib.1.de natur.ſtirp.& Vitruu.lib.8.archit. cap.1.*

## *De alio elemento, ſcilicet de aere.*

49 AEr itaque tertium elementum, eſt ſimiliter figuræ ſphericæ, & rotundæ, & ſub concauo orbis ignis locatur, calida ſubſtantia eſt, & humida. Calida, vt cum igne concordet: humida, vt eius ſiccitati reſiſtat. Sed quia diuiditur in tria interſtitia, ſeu in tres regiones, ideo iſtæ qualitates humiditatis, & ſiccitatis non ſunt æquales in omnibus eius partibus eodem modo; ſed variantur accidentaliter, in prima regione, propter vicinitatem terræ, quæ eſt varia, ſecundum quatuor anni tempora; & ſic in 2. & 3. regione, propter alias rationes.

50 *Prima igitur aeris regio*, ſecundum Aliquos, dicitur illa, quæ nobis proxima eſt; ſecundum verò Alios, qui diſtributionem faciunt alio modo, erit tertia, & infima; incipit à Terræ, & Aquæ Orbe, & definit in loco, vbi terminatur reflexio radiorum Solis, propter terræ repercuſſionem; & ideo à radijs reflexis eſt calida, illuminata, & humida; ſed non ſemper eodem modo. In iſta generantur Impreſſiones quædam Ignitæ, & quædam Aquoſæ. Ignitæ vocantur iſtis nominibus aliquando ex effectibus, vt Ignis lambens; Ignis fatuus, ſeù Ambulon; Caſtor, & Pollux, Helena; faces, & ſimiles. Aquoſæ verò ſunt: Ros, Mel, Saccarum, Manna, & ſimiles.

51 *Secunda regio aeris* incipit à loco, vbi terminatur dicta Solis reflexio, & finem habet in ſummitate altiorum montium; quæ & medium interſtitium dicitur, ſeù regio. Eſt frigida, tenebroſa, caliginoſa, & tempeſtuoſa. Frigida quia ab Igne diſtat, nec ad illam perueniunt radij reflexi à ſuperficie Terræ; & in ea dicit *Diu. Auguſt.lib.de agone Chriſtiano,& lib.8.de Ciuit,Dei c.22.*quod habitent ſpiritus quidam aerij. Et in iſta quoque generantur Aliæ Impreſſiones aquoſæ, vt nubes, nebula, pluuia, ſtillicidium, Imber, nimbus,

diluuium, pruina, glacies, grando, nix; Igneæ verò ſunt: capra ſaltans, Trabs, Draco volans, Ignis perpendicularis, ſtella cadens, & ſimiles. Tonitruum, fulgur fulmen, Turbo; & Imagines, quædam, vt Iris, Halon, Parelii, virgæ, voragines, & ſimiles. Eſt autem opinio quorundam Doctorum aſſerentium cacumina montis Olympi in Theſſalia, & Athonis in Macedonia, tranſcendere ſecundam regionem, & tertiam occupare. *Diu. Aug. 3. de Geneſ. ad lit. c. 2.*

52 *Tertia tandem aeris regio* incipit à ſummitate prædicta altiorum montium, & finitur in concauo Orbis Ignis, quæ & ſuperior, & prima, ſecundum Aliquos, appellatur. Eſt calida pura, & ſicca, propter Ignis vicinitatem; & ad iſtam non perueniunt venti, nec pluuia. Generantur ſimiliter in hac regione quædam ignitæ impreſſiones, vt exercitus pugnantes, Cometæ, & ſimiles. Benè verum eſt, quod multæ ex ſupradictis impreſſionibus, licet ordine præmiſſo annotauerim, fiunt quoque promiſcuè in alijs regionibus; ſed vt plurimum generantur eo loci, vbi ſignaui, & ex Doctoribus Meteoriſtis collegi.

Quia verò omnes ſupra enunciatæ impreſſiones, quæ ab hominibus videntur, miraculoſæ ferè exiſtimantur ab illis, qui ignorant, omnia naturaliter euenire, vt plurimum; ideo cenſui omnia hic ſubnectere, quæ neceſſaria exiſtimaui pro declaratione ſingularum, & ad eundem finem ordinata, vt proximis vtilitatem aliquo modo afferrem; & curioſis ſatisfacerem. Ideo ad particularia deſcendendo, ſubdam quæ ſequentur.

## *De Aereis Impreſſionibus, ſiuè Mixtis.*

53 Omnia igitur Mixta, ſiuè Impreſſiones ſupradictæ originem habent ex duobus halitibus à Terra, Mari, aliiſque locis humidis calore, & vi Solis, ac cæleſtium corporum motu, in aëre eleuatis: à vapore ſcilicet, & exhalatione dictis; *Vapor* enim calidus eſt, & humidus ex aquæ potentia, & eſt virtualiter aqua; *exhalatio* verò calida, & ſicca ex potentia ignis, & fumoſa, vt inquit *Ariſt. lib. 2. Meteor. c. 4. & Plin. lib. 2. cap. 42.* Iſti duo halitus, quando alterationem aliquam recipiunt, cauſa ſunt Impreſſionum ignitarum in aëre apparentium, quæ præciſè ex exhalatione procedunt; ex vapore autem procedunt impreſſiones humidæ, & aquoſæ primæ regionis; nam licet aer ex ſua natura ſit corpus rarum, denſatur tamen accidentaliter exhalationibus. Si igitur exhalatio abundaverit

Digitized by Google

uerit in calore, aſcendit vſque ad tertiam regionem; ſi verò fuerit parua exhalatio, remanet in prima regione, & ſic pars craſſa, & ſubtilis aſcendere non valens, accenditur ad modum *Candelæ in perpendiculo*, & dicitur *Ignis perpendicularis*; ſi verò ſit parua pars groſſa generat aliam flammam ad modum *lanceæ ardentis*. Si exhalatio ſit ſubtilis vndequaque, ſed rara, inflammatur ad modum *ſcintillarum*, præſertim tempore ſereno noctis, in prima regione, & ſimiliter in ſecunda regione, & quandoque in tertia eiuſdem figuræ ignes apparent pro maiori, vel minori quantitate exhalationum.

In prima Aeris regione regulariter Impreſſiones ignitæ, quæ ſequuntur apparere ſolent, videlicet.

54 *Ignis lambens*, & eſt flamma accenſa ex tenui, ſubtili, & viſcoſa exhalatione. Crinibus equorum, & capillis hominum adhærere, aliquando ſolet, ita vt ardere videantur, & ſæpè radit, & adurit pilos ex vehementi accenſione; cum enim ex hominum, & equorum corporibus ex calore, & ſudore egrediantur fumoſitates quædam, accenduntur motu, attritione, vel alia cauſa ſimili, & ſic videtur ardere. *Medimn. lib. 2. de arte nauigandi c. 8.* Sæpè etiam dicta exhalatio adhæret pannis laneis, & tunc pilos panni comburit, & radet ſimiliter.

55 *Ignis fatuus, ſiuè ambulon* apparere ſolet circa Cæmeteria, ſuper cadauera ſuſpenſorum in patibulis pendentia, ſuper coquinas; ædes ſacras, vbi ſepulturæ ſunt, ſuper valles, & alia loca oliginoſa, in quibus tranſpirat halitus quidam craſſus, & igneus, qui facilè accenditur. Noctis tempore præſertim apparet. Hic videtur ſequi fugientem, & fugere ſequentem, quia quando quis ambulat rectè cum vi quadam ſequendo, impellit aerem in vnam partem, vnde ignis mouetur in eam partem, & videtur fugere: ſi verò quis fugiat, impellit aerem in partem contrariam, & ignis in eamdem mouetur, ideo videtur ſequi. *Mizald lib. 1. Cometog. c. 4.*

56 *Ignes nauigantibus* apparentes, præſertim tempore tempeſtatis, ſi ſint gemelli, dicuntur *Caſtor, & Pollux*; ſi vnicus, dicitur *Helena*. Materia ipſorum ſunt fumoſitates ex mari expirantes, quæ vehementi motu, & attritione accenduntur, præſertim in tempeſtatibus. Si appareant circa naues, velut ſaltantes, & varijs in locis diſcurrentes; futuram præſagiunt nautis tempeſtatem, quia indicant, exhalationem eſſe adhuc in motu, cum diſcurrant, ſi verò adhæreant, & conſiſtant antennis, vel alijs nauis partibus, præſagiunt tranquillitatem, quia exhalationes paulatim diſſipantur, & tunc ſolet eſſe vnicus ignis Helena dictus. *Plin. lib. 2. c. 37.* Aliquando videtur tota



Digitized by Google

nauis ardere, & hoc prouenit, quando ex tota naui eleuantur æqualiter exhalationes vndequaque, & accenduntur ex eadem cauſa prædicta.

57 *Faces apparentes*, dicuntur ignes, qui ad formam facis apparent, & ſic de ſingulis alijs diuerſis in figuris apparentibus, cum difficile ſit de omnibus diſcurrere ſingillatim; & per enunciatas, aliæ quoque impreſſiones ſimiles diiudicari poſſunt. At verò partitionem illarum præmiſi, vt certa methodo omnes percurrerem, non quod aliquæ ex his; & de alijs, quas ſecundæ regioni colloco, alibi generari non poſſint, de quibus ibi, licet potuiſſem omnes ignitas hoc loco explanare.

58 In iſta prima regione generantur etiam quædam aquoſæ impreſſiones, videlicet Ros, & ex eo mixta quædam; materia ipſarum eſt vapor ex aquis extractus: cauſa remota calor Solis, & aſtrorum, proxima actio primarum qualitatum.

59 *Ros igitur* eſt vapor ſubtilis non procul à terra eleuatus, nocturno frigore, ſed modico in aquam conſtrictus. Serena tantum nocte cadit, & in planis, non in montibus; de ſero, & mane, in Vere, & Autumno tantum; quia æſtate, propter nimium calorem, vapor conſumitur; Hyeme, propter frigus congelatur in pruinam. *Maſtr. diſp.4.qu.4.art.5.nu.*138. Ex rore fiunt Mel, ſaccarum, & manna.

60 *Mel*, vt dixi, ex rore generatur, nam ſi vapori miſceatur halitus quidam terreſtris, & ſubtilis, accedente calore cæleſti, & quorumdam ſyderum influentia, ac temperato frigore noctis, mixtum illud pingueſcit, & vt ros fluens aliquantulum viſcoſus decidit ſupra flores, & herbas, à quibus qualitates accipit dulcedinis, vel amaritudinis, vt accidit in Sardinia, vbi eſt amarum, quia Apes illud colligunt ex floribus abſinthij, & è contra in Hiſpania, & Italia eſt dulce, quia ex floribus dulcibus recipiunt. Vnde dicendum eſt, quod Apes colligunt mel, non conficiunt, poſt Autumnum tantum, non alio tempore. *Idem ibid. & Conimb. tract.7.c.9.*

61 *Saccarum* quoddam aliquando ex eodem rore fit, quando ſcilicet exhalatio vapori admixta, eſt multum ſicca, & viſcoſa, quare conſumpta humiditate, inſtar ſaccari plantarum foliis, & herbis inhæret, itaut aduſtæ appareant; quod & rubigo vocatur. Vt plurimum in meridie, & flante Auſtro decidit, fructibus, & ouibus valdè noxium, ſi comedant, nam propter dulce, auidius ſolito in quantitate comedentes recipiunt illud, quod epar, & inteſtina rodit. *Albert. Magn 4.p.Phi.*

Adeſt aliud ſaccarum, quod colligitur ex arundinibus quibuſdam-

Digitized by Google

dam, quæ ſimiles ſunt arundinibus communibus vineis inſeruientibus, ſed non ſunt tam altæ; nec vacuæ, ſed vt lignum plenæ, & molles continent enim iſtæ arundines intra ſe quendam dulciſſimum humorem, tamquam mel, ideo in fruſtra reciduntur, poſtea in molendinis comminuuntur, & in caldarijs igne coquuntur, & ſic extrahitur liquor, qui condenſatur, vt videtur, de quo *Plin. lib.* 12. *c.* 8. In Citeriori Calabria, & Sicilia fit in quantitate.

62 *Manna* quoque ex rore fit, cum illi vapori adiungitur terreſtris quidam halitus, & ex decoctione illius vaporis à calore cæleſti, manet terreſtris halitus cum modica humiditate, tunc conficitur liquor quidam candidus, & dulcis ſaporis. Decidit tamen, non in omnibus Terræ partibus, ſed in quibuſdam tantum ex ſpeciali terræ proprietate; & colligitur in folijs quarumdam arborum tantum, vt in Fraſſinis, & ornis, non in quibuſuis alijs arboribus, ſecundum experientiam habitam in aliquibus locis Calabriæ, & Apuliæ; in quibus manna prædictum vocatur vulgari nomine: *Manna di frondi*. Adſunt præterea in prædicta Prouincia Calabriæ duæ aliæ ſpecies mannæ: vna, quæ vulgò dicitur *Manna di corpo*; Alia, quæ appellatur: *Manna forzata*. Ambæ fiunt in Patria mea; quæ ſunt omnibus alijs totius Prouinciæ meliores, & perfectiores, non ſolum in qualitate, propter aeris clementiam: verum etiam in modo, ac venuſtate illam accommodandi, & conſeruandi; vt experientia probat; nam Neapoli, quò maior pars aſportatur, ſemper venditur notabiliter plus alijs manna Caſtriuillarum. Imò mercatores, & Aromatarij, ad hoc, vt cariùs vendant, tenent quaſdam tabellas, in quibus eſt inſcriptum: *Manna di Caſtrouillare.*

63 Prima Mannæ ſpecies fit in ramis quarumdam arborum, quæ ibi *Milei* vocantur; àlibi *orni*. Eſt autem quædam ſubſtantia ad modum minutæ gummis, candida tamen, & melata, dulciſſimum habens ſaporem. Colligitur verò in ſummis æſtatis caloribus, vt plurimum à prima Iulij circiter, vſque ad 20. Auguſti, & aliquando vſque ad finem eiuſdem menſis. Et obſeruatum eſt, in quibuſdam eiuſdem Ciuitatis regionibus, eſſe maioris perfectionis in ſubſtantia, & colore; in alijs verò minoris. Eſt tamen in confeſſo apud omnes Noſtrates ibidem, quòd hæc manna fit à Cicadis, tali tempore in magna quantitate ibi exiſtentibus, tali modo, ſecundum, quod viſum eſt: pungunt Cicadæ ramum prædictæ arboris in cortice, cum aculeo, quem in pectore tenent, & ſtatim ex illa punctura manat quidam paruus humor, ad modum lacrimæ, qui calore Solis, & virtute perfectionis, ac bonitatis Aëris coagulatur in granulum, quod dicitur manna prædicta, & de iſtis fiunt in quantitate in

Digitized by Google

te in ſingulis arboribus, ex quibus magno cũ labore granula prędicta paulatim, & ſucceſſiuè colliguntur, cũ quibuſdã inſtrumentulis ligneis lanceatis *palicchi* dictis ad hoc miniſterium tãtummodo accõmodatis, & in labijs quarundã ollularum, ac in folijs, & lignicu-lis intus eaſdem collocantur diuiſim, eo modo, quo colliguntur.

64 Alia ſpecies mannæ forzatæ, ſeu forzatellæ, fit per inciſionem earumdem arborum in Autumno tantum, præſertim menſe Septembris. Inciditur enim truncus arboris circum circa in cortice de ſero, cum quodam ſubtili gladio, ex illa inciſione defluit humor in quantitate, qui nocte coagulatur, mediante frigore, & ſic poſtridiè mane colligitur ſuper folijs in terra adhunc effectum relictis, & in trunco etiam; quæ tamen eſt infimæ conditionis, habito reſpectu ad primam, cum non ſit tam perfecta in colore, ſapore, & cæteris qualitatibus, non enim eſt tam alba, nec eamdem habet dulcedinem, neque eiuſdem virtutis purgatiuæ. Prima ſiquidem, quando ab aliquo ſumitur in brodio liquefactum, ad effectum humores euacuandi, purgat corpus dulciter, abſque alteratione temperamenti, vel naturæ debilitatione; ſecunda verò non ita. Quod & patefacit pretium ambarum; prima etenim ſemper venditur triplo, vel quadruplo plus, quam ſecunda; ita vt ſi illa vendatur ad rationem ſex, vel octo ducatorum pro libra; Iſta venditur ad duorum ducatorum rationem. Imò multò minus proportionabiliter; ſecundum maiorem, vel minorem quantitatem, quæ fit illo anno; quæ omnia expertus ſum ego ipſe in patria exiſtens.

65 In ſecunda verò aeris regione generantur, vt dixi aqueæ, & igneæ quoque impreſſiones, mirabiles quidem, & curioſiſſimæ, & Imagines quædam; de quibus ſingillatim, breuiterque pauca percurrere non pigebit. Sunt autem quæ ſequuntur Impreſſiones aqueæ, quæ hic fiunt ex vapore humido ſurſum eleuato, & in aquam reſoluibili, ſecundum *Ariſt.* 1. *Meteor. c.* 3. Nubes ſcilicet, nebula, pluuia, pruina, glacies, nix, &c. Poſtea verò de ignitis; & tandem de Imaginibus.

66 *Nubes* igitur eſt halitus, ſeù vapor humidus, & aqueus calore radiorum Solis reflexorum ad iſtam vſque regionem frigidiorem eleuatus, qui propter imbecillitatem, & defectum luminis reflexi refrigeratur, & condenſatur, ſecundum *Ariſt.* 1. *Met.* maxime actione ſyderum. Hæc nubes ſi erit ex vapore ſubtiliori, & minus humido, facilè conuertitur in aerem; ſi autem vapor erit craſſior, & humidior, conuertitur in aquam.

67 *Nebula,* ſeù caligo eſt ſuperfluitas nubis in aquam reſolutæ, ſteri-

lis,

Digitized by Google

lis, & aquæ infæcunda, ac reliquiæ nubis, & circa Terram inſidet. *Ariſt.* 1.*Met.Sum.*5,*c.*1. vnde deberet poni in prima regione, cum ſit vicinior terræ, ſed quia ego ſequor ſententiam illorum, qui aſſerunt nebulam eſſe reliquias nubis, & uon partem craſſiorem nubis, vt Alij tenent: ideo in iſta ſecunda regione collocaui. Si nebula accedente Sole aſcendit, minatur pluuiam, quia conuertitur in nubem; ſi deſcendit, eſt ſignum ſerenitatis, quia à Sole diſſipatur. Nec æſtate, nec maximo frigore, nebulas exiſtere tradit *Plin. lib.*2.*cap.*60.

68 *Pluuia* eſt nubes in aquam reſoluta, ideſt aggregatio multorum vaporum ex frigido, & humido, quæ ob grauitatem calore Solis reſoluta guttatim cadit vſque ad terram; diuerſitas autem illa guttarum oritur præcipuè ex maiori propinquitate, vel diſtantia nubis cadentis, quo enim eleuatior eſt nubes, eo in minutiores diuiditur partes, propter diuturnam aeris diuiſionem. Fit autem ſic: Primò vi caloris Solis vapor denſus, grauis, & craſſus eleuatur vſque ad infimam ſecundæ regionis partem frigidam; ibi calor eleuans illum relinquit; ideo condenſatur vapor, ob frigiditatem; & ſic reſoluitur in guttas aqueas mediocres, & ſine magno impetu. *Ariſt.* 1. *Met.c.*9. Diuiditur pluuia in ſtillicidium, Imbrem, Nimbum, & diluuium particulare.

69 *Stillicidium* vocatur pluuia in minutiſſimis guttulis decidens.

70 *Imber* dicitur pluuia per guttas grandiores cadens,qui ſolet euenire frequentiùs in hyeme, quam in æſtate.

71 *Nimbus* appellatur pluuia maior, ſi maximis, & frequentiſſimis guttis aquarum cum impetu decidat. Hic à contrario frequentior eſt in æſtate, quam in hyeme. Et diuerſitas guttarum prouenit ex ratione ſupra allata, & ſimiliter à maiori,vel minore vaporis quantitate, magis, vel minus grauis,& craſſi.

72 *Diluuium* particulare dicitur abuſiuè pluuia maxima, qua terra inundatur ab immodicis aquis pluuijs, vel ab incremento fluminum, propter magnam vaporum copiam ex peculiari quodam aſtrorum concurſu attrahentium ex mari, & eius incremento; naturaliter accidere poteſt, ſi ſit particulare, Ex Dei prouidentia, ſi vniuerſale.

73 De pluuia eſt notandum, quod refert *Plin. lib.*5. *c.*56. pluiſſe aliquando lacte, ſanguine, carne,ferro, lana, lateribus coctis, &c. Aliquando cernitur pluuia cum ranis decidere, vermibus, pilis, & ſimilibus; hoc euenit, quia vi ventorum hæc cum vaporibus eleuantur in aerem, vel oua, aut excrementa ranarum, & vermium,

qui

Digitized by Google

qui poſtea cum pluuia decidente cadunt, & generantur, quæ omnia accidere ſolent, vel per influxus aſtrorum, vel vi ventorum, vt dixi, vel virtute Solis, qui hæc in nubibus generare poteſt, & aliquando vi dæmonum, permittente Deo; *Conim. 1. Meteor. lect. 35.*

74 Poteſt diuerſis modis pluuia prognoſticari, & præuideri naturaliter, vel ex ſtellis influentibus ad pluuiam generandam, vel ex rebus ſublunaribus animatis, quæ aliquo modo ſentiunt vaporem, antequam ex illo generetur pluuia, quia quædam Bruta illo vapore delectantur, alia verò triſtantur; vel ex ſublunaribus inanimatis, quæ ante pluuiam madeſiunt aliquo vapore apto ad pluuiam. Quæ omnia diligentiſſimè obſeruant nautæ, agricolæ, & Alij, vel rerum futurarum indagatores, vti Aſtrologi, vel qui pluuiam deſiderant, aut illam euitare cupiunt; quos conſulat; qui errare noluerit in prognoſticanda pluuia; quia multum ingenij, & ſolertiæ requiritur in ſpeculando connexionem prognoſtici cum pluuia prognoſticata, cognita autem connexione, certius prognoſticum fit. Veluti exempli gratia, ſi Sol oriens appareat maior ſolito, poteſt prognoſticari futura pluuia, quia ſemper experientia conſtat, quod ſequatur pluuia; Ratio autem connexionis eſt, quia talis maioritas apparens, non realiter tamen exiſtens, cauſatur ex aliquo magno vapore humido, qui mediat inter Solem, & oculum noſtrum, qui vapor deinde eleuatus ad mediam aeris regionem virtute Solis, ibi infrigidatus condenſatur, & reſoluitur in pluuiam. At quomodo cauſetur talis apparentia Solis maior ſolito tunc temporis ex magno vapore, patet ex alia experientia denarij in aliquo vaſe aqua pleno proiecti, ipſe enim ſtans in fundo aquæ, apparet vtique maior, quam ſit; ratio eſt, quia humiditas aquæ incraſſat quodammodo. & maiorizat ſpecies viſibiles denarij. Aliud ponitur exemplum v. g. Cum ſol apparet citius ſolito, ſignum eſt futuræ pluuiæ; hoc enim prouenit, quia ad magnum vaporem reuerberatur Sol, tamquam ad ſpeculum, & ſic in tali vapore videtur Sol; vapor verò ratione ſuæ magnitudinis vertitur in pluuiam; ſicut denarius poſitus in fundo vaſis, ſi non appareat tibi aſpicienti, & poſtea appareat, ſignum eſt, quod in fundo vaſis poſita eſt aqua, in qua videtur denarius, vt quiſque ex ſe poterit experiri.

75 Ego tamen ad communem omnium vtilitatem, & commoditatem quamplurima ſigna, & prognoſtica futuræ pluuiæ ex varijs Doctoribus collegi, & in vnum hic inſerui, quæ ſparſim inueni apud diuerſos, præſertim apud *Plin. lib. 2. cap. 30. & lib. 18. cap. 35. & Miſald. in Ephemerid. aeris, & Virg. l. 1. Georgicor. Conimbricenſ. & Alios.*

Et Pri-

Et 1. Quando ſol, vt dixi ſupra, apparet maior ſolito.
2. Quando Sol in ſuo ortu apparet citius ſolito.
3. Quando Sol apparet pallidus.
4. Quando apparet corona quædam ſplendida circa Solem, vel Lunam.
5. Quando Parhelius, ideſt imago Solis reflectitur ad aliquam nubem.
6. Quando Oriente Sole apparet nigra, & longa nubes ad modum trabis,
7. Si rubea nubes in mane appareat verſus Orientem.
8. Si nigra nubes mixta rubenti nubi appareat ante ortum Solis.
9. Si videatur verſus Auſtrum, ſiuè meridiem rubea nubes ante Solis ortum, erit magna pluuia.
10. Si videatur verſus Occidentem prædicta nubes, erit parua pluuia.
11. Si videatur rubea nubes verſus Tramontanam in meridie, erit magna pluuia.
12. Si nubes appareat in ſummitate montiũ, quæcumque illa ſit.
13. Si nebula accedente Sole aſcendat, pluuiam indicat, quia conuertitur in nubem.
14. Si Luna appareat pallida, præſertim in Plenilunio.
15, Si Luna quarta appareat habens cornua obtuſa.
16. Si Halo Lunæ, ideſt eius corona alba condenſetur in nigredinem.
17. Si Halo Lunæ perſeueret albus.
18. Iris, ſeu Arcus cæleſtis apparens ſereno tempore, erit ſignum pluuiæ, antequam pluat.
19. Si Iris videatur verſus meridionalem plagam, erit magna pluuia.
20. Si Iris videatur verſus Occidentem, pluet parum.
21. Si Iris videatur verſus Tramontanam in meridie, erit magna pluuia.
22. Stellæ apparentes obſcuratæ.
23. Aſelli cæleſtes, qui ſunt duæ paruæ ſtellæ in ſigno Cancri, vix ſereno tempore apparentes.
24. Ortus Arcturi, vel Pleiadum, vel Edorum, vel ſuculorum, ſiuè Hyadum; quæ omnia ſunt ſigna cæleſtia, & ſtellæ quædam.
25. Sol oriens cum Aſellis prædictis.
26. Saturnus Oriens cum cane maiore, qui ſimiliter ſunt ſigna quædam cæleſtia.



Digitized by Google

27. Aër perſeuerans calidior ſolito.
28. Hirundo volitans circa lacus.
29. Ardea volitans ſuper nubem.
30. Cornix cantans ſuper arenam, & caput vndis immergens.
31. Aues fluuiales relictis vndis in prata celeriter volantes.
32. Bubo cum cantat in montibus.
33. Fringillus diluculo canens.
34. Mergi, & Anatres purgantes roſtro pennas.
35. Anſeres intempeſtiuo clamore ſtrepentes.
36. Noctua veſpertino tempore exiens ex loco ſuo citiùs ſolito.
37. Quando Apes non exeunt iuxta ſolitum ex aluearijs, vel ſi exeunt, non longe aduolant.
38. Gallus frequenter cantans, & præſertim hora inſolita.
39. Muſcæ, & pulices acriùs ſolito mordentes.
40. Formicæ præter ſolitum abſcondentes ſe ſub terra.
41. Formicæ portantes celeriter grana in foramen.
42. Bos Cælum ſuſpiciens; aerem olfaciens; & lambens ſe contra pilum.
43. Sues dilaniantes manipulos fæni.
44. Cerui dimicantes, & ſe inuicem concutientes.
45. Oues nimia auiditate comedentes in pratis.
46. Aſinus fricans ſibi aures, vel caput concutiens.
47. Feles cum caput anteriori pede abluunt.
48. Mures cum magno ſtridore vagantes.
49. Vermes terreni exeuntes de terra.
50. Vermes quidam terreni montiunculos terræ per prata facientes.
51. Ranæ, vltra ſolitum ſtrepentes.
52. Delphini frequenter in mari ſaltantes ſupra aquam.
53. Cum eſt fungus quidam in lucerna.
54. Cum difficiliùs ſolito accenditur lucerna.
55. Cum Carbones plus ſolito ſcintillant.
56. Cum concreſcit cinis in igne ex carbonibus.
57. Cum flamma plus ſolito ſtridet.
58. Cum cordæ in muſicis inſtrumentis ſunt remiſſiores ſolito.
59. Cum lapides quidam madeſiunt, præter ſolitum.
60. Cum vulnera, oſſium fracturæ, & aliæ partes malè affectæ in corpore humano ſentiunt dolorem maiorem ſolito.
61. Cum augentur fontes, & flumina, ſine pluuia. Reliqua ſigna pluuiæ quære apud Doctores; mihi autem placuit inter plurima alia.

alia, hæc paűca enumerare, & curioſis amicis afferre.

Adeſt inſuper aliud ſignum prognoſticandi perſeueraturam pluuiam, dum actualiter pluit; & eſt ſi videantur in aqua quædam tamquam ampullæ vitreæ, quæ non illicò euaneſcant.

76 E contra vero tempore pluuiæ dantur multa alia ſigna, ex quibus prognoſticari poteſt Serenitas aëris; & quidem potiora ſunt, ſi non ſint ſigna pluuiam indicantia; illa vtique erunt prognoſtica ſerenitatis; vt ſi Sol non appareat maior, vel citiùs ſolito, ſed ſecundum ſolitum, iam eſt ſignum ſerenitatis futuræ, eò quòd non eſt in aëre tantus vapor, qui verti poſſit in pluuiam; & ſic de aliis ſignis pluuiæ, quibus deficientibus, præſagiri poteſt ſerenitas; Attamen quia quædam particularia ſerenitatis ſigna ex Doctoribus Metheoriſtis collegi, hoc loco afferre quæcumque illa ſint, non nocebit.

Et 1. ſi Sol apparet purus, & limpidus ſine nube.

2. Si euaneſcit tota corona circa Solem.

3. Si Iris appareat poſt multas pluuias.

4. Si Halo Lunæ citò diſpareat; ideſt corona alba circa Lunam.

5. Si nebula accedente Sole deſcendat, potiùs, quàm aſcendat, quia tunc à Sole diſſipatur, & reſoluitur; quod ſecus eſt, ſi aſcendat, quia tunc conuertitur in nubem, & deinde in pluuiam.

6. Si Luna in Plenilunio appareat pura.

7. Cum facilè videtur via lactea; & Aliæ ſtellæ minutiores, quales ſunt Aſelli cæleſtes præſertim.

8. Si videatur circa Solem in veſpere rubedo quædam, & præcipuè poſt pluuias.

9. Halcyones in lictore nidulantes.

10. Cum Veſpertilio exijt ex foramine, ſed volat extra domum.

11. Cum Bos iacet ſupra ſiniſtrum latus. Hæc breuiter enunciaſſe ſufficiat.

77 *Pruina* fit eodem modo, ac Ros, ſed differt in eò, quod eſt vapor congelatus ex vehementi frigore aeris, non à temperato, ſicut ros. Hinc eſt, quod hyemali tempore, & ſerenis noctibus tantum decidit. *Ariſtot. ibid. c.* 11.

78 *Glacies* eſt aqua frigore concreta ex admixtione exhalationis ſiccæ adglutinantis partes aquæ, itaut adhæreſcant. *Ex Ariſt. Maur. lib.* 4. *q.* 9. fit in ſtagnis, paludibus, fluuiis, & in quibuſdam regionibus Aquilonaribus in Mari. Et ſimiliter in omnibus aquis ſtagnantibus. Fit in Hyeme tantum.

79 *Grando* eſt nubes in pluuiam concreta, quæ antequam terram



Digitized by Google

contingat, congelatur. Vel ſecundum *Maur. ibid.* eſt congelatio aquæ, quæ cum à vento detinetur, & agitatur, commiſcetur multis exhalationibus ſiccis, & ſalnitralibus, quarum vi, accedente etiam frigore, congelaſcit: In fine Veris, & in Autumno fit, vt plurimum, quia tunc frigus extrinſecum ambientis eſt maius aptum, quam alio tempore ad congelandum cum influxu Cæleſti ex calido, & humido temperato. *Maſtr. in Met. diſp. 4. q. 4. ar. 5. n. 143. in fin.* Aliquando fit etiam in prima aeris regione, ſed ordinariè in ſecunda.

80 Poſſunt fieri ſimiliter quædam prognoſtica de futura grandine, ſicut de pluuia, de ventis, & de alijs fit, ex quibuſdam ſignis, quæ naturaliter grandinem futuram indicant, & præſagiunt.

Et 1. Si videatur nubes valde denſa, & obſcura; ita vt lumen Solis obſcurare quodammodo videatur.

2. Si videatur nubes erecta in ſummitate montium, quæ coloratur quadam quaſi alba pellicula.

3. Quando auis, quæ non eſt alba, appareat nobis alba.

4. Si audiatur corous mutare multas voces.

5. Si Lupus vlulet, præcipuè in planis, & cultis locis.

6. Cum bos comedit plus ſolito, & poſtea iacet in latus dextrum.

7. Cum ſturnæ manè volant adunatæ.

8. Cum animal ſilueſtre venit per loca culta, & habitata. Hæc pauca ex Doctoribus collegi, & ea attuliſſe iuuabit. Ex multa tandem grandine ſolet præcognoſci, & prognoſticari penuria fructuum.

81 Nix, nihil aliud eſt, quam nubes congelata; generatur autem ex nube, quæ priuſquam in aquam reſoluatur, conſtringitur frigore mediæ regionis aëris, & in floccos albos decidit, propter frigus intenſum, quod quidem eſt cauſa candoris; ſicut è contra calor eſt cauſa nigredinis, vt plurimum. Fit autem nix ex vapore calido, & humido, ſed habente plus ſiccitatis, quam humidi; Ideo eſt ſiccior pluuia, quia continet plus exhalationis. Eſt autem mollis, & lata ad modum bombacis, quia vapor eſt tenuis, & ſubtilis, non craſſus, & denſus; & habet multum de humido aereo; Ideo in Hyeme tantum fiunt niues, ordinariè loquendo; quia tunc propter frigus intenſum non eleuantur vapores groſſi, & denſi. *Maſtr. ibid. vbi ſup. & Alij Doctores per ipſum adducti.* Sæpè ſæpius accidit, vt nix tranſiens per infimam aëris regionem reſoluatur in aquam à calore ibi exiſtente; Vnde fit, vt in vallibus pluat, & in montibus ningat. *Mar. lib. 9. cap. 11.*

Pro-

82 Prognoſtica autem futuræ niuis ſunt hæc.

Primo aër antea valde frigidus, & poſtea aliqualiter calidus; quod fit propter exhalationem expulſam ex nube niuoſa.

2. Cœlum turbidum, & obſcurum, quadam quaſi alba oſcuritate.

3. Tonitrua ſubmiſsè, cupè, & quaſi tremulenter reſonantia. Hæc pauca tantum retuliſſe ſufficiat. Ex Niue autem opportunè cadente prognoſticatur abundantia frugum.

83 *Ignitæ Impreſſiones*, quæ ſequuntur, generantur quoque in hac ſecunda aeris regione, quas placuit mihi ſuo proprio loco percurrere, & non ſimul omnes in confuſo, cum cæteris alijs, quæ in prima, & tertia fiunt, collocare; vt ferè omnes Meteoriſtæ faciunt, in duas claſſes illas diuidendo, in ignitas ſcilicet, & in aquoſas. Sunt autem Igneæ; Tonitruum ſcilicet, fulgur, fulmen, Ignis, aſubdeſcendens, capra ſaltans, trabs igneus, Draco volans; ſtella cadens, turbo, & ſimiles.

84 *Tonitruum* igitur fit ex calida, & ſicca exhalatione, & vapore, quæ ſurſum rapiuntur calore Solis, & aliorum Aſtrorum vſque ad hanc ſecundam aeris regionem. Vapor enim exhalationem circumſtans inſpiſſatur, & condenſatur in nubem, cum autem exhalatio incluſa frigus ſentit, ſe contrahit, impellitque nubem ſe inflammando; exitum verò non inueniens rumpit, & ſcindit magno impetu nubem inflammatam. ex quo fit ſonus, quem nos audimus, & *tonitruum* vocamus, & coruſcationem ex cauſa accenſionis prædictæ *fulgur* appellamus. *Ariſt. 2. Metcor. c. 9. & Aut. Mar. lib. 9. cap.* 19.

85 Coruſcatio verò videtur prius, quam audiatur ſonus, licet præcedat ſonus, vel ſaltem ſimul fiant, quia viſus eſt velocior auditu, vt experitur à longe in homine, cum ſecuri ligna incidente. Aliquando æſtiuo tempore de ſero videtur coruſcatio, & ſonus non auditur, hoc prouenit, quia ſonus non eſt tam vehemens, & ſic ad aures non peruenit. Sæpè ſonus tonitrui eſt ingens, ſed parum durat, hoc accidit, quia exhalatio tota ſimul magno cum impetu irruit in nubem, eamque diſrumpit vnico ictu: Interdum verò eſt continuatus ſonus, quia exhalatio ſucceſſiuè frangit nubem pluribus ictibus. Tonitrua frequentiora ſunt Autumno, & Vere, quam æſtate, ac hyeme, quia hyeme paucæ exhalationes, propter frigus eleuantur; æſtate verò propter calorem altiùs aſcendunt, & ſic non remanent cum vaporibus; Autumno autem, & vere eleuantur in magna copia, & remanent cum vaporibus. *Maur. lib. 4. q.* 17. Hinc eſt, quod in Scythia, propter frigus, & in Aegypto, propter nimium calorem, num-

Digitized by Google

numquam audiuntur tonitrua, ſed in Italia ſæpius, præſertim in Campaniæ fælicis Prouincia, vbi Neapolis ſita eſt, propter optimam aeris temperiem, cum ſemper quaſi ſit annus totus, tamquam Ver.

86 *Fulgur*, ſeù *Coruſcatio* eſt accenſio, vt ſupra tetigi, exhalationis tenuiſſimæ in nube ex attritione cauſata. *DD. communiter*. Aliquando in æſtate fulgurat, ſine tonitru, hoc euenit, cum ſcinditur leuiter nubes, propter tenuitatem: Aliquando tonat, ſine fulgure, tunc fit, cum exhalatio rumpit nubem, nondum accenſam; vel illam ſcindit ex parte ſuperiori verſus Cælum, vel ſi intra nos, & nubem ruptam, intercedat alia magna nubes viſum impediens. *Maſtr. & Alij, ibid. q. 2. ar. 5 nu 54.*

Fulgura, & tonitrua ſunt voces quodammodo Dei, admonendos homines, vt pænitentiam agant, vt in *Pſalm.* 18. Intonuit de Cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam; *& Pſalm.* 77. Immiſſiones eius per Angelos malos, &c. & *Pſal.* 148. Ignis, grando, nix, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius, & *Deuteronom.* 32. ſi acuero, vt fulgur gladium meum; &c.

87 *Fulmen* eſt exhalatio ſicca facilè accendibilis, quæ in maxima copia intra nubem clauſa ex attritione incenditur, & repulſa à denſitate nubis ſuperioris, concipit impetum violentiſſimum deorſum. *Maur. ibid. ex Ariſt. 3. Met. c.* 1. inquiens, quod eſt exhalatio ignita, è nube magno impetu excuſſa; quia verò eſt materia craſſior, & magis conſiſtens, quam in fulgure, & magno impetu è nube excuſſa non diſſipatur in aere, ſed ad Terram deſcendit. Diuerſos autem producit effectus ex diuerſa materiæ diſpoſitione magis, vel minus denſæ, terreſtris, & viſcoſæ, ex qua componitur. Aliquando enim corpora lambit, & denigrat, ſed non adurit, hoc fit, cum materia eſt tenuis, & debilis virtutis, & actiuitatis: Aliquando è contra comburit, & deſtruit, quando ſcilicet materia eſt ſpiſſa, benè compacta, & fortiter inflammata.

88 Aliquando emittit lapidem quemdam, qui vocatur *Saggitta*, tunc fit, quando materia eſt multa, ſpiſſa, & conglutinoſa; in Autumno, & Vere contingunt, vt plurimum fulmina, & tonitrua eadem ratione allata in tonitruo, quia ſcilicet iſtis temporibus exhalationes, propter frigus, & calorem temperatos, multæ, & ſpiſſæ cum vaporibus permanentes eleuantur, non ſic eſt in hyeme, propter frigus, & in æſtate, propter calorem, quia tunc exhalationes diſſipantur, vel non eleuantur. Fulmen corpus purgatum venenat, & venenatum purgat aliquando; & quidquid ab illo tangitur, venena-

Digitized by Google

nenatum efficitur, itaut ſi comedatur, occidat. Varios, permultos, ac diuerſos fulminis effectus curioſos,& quidem mirabiles congerit *Maſtr.ibid.in Met.diſp.4.q.2.ar.5.à nu.58.*

89 *Ignis aſubdeſcendens* dictus, fit cum exhalatio mediocriter calida fuerit, mediam Aeris regionem non traſgrediens, in eadem ſubſiſtit, & per frigus nocturnum circumſtans fortificatur, & augetur, & ſic accenditur, quæ quia deſcendere ignis videtur, cum à nube frigida, & aere frigidiore deijcitur, *aſubdeſcendens* vocatur. Aliquando in deſcenſu à nubibus frigidis extinguitur, & quandoque donec vnam nubem pertranſeat, à nobis non videtur, poſtea denuò apparet. *Aut.Mar.ibid.c.8.*

90 *Capra ſaltans* apparens,eſt exhalatio accenſa in longum protenſa, quæ videtur ſcintillare, quia materia non eſt continuata, ſed interrupta, & ſic illæ partes magis diſpoſitæ paulatim accenduntur, & dilatantur, quæ ſcintillando ſaltare videntur; & aliquando duplicantur, & apparent tamquam duæ capræ inuicem ſe percutientes. *Ariſt.lib. 1.Met. cap.4. Mar. vbi ſup.* qui ignis ſecundum Aliquos fit etiam in prima regione.

91 *Trabs igneus* eſt exhalatio accenſa, anguſta, in longum protenſa ad modum trabis, quæ ſi diſtendatur tranſuerſaliter, dicitur trabs;ſi verticaliter ad modum columnæ, dicitur *columna ignis*;ſi ad modum lanceæ, *lancea*; & ſic de ſingulis alijs figuris. *Maur.ibid.lib.4.q.11.*

92 *Draco volans* eſt exhalatio, vt corpus Draconis apparens. Si verò ſit repræſentatiua pyramidis, dicitur *pyramis*,vel ignis perpendicularis; qui, & in infima regione fit. *Ariſt.vbi ſup. & Baſil. Magn.in Pſal.28.*

93 *Stella cadens*, ignis apparens admodum ſtellæ cadentis, aliquando veſtigium poſt ſe relinquens, eſt impreſſio quædam, quæ fit ex exhalatione mediocriter calida, & ſicca, quæ per frigus nocturnum circumſtans impellitur, & tunc quia continua eſt, & non multa, dum à vaporibus extruditur, attritione, & motu accenditur, & accenſa ob paruitatem decidit ſcintillando. Aliquando autem non diſſipatur in aere, quia eſt materia denſior, & craſſior; & tunc videtur realiter cadere in mari,vel in aliqua parte terræ. *Ariſt. & Alij, vbi ſup.*

94 *Turbo*, ſeu *Procella* in tres diuiditur ſpecies principaliores. Primus dicitur Ecnephias; ſecundus Typhon, ſeu Vortex; tertius Præſter.

95 *Ecnephias* eſt flatus impetuoſus erūpēs ex nūbe, ac recta velocitate deorsū cadens.Accidit cū multa exhalatio dēſa,& ſpiſſa intra nubem cogitur; & per Antipariſtaſim, ob circumſtantem nubis frigi-

dita-

ditatem incaleſcit; tunc enim quærens ampliorem locum, ad inſtar fulminis magno impetu à nube exploditur, ac deorſum impellitur ingenti violentia, ac velocitate. *Maſtr. vbi ſup.* Fit autem vt plurimum in æſtate, & in regionibus calidis, & citò tranſit, & ſi accenditur, domos, & villas comburit, & à vulgo dicitur: *Diluuium ignis. Mar. ibid. c. 18.*

96 *Typhon*, ſeù *Vortex*, eſt exhalatio ſicca, quæ deorſum extruſa à denſitate nubis, atque ab eius partibus repulſa, concipit motum circularem ex pugna diuerſarum nubium, vel partium eiuſdem nubis; & arbores quandoque eradicat, tecta, ac ædificia alta deijcit. Rotatur autem eo modo, ſicut videtur aliquando in vijs angultis, vel angiportis rotari puluis, & paleæ. Eſt quidem Nautis periculoſiſſimus, nam ſua vehementia, & gyro abſorbet quidquid ei obuium fit, vt nauigia integra, arbores, ſaxa, & in altum rapit; ac deinde præcipitat; & quandoque magnam aquæ maris copiam in altum ſorbendo extollit. vnde ab aliquibus nautis *Fiſtula*, ſeù *Trumba* vocatur. *Maſtr. ibid. num. vlt. & Alij cit. cum Ariſt. 3. Meteor. c. 1.* & ſeq.

97 *Præſter* autem eſt incenſio ſpiritus, ſeù exhalationis ſiccæ vaporibus incluſæ, & eſt ſimilis Typhoni, ſed differt, inquantum plus flatus habet, quam flammæ. Aliquando remanet penſilis in aere, tamquam columna, quæ ſi moueatur, & accedat ad aliquem, certam affert ruinam. Solent nautæ tunc contra ipſam explodere bombas, vt dilacerent globum, ad hoc vt ſpiritus incluſus exhalare poſſit. *Maur. & Maſtr. ibid.*

Apparent quandoque in aere quamplures *Imagines* ex vario aſpectu, & incurſu lucis, & radiorum Solis in nubibus, vt Iris, Halon, Parelij, Virgæ, Voragines, & ſimiles.

98 *Iris*, qui vulgo dicitur *Arcus cæleſtis*, ſecundum *Ariſtotel. 3. Meteor. c. 9.* eſt arcus diſcolor apparens ex receptione, & reflexione luminis ſolaris in nube rorida. Ex hac definitione colligitur, Arcum Cæleſtem non eſſe ſubſtantiam aliquam, ſed tantum imaginem ſubſtantiæ; & conſequenter quatuor illi colores in nube apparentes, quos quidam dicunt habere ex quatuor elementis, vt rubeum ab Igne: puniceum ab Aere: flauum ab Aqua: & viridem à Terra, ſunt ſolummodo ſimilitudines colorum, non verè, & realiter colores. Alij tres tantum colores aſſignant, non ex elementis, ſed ex commixtione lucis cum nube. *Maſtr. ibid. diſput. 4. q. 3. ar. 3. n. 85.* Generatur equidem in nube oppoſita per diametrum Soli, vel Lunæ ex radiis reflexis; Vnde apparere ſolet veſpere, vt plurimum ex parte Orientis; manè verò ex parte Occidentis, cum Sol non multum

Digitized by Google

tum eleuatur ab Horizonte. Frequentiores ſunt Vere, & Autum-
99 no, quia calor eſt temperatus, & aptior ad formandum Iridem.
Aliquando videntur eſſe plures, vt duæ, vel tres, tunc ex vna tantum recipiunt imagines alij, quia vna eſt imago alterius, licet *Ariſtot.* duas tantum concedat; ſed reuera tres aliquando videntur, tertia tamen habet colores multum debiles, & ſtatim euaneſcentes. Ratio eſt, quia duæ nubes roridæ, & aliquando tres poſſunt eſſe in eodem Cæli ſitu, vna ſupra aliam, & diſcontinuæ, & ſic cum ſol illuſtrat Iridem inferiorem, iſta tamquam ſpeculum remittit colorum ſpecies ad nubem ſuperiorem, vnde in eam impingentes reflectuntur, vt in ſpeculum, & nouam Iridem cauſant; quod & de tertia poteſt ſuccedere, quæ tamen ex debilitate reflexionis valdè exigua erit, quia nō immediatè à Sole recipit. *Cornelius Gēma narrat lib. 1. de diuinis naturæ characteriſm. c.* 8. fuiſſe viſas ſeptem Irides anno 1551. prima die Martij. De Iride fit mentio in ſacra Scriptura *Geneſ. c. 9.* cum Deus dederit inſignum ſuæ clementiæ, pollicitus non amplius mundum aquis diluuij ſubmergere; ex quo quidam Sacri Doctores argumentum ſumunt dicendi non eſſe naturale opus, ſed oſtentum quoddam Diuinæ omnipotentiæ; ſed his non obſtantibus naturale opus eſſe ex naturalibus cauſis contingens ferè omnium Doctorum communis eſt ſententia. *Diu. Thom. 3. Meteor. lect. 3. digreſſion. de Iride, & quolib. 3. art. 3.* Quando Iris ſit ſignum pluuiæ, vel Serenitatis, notaui ſup. vbi de Pluuia egi.

100 *Halon* ſeu *Corona* eſt circulus quidam albus circa Solem, Lunam, vel aliquam ſtellam lucidam ex vapore humido, nondum conuerſo in nubem, ſed illuminato per radios alicuius aſtri, potiſſimum in Autumno, & Vere; rarò, aut numquam hyeme, & æſtate. Frequentius eſt circa Lunam, in principio, & fine noctis. *Ariſt. 3. Met. c. 2. & 3.* Si citò euaneſcit, eſt ſignum Serenitatis, quia vapores ſunt debiles; ſi verò perſeueret aliquantulum, eſt ſignum pluuiæ, quia vapores ſunt conſiſtentes; ſi ſcindatur, eſt ſignum ventorum, quia à flatibus diſſipatur, qui adhuc in terris non audiuntur. *Maur. ibid. quæſt.* 18.

101 *Parelij* ſunt plures Soles in Cælo apparentes, vt duo, vel tres. Accidit hoc, ſi nubes ſit denſa benè regularis, æqua, & vniformis, nec oppoſita ſoli, vt in Iride, ſed propinqua ad eius latus, quæ proximè in pluuiam verti debet; Sol ibi exprimit aliam figuram ſui per refractionem radiorum, & aliquando vnus, duo, tres, vel plures Soles apparent; & tunc vnus repræſentat alium per reflexionem. *Titelmannus lib. 6. rer. natural. c. 12. 13. & 14.* regulariter fiunt Oriente,

vel Occidente Sole. *Maſtr. vbi ſup. ex Plin. lib. 2. hiſt. nat. c. 1. qui cap. 32.* ait, tres etiam Lunas fuiſſe viſas.

102 *Virgæ* apparent in aere, quando nubes ſunt oppoſitæ ſoli, ſed non ſunt æquè denſæ vbique, & radij intra feruntur, & ita per nubis perſpicuum, radij illi, vt virgæ per aerem extenduntur, quia alij non videntur. *Ariſt. ibid c. 9.*

103 *Voragines, Hiatus*, aliique varij colores apparent ſimiliter aliquando in aere pro modo denſitatis nubis; euenit hoc, quando adunati ſunt halitus, ſeù vapores, in gyrum ſic diſtributi, vt in medio ſint magis atri, & obſcuri: in circumferentia verò magis clari, & albicantes; ex tali enim colorum diſpoſitione, apparet in medio profunditas quædam, vt patet in puteis, & antris à pictoribus in plana tabula depictis; ratio eſt, quia obſcurum, cum minus feriat viſum, remotius apparet; è contra verò color clarus. Si profunditas ex tali diſpoſitione nubis eſt parua, dicitur *Hiatus*: ſi magna, dicitur *Vorago. Contareni. lib. 2. de elemen. Maſtr. ibid. n. 94.* Ab aliquibus autem, iſtas Imagines apparentes aſſeritur fieri in tertia aeris regione quidquid tamen ſit de veritate, ſufficit mihi enunciaſſe breuiter quomodo fiant, ſiuè in ſecunda; ſiuè in tertia ſit. Imagines prædictæ à Philoſophis vocantur Aſſub, vel Chaſma.

104 In tertia tandem Aeris regione generantur ſimilter quædam ignitæ impreſſiones ex exhalationibus à terra virtute ſolis, & aliorum aſtrorum eleuatis vſque ad hanc regionem, propter caloris abundantiam, quæ quidem ex figuris apparentibus, nomina recipiunt; vt ſi videatur ad modum lanceæ ardentis, dicatur *lancea* ignis; ſi ad inſtar candelæ accenſæ, vocetur candela *ignis*, vel ignis perpenditularis; ſi in forma flammæ aſcendentis, dicitur *Ignis a ſubaſcendens*, quæ omnes generantur eodem modo, vt cæteræ impreſſiones ignitæ primæ, & ſecundæ regionis, differunt ſolum in loco, & in quantitate maiori, vel minori exhalationis; maiores autem ſunt exercitus apparentes, & Cometæ.

105 *Exercitus* apparentes cum armis, & equis pugnantes, generantur ex vaporibus, ſeù exhalationibus, & eorumdem diſpoſitionibus; & aliquando videntur inflamationes, & auditur ſonus, tamquam tubæ; quandoque tamquam voces hominum, vel beſtiarum; cauſam enim talium ſonorum tenet *Maſtr. ibid. nu. vlt. in fin. 3. quæſtionis*, eſſe colliſionem exhalationis cum vapore, quando ſcilicet exhalatio ſubtilis incluſa in vapore ſubtili compreſſa exitũ quærit, & erumpit violentia quadam, tunc enim ex illa violenta eruptione naſcitur ſonus ille. Benè tamen verum eſt, quod non ſunt puræ naturales,

Digitized by Google

les, quando hæc apparent, neque caſuales, ſed talia ſpectra ex Dei iuſſu formantur aliquando à bonis, vel malis Angelis ad futura prænuncianda, homines terrendos, vel de aliquo monendos. *Maur. ibid. vbi ſup. Auerſa qu.42. ſect. 5. & Cottunius lect. 27.* qui multas prodigioſas imagines, & mirabilia oſtenta in Cælo viſa referunt.

106 *Cometa*, qui naturaliter ſit in tertia aeris regione (cum poſſit eſſe aliquando in Cælo ſupra Lunam miraculosè generatus ex Dei omnipotentis diſpoſitione), eſt exhalatio terreſtris, calida, & ſicca, pinguis, craſſa, & viſcoſa, virtute aſtrorum ad ſupremam, ſiuè tertiam hanc aeris regionem vſque eleuata, & ibidem incenſa, quia ex partibus benè coagmentatis facilè incenditur, ſecundum *Auct. Mar. Phil. lib. 9. c. 23. & Ariſt. 1. Met. Sum. 2. c. 4. cum ſeqq.* Generatur autem hæc exhalatio virtute aſtrorum in viſceribus Terræ, & egreditur paulatim, quando calor aperit poros Terræ, aſcendendo pars poſt partem, & ibi compaginatur ſimul; poſtea recipit denuò alimentum, vt lucerna ex oleo continuato, vnde prouenit, eius inflammationem diutiùs durare, propter pinguedinem, & viſcoſitatem; quando verò deficit pabulum nouarum exhalationum, deficit eius aſpectus. Apparet diuerſis modis, quia materia ipſius non aſcendit ſponte, & propria vi, ſed attracta ab aliqua ſtella, vnde ſubeſt illi, & recipit calorem illius. *Ariſt. c. 6.* Si materia in medio ſit denſior; in extremitatibus verò ſit rara, videtur, tamquam ſtella crinita; ſi ſit æqualiter benè compacta, & in longum protenſa, apparet cum cauda; ſi cauda fuerit rarior corpore, apparet, vt ſtella barbata. Mouetur Cometa motu raptus ab Oriente in occaſum ad motum aeris continentis per diem naturalem terram girando. Numquam apparet intra tropicos Cancri, & Capricorni, quia calor Solis calefaciens partes intra tropicos incluſas reſoluit materiam, ad Cometam formandum aptam; ſed extra tropicos ſolſtitiales ſub Cæli plagis ad Polos vergentibus, ſiuè ad Auſtrum, ſiuè ad Septentrionem, ferè ſemper contingit ipſum videre. *Ariſt. 1.*
107 *Met. c. 6. Maſtr. diſp. 4. nu. 48.* Sunt Cometæ ſigna naturalia, & prænuncia aliquando multorum malorum, vt peſtilentiæ, ſterilitatis, Maris tempeſtatum, Terremotuum, validiſſimorum ventorum, morborum diuerſorum, & multorum aliorum malorum. Ratio eſt, quia multitudo exhalationum ſeriatim aſcendentium, aerem occupat, & ſua ſiccitate, atque caliditate humidum conſumat, nam Terra humore fæcundo priuatur ex calidis exhalationibus ſurſum aſcendentibus, vnde ſiccitas, ſterilitas, & penuria prouenire neceſſe eſt. Peſtilentiam, & acutos morbos affert, quia humores cum



Digitized by Google

ſanguine accenduntur ex circumadiacente aëre torrido, qui per venas, & poros in corpora labitur, Bilem incendit, & ſpiritus vitalis debilitatur, ac extinguitur; vnde & mors Principum, præſertim ſuccedit, quia cum delicatæ ſint complexionis, facilè ex aëre corrupto inficiuntur; licet multorum aliorum mors ſequatur, non fit mentio, niſi de Principibus, cum ſint magis noti. Bella, & ſeditiones quoque ſuccedunt, quia Bilis incenditur, cum non ſolum ſpiritus vitalis ex ipſis exhalationibus immutatur; ſed & virtus animalis; & non ſolum eo anno, quo Cometæ apparent: ſed & per annum ſequentem hi mali effectus experiuntur. Hinc eſt, quod tempore generationis Cometarum, & ante, & poſt, fiunt magni venti, Terremotus, & Impreſſiones aliquæ ignitæ. Ratio eſt, quia eleuantur multæ exhalationes calidæ, & ſiccæ. *DD.cit. & Mizald. lib. 2. Cometogra. à c. 2. cum ſeqq.* vbi multa curioſa congerit de Cometis, & de contrarietate ſententiarum Doctorum, circa ſubſtantiam, generationem, locum, ſitum, qualitates Cometarum. Necnon Cornel. Gemm. *lib. 1. de Diuinis Naturæ Characteriſmis. c. 8.* Zanard. *p. 3. vniuerſ. element. q. 8.* Bernardin. Teleſius *Conſentin. in libello de Cometis, & Irid.* Marin. Merſennus *Ord. Minimor. in Geneſ. c. 1. per tot.* Quæ autem ego ſupra attuli ſunt ferè communia apud omnes.

108 Licet autem Cometæ naturaliter effici poſſint, vt dixi, & conſequentur effectus notatos aliquando cauſare queant; non tamen nego, cum *D. Damaſceno lib. 2. de fid. c. 27.* Deum multoties in Cæleſti regione, non ſublunarem Cometam exponere ad præſagiendum, & indicandum aliquod futurum, vt contigit ante excidium Hieroſolymitanum, nam vt ſcribit *Ioſ. Hebr. lib. 7. de bell. iudaic. c. 11.* per annum integrum ante Solis occaſum pependit Cometa, ad inſtar magni gladij, qui vndequaque ignem deijciebat ſupra Ciuitatem; necnon Currus ignei, & exercitus armatorum. An autem ex Cometis poſſit aliquid prædici, ſiuè boni, ſiuè mali, *vid. Diu. Thom. lect. 2. in Sueſſan. l. 1. Metheorolog. comment. 84. & Olimpiad. action. 6.*

109 Pro complemento iſtius interſecationis eſt videndum quid *ſit Galaxia* licet non ſit Imago iſtius tertiæ regionis. Dico igitur, quod *Galaxia*, ſeu *Via lactea*, à vulgo etiam dicta *Via Sancti Iacobi*, in medio Cæli apparens tempore ſereno noctis, eſt pars Cæli ornata innumeris ſtellis paruis, adeo exiguis, vt videri, & diſcerni, propter diſtantiam non poſſint, ſine Teleſcopio, ſeu Tuba optica, vt à multis obſeruatum eſt, quæ ſimul iunctæ reddunt illam Cæli partem clariorem, & candidiorem, veluti latam faſciam; & incipit ab Oriente, vſque ad Septentrionem, per Cancrum, & Capricornum procedens,

Digitized by Google

dens, reuerſus ad punctum primum. *Higin. in 4. lib. Aſtronom. Cic. & Macrob. in Somn. Scipion. lib.* 1. *c.* 4. *&* 9. de qua etiam quædam tetigi *ſup. Miſcell. 3. in 4. Cælo verſic. ſunt, & aliæ.*

## *De quarto Elemento ſcilicet de Igne.*

110 IGnis denique ſupremum Elementum, eſt eximiæ magnitudinis in modum Orbis Cæleſtis ſupra aerem, ſub concauo orbis Lunæ ſitum; ad cuius motum circumducitur, & rapitur; vnde ex motu maiorem caliditatem acquirit, non enim reuera vrit ignis iſte, ſed eſt ſubſtantia pura ex materia, & forma ſua propria ſubſtantiali compoſita; calida, & ſicca; clara, & ſubtilis. Ariſtot. *lib.* 1. *Meteor. c.* 3. *Mar. Philoſ. lib.* 7. *c.* 40.

111 Ignis hic inferior, qui eſt apud nos, eſt eiuſdem ſpeciei cum ſuperiori elementari, cum hac tamen differentia, quod ille non indiget pabulo materiali, cum ſit in ſua propria ſphera, hic verò indiget, aliàs non ſubſiſteret. *Maſtr. de Element. diſp. 4. q. 2. art. 3. num.* 29. Ideo ſemper nititur aſcendere ſurſum, ad ſuam ſpheram tendens, tamquam ad naturalem locum. Ille ſuperior ignis non comburit inferiora ex rationibus allatis *ab eod. vbi proximè art.* 1. *num.* 16. quas breuitatis cauſa non adduco; ſi quis autem illas, & reliqua de hoc Elemento videre cupit, adeat Doctores præcitatos, & reliquos de Elementis agentes. Mihi autem pro nunc hæc pauca retuliſſe ſufficiunt. De reliquis, Deo permittente, alibi latius.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IESVS

In Conceptione Tua Virgo Immaculata fuiſti: Ora Pro Nobis Patrem, cuius Filium Peperiſti.

IN-

Digitized by Google

# INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM.

*Quæ in Secundo Libro Miſcellaneorum continentur, &c.*

M. Miſcellaneum. n. Numerum ſignificat.

## A.


*ABortum procurans peccat mortaliter. Miſcellan. 3. Numero 18.*
*Abſtractiua cognitio quid ſit. m.4. n.44.*
*Actus gloriæ tres. m.4.n.3.*
*Adoratio Angelorum quæ.m.1.n.60.*
*Aer quid ſit. m.5.n.49.*
*Aeris regiones tres. ibidem.cum ſeqq.*
*Alchimia, an vera. m.5.n.32.*
*America Mundi pars.m.5,n.15.*
*Angeli quid ſint. m.1.n.2.*
*Nomen officij eſt. m.1.n.1.*
*quando creati.m.1.n.3.& 68.*
*differunt ſpecie. ibid.n.11.*
*ceciderunt cum Lucifero ex omni ordine. ibid.n.12.*
*qui ad Nos mittuntur,ib.n.18.*
*apparent hominibus, & quando. ibid n.17.*
*cuſtodes quando deputentur. m.1.n.19.*
*cuſtodes dantur etiam Inſidelibus. ibid.n.16.*
*cuſtodiunt ſingulas rerum ſpecies. ibid.n.14.*
*cuſtodes Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatũ, &c.ib.n.15.*
*vnus alio fortior. ibid.n.48.*
*cur in forma Iuuenis.ib.n.17.*
*cur cum alis pingantur. ibid. num.53.*
*duo cuilibet homini bonus, & malus. ibid.n.54.*
*quomodo adorandi. ibid.n.61.*
*Incorporei. ibid.n.63.*
*loco eſſe quid ſit. m.1.n.65.*
*Vbi creati. ibid.n.68.*
*an æqualiter intelligãt ib.n.71*
*futura cognoſcunt.ibid.n.72.*
*ſe inuicem cognoſcunt.ib.n.73.*
*cogitationes cordis noſtri non cognoſcunt. ibid.n.74.*
*ſupernaturalia, an cognoſcant. ibid.n.75.*
*An loquantur inter ſe.ib.n.82.*
*quomodo loquantur. ibid.n.83.*
*ſexum non habent. ibid. n.84.*
*Cælorum, & Planetarum conductores.ibid.n.86.& m.3. n.35.*
*Angelorum cognitio. m.1.n.70.*
*chori. ibid.n.9.*
*cuſtodia ibid n.13.*
*Hierarchia prima.ibid.n.8.*
*beneficia,quæ hominibus præſtant. m.1.n.20.*


*Adiuuant*

Digitized by Google

*Adiuuant nos in periculis. ib. nu.45.*
*Compatiuntur nobis.ib.n.30.*
*Conſortant nos. ibid.n.28.*
*Conſolantur nos. ibid.n.32.*
*Certant pro nobis. ibid.n.47.*
*Debilitant vires. ibid.n.37.*
*Deducunt animas in Cælum. ibid.n.50.*
*Defendunt nos ibid.n.43.*
*Docent nos. ibid.n.34.*
*Eripiunt nos à peccatis. ibid. nu.40.*
*Excitant nos. ibid.n.36.*
*Gratulantur de noſtra ſalute. ibid n.49.*
*Impediunt peccata committenda. ibid.n.41.*
*Impediunt mala imminentia ibid.n.23.*
*Illuminant nos. ibid.n.24.*
*Inſtruunt nos. ibid.n.26.*
*Offerunt Deo orationes. ibid. nu.35.*
*Orant pro nobis. ibid.n.29.*
*Protegunt nos. ibid.n.44.*
*Præuident mala,& eripiunt. ibid.n.46.*
*Purgant nos. ibid.n.38.*
*Præſeruant nos à peccatis. ibid nu.22.*
*Præſeruant à pænis. ib.n.27.*
*Reprehendunt nos.ibid.n.39.*
*Repræſentant vtilia.ib.n.42.*
*Remouent impedimenta.ibid. num.32.*
*Reuelant hominibus ſecreta. ibid.n.25.*
*Succurrunt nobis in aduerſis. ibid.n.31.*
*Numerus. ibid.n.6.*
*Poteſtas magna. ibid.n.5.66. & 86.*
*Ordo. ibid.n.7.*
*Nomina. ibid.n.60.*
*Apparentium corpora quæ.ib. num.63.*
*Motus. ibid.n.64.*
*Officium. ibid.n.4.*
*Potentia ad res.ibid. n.66.& num.86.*
*Gloria continua.ibid.n.67.*
*Pulchritudo, & claritas.ibid. num 85.*
*Anima quãdo infundatur fætui.m.3.n.17*
*in ſicco habitare nequit.m.3.n.20 & m.4.n.31.*
*Propter gloriam Paradiſi creata. m.4.n.1.*
*Deo ſimilis creata. m.4.n.2.*
*In communi quotuplex.m.4.n.6.*
*In plantis dicitur impropriè.ibid.*
*Vegetatiua quid. m.4.n.10.*
*Senſitiua quid. ibid.n.18.*
*Senſitiua quomodo creatur. ibid. nu.32.*
*Imago Sanctiſſimæ Trinitatis. nu.2.& 45.*
*Intellectiua quid. ibid.n.33.*
*Intellectiua continet in ſe vegetatiuam, & ſenſitiuam. Ibid.*
*Creatur ſimul cum corpore. ibid. num.34.*
*Spiritus eſt. ibid.*
*Suſceptiua habituum.ibid.nu.36.*
*Eſt forma corporis per ſe.ib.n.38.*
*Ex traduce cum ſemine non fit, ſed à Deo creatur.ibid.n.47.*
*Indiuiſibilis eſt. ibid.n.51.*
*Futura aliquãdo præuidet.ib.n.52*

*Ani-*

*Animæ hominum quomodo præſentabuntur ante Dei conſpectum.ib.n.57*
*Iuſtorum quomodo. ibid.n.58.*
*Damnatorum quomodo apparebunt. ibid.n.59.*
*Definitio. ibid.n.34.*
*Materia, ſecundum Gentiles. ib. nu.eod.*
*Dignitas. ibid.n.35.*
*Sedes in corpore. ibid.n.39.*
*An ſint eiuſdem ſpeciei. ib. n.41.*
*Nobilitas. ibid.nu.2.*
*Rationalis æqualitas. m.4.n.42.*
*Immortalitas. ibid.nu.43.*
*Rationalis potentia.ibid.nu.44.*
*Diuerſimodè collocabuntur poſt mortem.ibid.n.56.*
*Purgantes ſunt certæ de ſua ſalute. ibid.n.67.*
*Aliquando purgantur alibi, quam in Purgatorio. ibid.n.75.*
*Separatæ quomodo cognoſcant.ib. num.82.*
*An cognoſcantur inter ſe.ib.n.83*
*An loquantur inter ſe.ibid.n.84.*
*An ſcientias retineant.ibid.n.85.*
*An ſciant, quæ aguntur à viuis. num.86.*
*An appareant viuentibus.ib.n.87 cum ſeqq.*
*Animarum receptacula.ibid.nu.5.*
*Vnitas in homine.ibid. n.37.*
*Sexus nullus. ibid.n.40.*
*Diuerſa nomina.ibid.n.45.*
*Suffragia. ibid.n. 68. & ſeq.*
*Purgantes pœnam non ſentiunt tempore Miſſæ.ibid. n.74.*
*Defunctorum orant Deum pro benefactoribus.ib.n.80*
*Paruulorum ſine baptiſmo decedentium, damnantur.ib. num.81.*
*Tranſmigratio.ibid.n.92.*
*Prælatio cũctis rebus.ib.n.93*
*In Cælum ab Angelis portantur. m.1.n.50.*
*Fauores. m.4.n.94.*
*Anni tempora. m.2.n.42.*
*Antarcticus Polus quis.m. 2.n.21.*
*Annus magnus Platonis.m. 2.n.11.*
*Antichriſtus habebit cuſtodem Angelum. m.1.n.16.*
*Antichriſtus occidetur à* Michaele *Arcangelo. m.1.n.44.*
*Aphrica* Mundi *pars.m.5.n.13.*
*Aphricus ventus. ibid.nu.22.*
*Apparitio Angelorum quomodo. miſ. 1. nu.61.& 17.*
*Apparitio Animarum. m.4. nu. 87. cum ſeqq.*
*Apparitiones quomodo fiant.m.4.n.89.*
*Apparitio animarum quomodo cognoſcatur, an bona, vel mala ſit.ibid.eod.*
*Aqua elementum eſt maior Terra. m. 2. n.60.& m.5.n.33.*
*Aqua ſine ſapore eſt. m.5.n.35.*
*Aqua Maris cur ſalſa. m.5.n.44.*
*Aqua fluminum cur dulcis. ibid.n.36.*
*Aquarius* Zodiaci *ſignum; eiuſque natura. m.2.n.53.*
*Aquæ bonitas, & qualitas. m.5.num.35. & 43.*
*Aquæ fluminum, cur hyeme creſcant, & æſtate minuantur. ibid.n.39.*
*Aquæ Fontium, & Puteorum, cur æſtate frigidiores hyeme. ibid.n.40.*
*Aquæ calidæ, cur ſic manant.ibid.n.41.*
*Aquæ morbos gignentes quæ. ibid. n.42.*
*Aquæ bonæ ſigna. m.5.n.43.*

*Aqua*

Digitized by Google

*Aquæ inueniendæ ſigna. ibid.n.48.*
*Aquilo ventus. ibid.n.23.*
*Arbor quid ſit. m.4.n.13.*
*Arcticus Polus. m.2.n.20.*
*Arcus Cæleſtis.m.5.n.98.*
*Aries Zodiaci ſignum. m.2.n.43.*
*Arietis natura. ibid eod.*
*Aſcenſus, & deſcenſus ſolis. m.2.n.6.*
*Aſia Mundi pars. m.5.n.12.*
*Aſſub quid. ibid.n.103.*
*Aſtrologia, an licita. m.2.n.63.*
*Aſtrologia iudiciaria quæ. ibid.n.64.*
*Auditus quid. m.4.n.21.*
*Auſter ventus. m.5.n.22.*
*Autumnus. m.2.n.42.*
*Aux quid; & eſſe in auge. m.2.n.5.*
*Axis quid. ibib.n.4.*

B.

*Beatorum Felicitas quæ. Miſcel. 4. num.4.*
*Beneficia Angelorum Cuſtodum ergà homines. m.1.n.20.*
*Bibere multum, quare Normannis liceat. m.3.n.20.& m.4.n.31.*
*Biſextus annus quid, & vnde perueniat. m.2.n.41.*
*Boreas ventus. m.5.n.22.*
*Buxola, ſiue charta nauigandi.m.5.n.24.*

C.

*Caligo quid. m.5.n.68.*
*Cancer ſignum Zodiaci, & eius natura. m.2.n.46.*
*Capra ſaltans ignis quid. m.5.n.90.*
*Capricornus Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2.n.52.*
*Carta, ſeu Buſſola nauigandi.m.5.n.24.*
*Caſtor, & Pollux ignis quid. m.5. n.56.*
*Cathecumeni, an iuuentur ſuffragijs. m.4.n.78.*
*Centrum ſphæræ quid.m.2.n.4.*
*Cœli Diaphani. m.2.n.9.*
*Cæli, an animati ſint. m.4.n.91.*
*Cæli Angelos habent conductores. m. 1. num.86.*
*Cæli, an defecturi. m.2.nu.62.*
*Cælorum figura. m.2.n.1.*
*Cælorum numerus controuerſus.m.2.n.8. & 59.*
*Cælorum nomina. ibid.n.8.*
*Cælorum diſtantia. ibid.n.60.*
*Cælorum magnitudo. ibid.n.61.*
*Cælum quid ſit. ibid.n.1.*
  *Vnde dicatur. ibid.n.2.*
  *Sphæricum eſt. ibid. n.3.*
  *Empyreum. ibid.n.9.*
  *Stellatum. ibid.n.12.*
  *Saturni. ibid.n.36.*
  *Iouis. ibid.n.37.*
  *Martis. ibid.n.38.*
  *Solis. ibid.nu.39.*
  *Veneris. ibid.n.56.*
  *Mercurij. ibid.n.57.*
  *Lunæ. ibid.n.58.*
*Chori Angelorum nouem. m.1.n.9.*
*Chriſtus Dominus Noſter Angelum Cuſtodem non habuit. Ibid.n.52.*
*Chriſtus Dominus Noſter natus eſt, ſecundum quoſdam, in decimo menſe. m.3.n.21.*
*Chuſma quid. m.5.n.103.*
*Circium ventus. ibid.n.21.*
*Circuli Imaginarij qui. m.2.n.12.*
*Circulorum prædictorum diuiſio.ib.n.13.*
*Circulus meridianus. ibid.n.18.*
*Circulus æquinoctialis. ibid.n.14.*
*Circulus maximus. ibid.n.28.*

*Claritas Angelorum. m.1.n.85.*
*Clima quid. m.5.n.17.*
*Cogitationes cordis ſolus Deus cognoſcit. m.1.n.74.& m.2.n.62.*
*Cognitio Angelorum. m.1.n.70.*
*Cognitio animæ ſeparatæ. m.4. num.81. & 82.*
*Cognitio intuitiua, & abſtractiua, quæ. m.4.n.44.*
*Color, & eius ſpecies. ibid.n.20.*
*Columna Ignis quid. ibid.n.104.*
*Colurus Solſtitiorum. m.2.n.16.*
*Colurus æquinoctiorum. ibid.n.17.*
*Cometa quid. m.5.n.106.*
*Cometæ ſignificata. m.5.n.107.*
*Cometæ ſupernaturales. ibid.n.108.*
*Conceptio hominis harmonica ex Planetis. m.3.n.15.*
*Concupiſcibilis appetitus quid. m.4.n.31.*
*Conſcientia quid. m.4.n.44.*
*Conſtellatio quid. m.2.n.69.*
*Corpora Angelorum apparentium quæ. m.1.n.62.*
*Corona, ſeu Halon quid. m.5.n.100.*
*Coruſcatio quid. ibid.n.85.& 86.*
*Corus ventus quid. ibid.n.23.*
*Creatio animarum quando. m.4.n.34.*
*Criſtallinum Cælum quid. m.2.n.11.*
*Cuſtodia Angelorum. m.1.n.13.*
*Cuſtodiũt Angeli ſingulas ſpecies. ib.n.14*
*Cuſtodiunt Angeli ſingula Regna, Prouincias, Ciuitates, Caſtra, &c. ib.n.15.*
*Cuſtodiunt Angeli, etiam Infideles. ibid. n.16.*

## D.

*Damnati in Inferno, an aliquando videant Deum. m.4.n.63.*
*Damnati, an iuuentur ſuffragijs. ib.n.64.*
*Damnati ſunt ſemper impænitentes. ibid. eod.*
*Damnatorum animæ, an appareant viuentibus aliquando. m.4 n.88.*
*Definitio animæ. m.4.n.34.*
*Definitio Mundi. m.5.n.3.*
*Defuncti orant Deum pro Benefactoribus m.4. n.80.*
*Dæmon in aſſumpto corpore, an comedere poſſit. m.1.n.81.*
*Dæmones, an retineant adhuc dona naturalia. m.1.n.76.*
*Dæmones, quæ futura ſciant. m.2. n.65. & 67.*
*Dæmones in Purgatorio non ſunt tortores. m.4. n.66.*
*Dæmones quidam in aere cruciantur. m.4.n.60.*
*Dæmoniorum nomina quæ. m. 1. nu. 58. & 59.*
*Dæmoniorum Idola. m.1.n.59.*
*Dæmoniorum obſtinatio. m.1.n.77.*
*Dæmonum tentatio qualis. Ibid.n.78.& infra verb. Diabolus.*
*Dæmonum transformatio quomodo. ibid. num.79.*
*Dæmonum fallacia, an cognoſci poſſit. ibid n.80.*
*Diaboli tentationes diuerſæ. ibid.n.21.*
*Diabolus cur hominem tentet. ibid.n.55.*
*Diameter quid. m.2.n.4.*
*Diaphanum quid. m.4.n.20.*
*Diaphaneitas Cælorum qualis. m.2.n.7.*
*Dies Hebdomadæ à Planetis deminantur. m.3.n.14.*
*Dies naturalis quot horis componatur. m.2.n.39.*
*Diluuium ignis turbo quid. m.5.n.72.*
*Diluuium particulare. ibid. eod.*
*Dimentio Mundi. m.5.n.9.*

*Diſtan-*

*Diſtantia inter Cælum, & Cælum. m. 2. num.60.*
*Dormientes quare non audiant.m.4.n.48*
*Draco volans ignis quid.m.5.n.92.*
*Draco ſignum cæleſte quid. m.3 n.11.*

E.

*ECho quid. m.4.n.21.*
*Eclypſis Solis. m 3.n.9.*
*Eclypſis Lunæ. ibid.n.10.*
*Eclyptica quid. m.2.n.15.*
*Ecnephias quid. m.5.n.95.*
*Elementa vbi continentur. Ibid.n.1.*
*Empyreum Cælum. m.2.n.9.*
*Empyrei altitudo. ibid.n.61.*
*Epiciclus quid. m.2.n.6.*
*Aequator circulus quid. m.5.n.17.*
*Aequinoctialis circulus. m.2.n.14.*
*Aequinoctium duplex. ibid.eod.& 17.*
*Eſſe materiale, medium, & ſpirituale quid. m.4.n.7.*
*Aeſtas quid. m.2.n.42.*
*Aeſtimatiua potentia quæ. m.4.n.28.*
*Europa Mundi pars. m.5.n.14.*
*Eurus ventus. ibid.n.20.*
*Exercitus in Cælo apparentes. ib. n.105.*
*Exhalatio quid. ibid.n.53.*
*Extaſis quid. m.4.n.50.*

F.

*FAces in Cælo apparentes quid ſint, m.5.n.57.*
*Facultates vitales duæ. m.4.n.17.*
*Fatum quid. m.2.n.69.*
*Fauonius ventus quid. m.5.n.21.*
*Fauores animæ m.4.n.94.*
*Felicitas Paradiſi viſio Dei eſt. m. 4. num.63.*
*Fætus quomodo formetur. m.3.n.15.*
*Fætus numero Septenario perficitur.m.3. num.16.*
*Fætus quando animetur. m.3.n.17.*
*Fætus vltra decem menſes non producitur. m.3.n.22.*
*Fætus, an viuat prius anima vegetatiua, poſtea ſenſitiua, & tandem rationali, m.4.n.46.*
*Figura Cælorum. m.2 n.1.*
*Figura ſphærica perfectior omnibus alijs. m.2.n.32.*
*Flumina magna nonaginta quatuor. m.5. num.9.*
*Flumina cur ſemper fluant. m.5. n.37.*
*Fluminum aquæ, cur hyeme creſcant, & æſtate minuantur. m.5.n.39.*
*Fluxus, & refluxus maris.m.5.n.46.*
*Fontium origo. m.5.n.38.*
*Fontium aquæ cur æſtate frigidiores, & hyeme calidiores. m.5.n.40.*
*Fortuna quid ſit. m.2.n.69.*
*Frutex quid. m.5.n.13.*
*Fulgur quid. m.5.n.85.& 86.*
*Fulmen quid. m.5.n.87.*
*Futura cognoſcere ſolius Dei eſt. m. 1. num.72.*
*Futura contingentia quomodo Dæmones ſciant. m.2.n.65.*
*Futura quomodo Dæmones annuncient. m.2.n.66.& 67.*
*Futura, an neceſſario ſuccedat. m.2.n.68.*

G.

*GAlaxia, ſeu via lactea quid ſit. m.2 n.28. & m.5.n.109.*
*Gaudium iuſtorum quid. m.4.n.58.*
*Gemini Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2.n.45.*



Digitized by Google

*Genera potentiarum quinque.m.4.n.9.*
*Gentes principaliores 125.m.5.n.9.*
*Glacies quid. m. 5.n.78.*
*Glaciata verba aliquando vbi.m.4.n.21.*
*Gloriæ actus tres. m.4.n.3.*
*Gradus ſignorum quid. m.2.n.55.*
*Gradus animatorum. m.5.n.8.*
*Gradus viuendi triplex. m.5.n.6.*
*Grando quid. m.5.n.79.*
*Grandinis ſigna. m. 5.n.80.*
*Guſtus quid. m.4.n.22.*

H.

*HAlon quid ſit. m.5.n.100.*
*Hebdomadæ dies à Planetis dicti. m.3.n.14.*
*Helena ignis quid. m.5.n.56.*
*Hemiſphærium quid. m.2.n.10.*
*Herba quid. m.5.n.13.*
*Heſperus quid. m.3.n.5.*
*Hiatus in Cælo apparentes quid.m. 5. num.103.*
*Hierarchiæ Angelorum tres.m.1.n.8.*
*Hominis conceptio ex Planetis harmonica. m.3.n.15.*
*Horizon quid ſit. m.2.n.19.*
*Hyems quid. m.2.n.42.*

I.

*IDola Dæmoniorum. m.1.n.59.*
*Ignes Aerei diuerſi. m.5.n. 53.*
*Ignis perpendicularis. m.5.n.104.*
*Lambens. ibid.& m.5.n.54.*
*Fatuus. m.5.n.55.*
*Caſtor, & Pollux, m.5.n.56.*
*Helena. ibid. eod.*
*Aſubaſcendens. m.5.n.104.*
*Aſubdeſcendens. m.5.n.89.*
*Elementaris qualitates.m.5.n.100*
*Noſter materialis, idem cum elementari. m.5.n.111.*
*Imaginatiua potentia. m 4.n.27.*
*Imago Sanctiſſimæ Trinitatis anima. m.4.n.2.& 45.*
*Imagines in aere apparentes quæ. m. 5. num.97.*
*Imber quid. m.5.n.70.*
*Immortalitas animæ m.4.n.43.*
*Impreſſiones aereæ vbi, & quomodo generantur. m 5.n.50.51.& 52.*
*Impreſſiones ignitæ primæ regionis aeris. m.5.n.53.*
*Impreſſiones ignitæ primæ regionis aeris. m.5.n.53.*
*Impreſſiones ſecundæ regionis. m.5.n.65.*
*Impreſſiones tertiæ regionis. m.5.n.104.*
*Impreſſionum origo. m.5.n.53.*
*Indulgentiæ liberant animas purgantes. m.4.n.76.*
*Indulgentiæ, an proſint infallibiliter. m. 4. n. 77.*
*Infernus quid. m.4. n.60.*
*Inferni pænis Papa condemnare non poteſt. m.4.n.65.*
*Infideles habent Angelum Cuſtodem.m. 1. num.16.*
*Influentia Planetarum in hominis conceptione. m.3.n.15.*
*Inſulæ famoſæ viginti ſeptem. m.5.n.9.*
*Intellectus quid. m.4.n.44.*
*Intuitiua cognitio quæ. ibid.eod.*
*Iouis Cælum. m.2.n.37.*
*Iouis influentia in hominis conceptione. m 3.n.17.*
*Iraſcibilis appetitus. m.4.n.31.*
*Iridis notabilia. m. 5.n.99.*
*Iris, ſeù Arcus cæleſtis quid. m. 5.n.98.*
*Iuppiter Planeta, eiuſque magnitudo.*

m.2

Digitized by Google

*m.2. n.37.*
*Iuuamen Angelorum erga homines. m.1. num.17.*

## L.

*LAncea ignis quid. m.5.n.104.*
*Lapides quomodo generantur. m.5. num.29.*
*Leo Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2. num.47.*
*Liberum arbitrium quid. m.4.n.44.*
*Libra Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2. n.49.*
*Limbus quid. m.4.n.81.*
*Longitudo Terræ. m.3.n.15. & m.5.n.9.*
*Loquutio Angelorum qualis. m.1.n.82.*
*Loquutio animarum qualis. m.4.n.84.*
*Lucifer ſtella quæ. m.3.n.5.*
*Lumen quid. m.4.n.20.*
*Luna Planeta Cæli quid. m.2.n.58.*
*Lunæ Eclipſis quid ſit. m 3.n.10.*
*Luna cur videatur maior alijs Planetis, cum ſit minima omnium. m.3.n.11.*
*Lunæ corpus opacum. m.3.n.12.*
*Lunæ lumen à Sole. ibid. eod.*
*Lunæ defectus, & augmentum. ibid. eod.*
*Lunæ maculæ quæ. m.3.n.13.*
*Lunæ influentia in hominis conceptione. m.3.n.20.*
*Lux quid. m.4.n.20.*

## M.

*MAculæ lunæ quæ? m.3.n.13.*
*Magnitudo Solis. m.2.n.41. & m.3.n.6.*
*Magnitudo Planetarum. m.3.n.6.*
*Maioritas Cælorum. m.2.n.60.*
*Manna quid. m.5.n.62.*
*Manna de folijs. m.5.n.62.*
*Manna dicta di corpo. m.5.n.63.*
*Manna dicta forzatella. m.5.n.64.*
*Mare quid. m.5.n.33.*
*Maria famoſa triginta. m.5.n.9.*
*Maris profunditas. m.5.n 10.*
*Maris aqua cur ſalſa. m 5.n.44.*
*Maris fluxus, & refluxus vnde. m.5.n.46*
*Maris nomina vnde. m.5.n.34.*
*Maria omnia vnum ſunt. m.5.n.45.*
*Martis Cælum. m.2.n.38.*
*Martis influentia in hominis conceptione. m.3.n.19.*
*Media, quibus Dæmon vtitur in prænunciandis futuris. m.2.n.67.*
*Mel quid ſit. m.5.n.60.*
*Memoria quid. m.4.n.44.*
*Memoria artificialis. m.4.n.30.*
*Memoratiua quid. m.4.n.30.*
*Mercurius Planeta, eiuſque natura. m.2. num.57.*
*Mercurij influentia in hominis conceptione. m.3.n.19.*
*Meridianus circulus quid. m.2.n.18.*
*Metalla quomodo generantur. m.5.n.31.*
*Metalla, an mutari poſſint de vno in aliud. m.5.n.31.*
*Michael Archangelus, cur pingatur cum ſtathera. m.1.n.51.*
*Mineralia quæ. m.5.n.28.*
*Minuta, ſeu prima quæ. m.2.n.55.*
*Miſſæ, an æqualiter valeant pro defunctis, tam de feria, quam de requiem. m.5. n.71.*
*Miſſæ tempore animæ purgantes pœnam non ſentiunt. m.4.n.74.*
*Montes famoſi quadraginta. m.5.n.9.*
*Mors in Mundo vnde. m.5.n.55.*
*Mors, an poſſit abbreuiari. m.4.n.54.*
*Mortis tempus, an poſſit prorogari. m.4. n.54.*

*num.54.*
*Mortis tempus, an ſciri poſſit. m.4.n.55.*
*Moyſis corpus abſconditum ab Angelo, quare. m.1.n.46.*
*Mulieres à Dæmone illuſæ. m. 4. nu.49. & 50.*
*Mundus quid comprehendat. m.5.n.1.*
*Mundus duplex, æthereus, & elementaris. m.5.n.1.*
*Mundus ſphæricæ figuræ eſt. m.5.num.2. & 4.*
*Mundus vnicus. m.5.n.4.*
*Mundus quando creatus. m.5.n.5.*
*Mundi centrum. m.5.n.6.*
*Mundi diuiſio. m.5.n.11.*
*Mundi deſcriptio m.5.n.3.*
*Mundi dimenſio. m.5.n.9.*
*Mundi anima quomodo. m.4.n.90.*
*Mundus muſicè compoſitus. m.5.n 33.*
*Mundus ductus à Planetis quomodo m.3. n.25.*
*Muſculus quid. m.4.n.31.*
*Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis in Angelis. m.1.n.10.*
*Myſterium prædictum in anima. m.4.n.2. & 45.*

N.

*NAtiuitas Sacratiſſima Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ſecundum quoſdam in decimo menſe. m.3.n.21.*
*Natiuitas hominis perfecta, quando. m.3. n.20. & 21.*
*Nati in decimo menſe, perfecti. m.3.n.21*
*Nati vltra decem menſes præſumuntur illegitimi. m.3.n.22.*
*Nati tardè. m.3.n.23.*
*Natura nil fruſtra agit. m.3.n.3.*
*Nauſea nauigantium, vnde. m.5.n.47.*
*Nebula quid. m.5.n.67.*
*Neruus quid. m.4.n.31.*
*Nimbus quid ſit. m.5.n.71.*
*Niuis ſigna. m.5.n.82.*
*Nix quid. m.5.n.81.*
*Nobilitas animæ. m.4.n.2.*
*Nomina animæ diuerſa. m.4.n.45.*
*Nomina Angelorum. m.1.n.60.*
*Nomina Dæmoniorum. m.1.n.58. & 59.*
*Nomina Cælorum. m.2.n.8.*
*Nort, ſeu Tramontana. m.2.n.20.*
*Nothus ventus. m.5.n.22.*
*Nox quid. m.2.n.40.*
*Nubes quid. m.5.n.66.*
*Numerus Angelorum infinitus. m.1.n.6.*
*Numerus Cælorum. m.2.n.8. & 59.*
*Numerus Septenarius perfectus. m. 3. num.16.*

O.

*OBiectum viſus quid. m.4.n.20.*
*Obiectum Auditus. m.4.n.21.*
*Obiectum Guſtus. m.4.n.22.*
*Obiectum odoratus. m.4.n.23.*
*Obiectum tactus. m.4.n.24.*
*Odor quid ſit, & quotuplex. m.4.n.23.*
*Odoratus quid. ibid. eod.*
*Officium Angelorum. m.1.n.4.*
*Olympum Cælum, idem quod empyreum. m.2.n.9.*
*Opacum quid. m.4.n.20.*
*Orbis totius deſcriptio. m.5.n.3.*
*Ordo Angelorum iucundiſſimus. m.1.n.7.*
*Organum viſus quid. m.4.n.25.*
*Organum auditus. m.4.n.21.*
*Organum guſtus. m.4.n.22.*
*Organum odoratus. m.4.n.23.*
*Organum tactus. m.4.n.24.*
*Originale peccatum. m.4.n.81.*

Pa-

Digitized by Google

## P.

PAradiſi Gloria quæ.m.4.n.2.& 58.
Paradiſi fælicitas Dei viſio eſt.m.4. num.63.
Paradiſus locus animæ deputatus. m. 4. num.1.
Paradiſus terreſtris vbi. m.5.n.12.
Paralelli qui. m.5.n.17.
Parelÿ qui. m.5.n.101.
Pars inferior, & ſuperior appetitus quæ m.4.n.44.
Partus perfectus quãdo.m.3.n.20.& 21
Partus ſeptimi menſis legitimus. m. 3. num.20.
Partus vltra decem menſes, an detur m.3.n.23.
Partus ferè miraculoſi vltra decem menſes. m.3.n.23.
Partus tardiſſimi. m.3.nu.24.
Paſſiones animæ quæ. m.4.n.31.
Peccatum originale. m.4.n.81.
Peccatum mortale æternitatem pænæ meretur. m.4.n.62.
Pæna abortum procurantis. m.3.n.19.
Pæna Inferni quæ. m.4.n.60.
Pænæ commenſurantur delictis. m.4. num.62.
Pænæ Purgatorÿ atrociſſimæ. m.4.n.66.
Pæna damni, & pæna ſenſus quæ. m. 4. num.81.
Pænarum Purgatorÿ tempus, an ſciri poſſit. m.4.n.79.
Phantaſia quæ. m.4.n.29.
Phantaſma quæ. m.4.n.29.
Phantaſton quid. ibid. eod.
Piſces Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2.n.54.
Planeta qui. m.3.n.1.
Planetæ quomodo in Creaturas influant. m.3.nu.vlt.
Planetæ cur ſic dicti. m.3.n.3.
Planeta ſtationarius, directus, vel retrogradus. m.2.n.6.
Planetæ ſinguli ducunt Mundum certis annis, quomodo. m.3.n.25.
Planetarum influentia in hominis conceptione. m.3.n.15.
Planetarum curſus in Zodiaco. m.3.n.5. & 26.
Planetarum magnitudo. m.3.n.6.
Planetarum diſtantia. m.3.n.7.
Planetarum Angeli conductores. miſ. 1. n.86.& m.3.n.25.
Plantæ elementis conſtant. m.4.n.11.
Plantæ nomen genericum. m.4.n.13.
Plantæ, an animatæ ſint. m.4.n.14.
Plantæ, an ſint maſculæ, & fæminæ. m.4. num.15.
Plantæ, an omnes ſemen habeant. m. 4. num.16.
Pluuia quid. m.5.n.68.
Pluuiæ prognoſtica. m.5.n.74.
Pluuiæ notabilia. m.5.n.73.
Pluuiæ ſigna. m.5.n.75.
Poli ſphæræ qui. m.2.n.4.
Polus Arcticus, & Antarcticus qui. m.2. n.20.& 21.
Potentia Angelorum ad res. m.1.nu.66. & 86.
Potentia interior. m.4.n.25.
Potentia motiua. m.4.n.31.
Potentiæ animæ tres. m.4.n.44.
Potentiæ prædicatæ, an ſint realiter diſtinctæ. m.4.n.45.
Potentiæ vegetatiuæ. m.4.n.10.
Potentiæ ſenſitiuæ. m.4.n.18.
Poteſtas Angelorum maxima. m.1.n.5.
Prælatio animæ cunctis rebus. M.4.n.93.

Præ-

*Præter quid. m.5.n.97.*
*Primum mobile Cælum. m.2.n.10.*
*Priuilegia animarum fauore conceſſa. m.4.n.94.*
*Procella quid. m.5.n.94.*
*Profunditas maris. m.5.n.10.*
*Prouinciæ famoſæ 78. m.5.n.9.*
*Pruina quid. m.5.n.77.*
*Pulchritudo Angelorum. m.1.n.85.*
*Purgatorium quid. m.4.n.66.*
*Purgatorij pœnæ quæ. ibid.eod.*
*Pyramis ignis quis. m.5.n.92.*
*Pyxis, ſeu Buſſola, ſiue charta nauigandi. m.5.n.24.*

Q.

*Quadrantes qui. m.2.n.55.*
*Qualitates primæ, & ſecundæ quæ. m.4.n.24.*

R.

*Raptus quid. m.4.n.50.*
*Receptacula animarum tria. m.4.num.5.*
*Regiones aeris tres. m.5.n.49.*
*Regio prima quæ. m.5.n.50.*
*Regio ſecunda quæ. m.5.n.51.*
*Regio tertia quæ. m.5.n.52.*
*Reminiſcentia quæ. m.4.n.30.*
*Ros quid. m.5.n.59.*

S.

*Saccarum quid. m.5.n.61.*
*Sagitta quid. m.5.n.88.*
*Sagittarius Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2.n.51.*
*Sales quomodo generantur. m.5.n.30.*
*Salſedo maris vnde perueniat. m.5.n.44*
*Sapor quid. m.4.n.22.*
*Saturnus Planeta quis. m.2.n.36.*
*Saturni influentia in hominis conceptione. m.3.n.15.*
*Saturni Cælum. m.2.n.36.*
*Scientijs anima perficitur. m.4.n.81.*
*Scire deſiderant homines naturaliter. m.4.n.81.*
*Scorpio Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2.n.50.*
*Semina Plantarum. m.4.n.12.*
*Semina num omnes Plantæ habeant. m.4.num.16.*
*Senſatio quomodo cauſetur. m.4.n.18.*
*Senſibile quid. Ibid.eod.*
*Senſitiuæ animæ deſcriptio. m.4.n.18.*
*Senſus communis quis. m.4.n.36.*
*Senſus exteriores quinque. m.4.n.20.*
*Senſus interiores. m.4.n.25.*
*Septenarius numerus in hominis conceptione. m.3.n.16.*
*Septimo menſe nati ſunt perfecti. m.3.num.20.*
*Serenitatis ſigna. m.5.n.76.*
*Sexus Angelorum nullus. m.1.n.84.*
*Sexus animarum nullus. m.4.n.40.*
*Siccum animæ inimicum. m.3.n.20. & m.5.n.31.*
*Signa Zodiaci. m.2.n.15. & 43.*
*Signa aquæ bonæ. m.5.n.43.*
*Signa aquam inueniendi. m.5.n.48.*
*Signa venti. m.5.n.25.*
*Terræmotus. m.5.n.26.*
*Pluuiæ. m.5.n.75.*
*Serenitatis. m.5.n.76.*
*Grandinis. m.5.n.80.*
*Niuis. m.5.n.82.*
*Sol in medio Planetarum. m.3.n.4*
*Sol, cur in mane videatur maior. m.3.num.8.*

Digitized by Google

*num.8.*
*Solis Cælum. m.2.n.39.*
*Motus. ibid.eod.*
*Aſcenſus, & declinatio quid. m.2. num.16.*
*Influentia in hominis conceptione. m.3.nn.19.*
*Curſus. m.2.nu.41.*
*Magnitudo. ibid.eod.& m.3.n.6.*
*Solſtitia duo. m.2.n.16.*
*Somniorum cauſæ. m.4.n.49.*
*Somniorum obſeruatio. ibid.eod.*
*Somnium quid,& quotuplex. m.4.n.49.*
*Somnus quid, & quotuplex. m.4.n.48.*
*Sphæra quid. m.2.n.4.*
*Sphæra concentrica, & excentrica, quæ. m.2.n.5.*
*Sphærica figura perfectior omnibus alijs. m.2.n.32.*
*Species ſenſibiles quæ. m.4.n.19.*
*Spiritus vitalis quid. m.4.n.31.*
*Spiritus in ſicco habitare non poteſt.m.4. num.31.*
*Stadium quid. m.5.n.10.*
*Statio quid. m 2.n.6.*
*Stella cadens ignis quid. m.5.n.93.*
*Stella quid ſit. m. 2.n. 29. & m.3.n.2.*
*Stella Magorum, quæ. m 2.n.30.*
*Stellarum forma ſphærica. m.2.n.32.*
*Scintillatio quid. m.2.n.33.*
*Influentia. m.2.n.34.*
*Diſtributio. m.2.n.25.*
*Nomina. m.2.n.26.& 27.*
*Stellæ fixæ quæ. m.2.n.24.*
*Erratiles, quæ. m.3.n.1.*
*Septentrionales quæ. m.2.n.26.*
*Auſtrales quæ. m.2.n.27.*
*Animatæ non ſunt. m.2 n.31. & m.4. num.9.*
*Cur nō videātur de die.m.2.n.35*
*Stellatum Cælum. m.2.n.12.*
*Stillicidium quid. m.5.n.69.*
*Subſolanus ventus quid. m.5.n.20.*
*Suffragia Animarum quatuor ſunt m.4. num.68.*
*Suffragia Animarum per malos præſtita, an valeant. m.4.n.69.*
*Suffragia, cui proſint,ſi non indigent Animæ, pro quibus fiunt. m.4.n.70.*
*Suffragia pro vno facta proſunt omnibus. m.4.n.72.*
*Suffragia pro multis facta, an proſint ſingulis æqualiter. m.4.n.71.*
*Syndereſis quid. m.4.n.44.*

T.

*Tabula raſa eſt anima in principio. m.4.n.82.*
*Tactus quid ſit. m.4.n.24.*
*Taurus Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2.n.44.*
*Tempore,quo miſſa celebratur pro anima Purgatorij,nō ſentit pœnam.m.4.n.74*
*Tempus pœnarum Purgatorij, an ſciri poſſit. m.4.n.79.*
*Tentatio Diaboli. m.1.n.21. 55.& 78.*
*Tentatio Animæ in morte. m.4.n.61.*
*Tentatio Diaboli generalis. m.4. n.57.*
*Tentationem cur Deus Diabolo permittat. m.4.n.56.*
*Terra. vbi ſita eſt. m.5.n.7.*
*Terra, & Aqua vnicam conficiunt ſphæram. m.5.n.8.*
*Terræ longitudo. m.5.n.9.*
*Terræmotus quid ſit. m.5.n.26.*
*Terræmotus ſigna ibid.eod.*
*Terræmotus remedium. m.5.n.27.*
*Tetragonus quid. m.4.n.33.*
*Tonitruum quid. m.5.n.84.*

*Trabs*

Digitized by Google

*Trabs igneus quid ſit. m.5.n.91.*
*Traiani Imperatoris anima ab Inferno liberata pręcibus Diui Gregorij. m.4. num.64.*
*Tramontana, ſeù Nort quid. m.2. n.20.*
*Tranſmigratio animarum Philoſophica, quę. m.4.n.92.*
*Trigonus quid. m.4.n.33.*
*Tropicus Cancri quis. m. 2.n.22.*
*Tropicus Capricorni. m.2.n.23.*
*Turbo, ſeù procella quid. m.5.n.94.*
*Typhon quid. m.5.n.96.*

V.

*VApor quid. m.5.n.53.*
*Vegetatiua propriè in Plantis. m.4. n.12.*
*Vegetatiuę Potentię. m.4.n.10.*
*Veneris Cęlum. m.2.n.56.*
*Veneris influentia in hominis conceptione. m.3.n.10.*
*Ventus quid. m.5.n.18.*
*Ventorum diuerſa nomina. m.5.n.19.*
*Ventorum numerus, & diuiſio. m.5.n.19. & 24.*
*Ventorum ſigna. m.5.n.25.*
*Ver quid. m.2.n.42.*
*Verba glaciata. m.4.n.21.*
*Via lactea, ſeù Galaxia. m.2. nu.28. & m.5.n.109.*
*Victoria Michaelis Arcangeli contra Draconem. m.1.n.44.*
*Vigilia quid. m.4.n.48.*
*Virgę apparentes in aere quid. miſcel. 5. num.102.*
*Virgo Zodiaci ſignum, eiuſque natura. m.2.n.48.*
*Viſus quid. m.4.n.25.*
*Voluntas quid. m.4.n.44.*
*Voragines in Cęlo apparentes, quid. m. 5. num.103.*
*Vortex turbo quid. m.5.n.96.*
*Vrbes inſignes tercentum ſeptuaginta. m.5.n.9.*
*Vrſa Maior, & vrſa minor, quę. m. 2. num.20. & 21.*
*Vulturnus ventus. m.5.n.20.*

Z.

*ZEnith quid ſit. m.2.n.18.*
*Zephirus ventus. m.5.n.21.*
*Zodiacus circulus. m.2.n.15.*
*Zodiaci ſigna duodecim m.2.n.15. & 43.*
*Zona mundi quę. m.5.n.16.*

# F I N I S.

ROMAE,

Ex Typographia Fabij de Falco.




M. DC. LXV.

---

*SVPERIORVM PERMISSV.*

Digitized by Google

Digitized by Google